ACTA ROMANA SOCIETATIS IESU

VOLUMEN X, 1941-1945

~~FASCICULUS I — ANNO 1941~~

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS

1941

ACTA ROMANA
SOCIETATIS IESU

VOLUMEN X

FASCICULUS I — ANNO 1941

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS

1941

ROMAE - TYPIS PONTIF. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

INDEX

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

I. — PRO SOCIETATE.

II. — PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS.

Litterae quaedam officiosae.

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

I. — PRO SOCIETATE.

II. — PRO PROVINCIIS, MISSIONIBUS, DOMIBUS.

III. — PRO EXTERNIS.

Litterae quaedam Postulatoriae.

Aliae litterae officiosae.

INDEX SIGLORUM PRAECIPUORUM

quae adhibentur praesertim in « Ratione Studiorum » (pp. 151-270).

AAS: Acta Apostolicae Sedis

ASS: Acta Sanctae Sedis.

AR: Acta Romana.

CA: Constitutio Apostolica Pii Pp. XI « Deus scientiarum Dominus » 24 maii 1931.

CG: Congregatio Generalis.

CD: Collectio Decretorum.

Const.: Constitutiones Societatis Iesu.

Ench. bibl.: Enchiridion biblicum, Documenta ecclesiastica ad Sacram Scripturam spectantia auctoritate Pont. Commissionis de re biblica edita, Romae, 1927.

Ench. cler.: S. Congr. de Sem. et Stud. Univers., Enchiridion clericorum. Documenta Ecclesiae Sacrorum alumnis instituendis, Romae, 1938.

Epit.: Epitome Instituti Societatis Iesu.

IC: Codex Iuris Canonici.

Ord.: Ordinationes Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad Constitutionem Apostolicam « Deus scientiarum Dominus » ... rite exsequendam, 12 iun. 1931.

RS: R. P. Ioan. Roothaan, Ratio atque Institutio Studiorum Soc. Iesu, Romae, 1832.

Reg.: Regulae Societatis Iesu.

SCSU: Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Stat.: Statuta Facultatum in Collegiis S. I. erectarum, Romae, 1934.

Wernz, Ordin.: R. P. Franc. Xav. Wernz, Ordinatio studiorum in Provinciis Austriaco-Hungarica et Germanica, 1909 (eadem fere a. 1911 pro Prov. Galiciana et a. 1913 pro Prov. Neerlandica).

Litterae Apostolicae citantur per nomen Summi Pontificis et per prima verba, v. g. Paulus III, « *Regimini militantis Ecclesiae* ».

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

I. — PRO SOCIETATE.

1. **25 iunii 1940 (1).**

Vicariatus Apostolicus de Batavia dismembratur et novus erigitur Vicariatus Apostolicus de Semarang. — Constit. Apost. (2).

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vetus de Batavia Vicariatus Apostolicus, in Malesia abhinc centum prope annos erectus, pluries iam dispertitus, in tres partes a fel. rec. Pio Papa Undecimo, Decessore Nostro, binis Apostolicis Litteris sub anulo Piscatoris diebus vicesima et vicesima quinta Aprilis mensis anno millesimo nongentesimo tricesimo secundo datis, iterum divisus est, et duae novae Praefecturae de *Bandoeng* et *Poerwokerto* erectae sunt et constitutae, ita tamen ut reliquum Vicariatus illius territorium, iisdem Praefecturis interpositis, in duas non contiguas partes disiectum remanserit, unam nempe in occidentalibus, alteram in centralibus Iavae insulae regionibus.

---

(1) Haec Constitutio Apostolica, in *Actis Apost. Sedis* anni 1941 edita, serius ad nos perlata est, quam ut in *Acta Romana* anni praecedentis inseri posset. — Cf. tamen *Acta Rom.*, vol. IX, 1940, pp. 514 sqq.

(2) *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pp. 65 sqq. — Missio tamen nostra (Prov. Neerland.), Bataviae nuncupata, interim indivisa manet sub uno Superiore regulari.

Nunc autem, quum assiduis Societatis Iesu aliarumque religiosarum familiarum Missionariorum laboribus non mediocres illic evangelicae praedicationis fructus percepti sint, peropportunum visum est utramque Vicariatus de Batavia partem per suum quamque Praesulem in posterum regendam esse.

Libenter igitur Venerabilis Fratris Petri Willekens (3), Episcopi titularis Zoraveni et Vicarii Apostolici de Batavia, precibus annuere decrevimus, quibus a Nobis postulatum est ut eiusdem Vicariatus territorii pars centralis in novum erigeretur Vicariatum Apostolicum a *Semarang* urbe ibidem exstante de *Semarang* seu *Semarangensem* nuncupandum; eo vel magis quod Praesulis illius petitionem, a dilecto Filio Societatis Iesu Praeposito Generali commendatam, venerabilis Fratris Ioannis Panico, Archiepiscopi Titularis Iustinianensis et Delegati Apostolici Australasiae, menti consonam esse noverimus, qui elapso anno Indiarum Nederlandicarum Orientalium missiones visitaverat.

Quare de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis, illud Vicariatus Apostolici de Batavia territorium, quod in civili provincia Iavae centralis, vulgo *Midden-Java*, situm est, quodque conterminas habet Praefecturas Apostolicas de Poerwokerto ad occidentem et de Soerabaia ad orientem, iisdem quibus nunc continetur finibus, suprema auctoritate Nostra ex eodem de Batavia Vicariatu distrahimus ac separamus, et in novum erigimus et constituimus Vicariatum Apostolicum; eumque de *Semarang* seu *Semarangensem* appellari volumus et iubemus, atque apostolicis Societatis Iesu curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, concredimus (4).

Novo igitur Vicariatui de Semarang eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura et privilegia, honores et potestates, quibus ceteri Vicariatus Apostolici eorumque Antistites iure communi fruuntur et gaudent, eosque iugiter iisdem

---

(3) S. I., e Prov. Neerlandica.

(4) De primo electo Vicario Apostolico indigena, EE. ac RR. DD. Alberto Soegijapranata, S. I. (Prov. Neerland.), cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1940, pp. 514 sqq.

adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur.

Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent.

Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die quinta et vicesima Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno secundo.

I. Card. GRANITO DI BELMONTE
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Prop. Fide Praef.

ALFONSUS CARINCI, *Proton. Apost.*
VINCENTIUS BIANCHI CAGLIESI, *Proton. Apost.*

L. ✠ S.

Reg. in Canc. Ap., vol. LXIV, n. 2. - AL. TRUSSARDI.

2. **4 ianuarii 1941.**

De « Horologio Missarum » aliisque obsequiis Summo Pontifici exhibitis. - Epist. Card. Secret. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 32771

Dal Vaticano, 4 Gennaio 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

I filiali voti, che la Paternità Vostra Reverendissima ha voluto umiliare al Trono dell'Augusto Pontefice per l'anno nuovo.

in tanta dolorosa perturbazione di uomini e di cose, non potevano non recarGli vivissimo conforto, per l'affetto e per la devozione a Lui ben noti, che animano esemplarmente la diletta Compagnia di Gesù.

Lo specchio delle intenzioni dell'Apostolato della Preghiera per l'anno 1941, l'« Horologium Missarum » e le altre numerosissime Sante Messe, che saranno celebrate dai Sacerdoti della Compagnia, dicono meglio di ogni altra parola l'attaccamento di codesti buoni figli, i quali sanno fare dell'amore al Papa il segreto del loro più volte secolare apostolato per la maggior gloria di Dio.

Desidera l'Augusto Pontefice esprimere nuovamente la Sua particolare gratitudine per l'iniziativa delle Messe celebrate secondo le Sue paterne intenzioni, iniziativa che non può, non racchiudere in sè la massima efficacia spirituale. Si può ben dire che, nelle attuali tristissime vicende, tutte le più fondate speranze del Santo Padre per un più sereno cristiano domani si raccolgono presso i santi altari, sui quali è perpetuato il divino sacrificio del Calvario.

Una parola di lode e d'incoraggiamento vuole anche aggiungere la medesima Santità Sua per il molto bene che le Leghe di Perseveranza vanno portando tra gli uomini, là dove il terreno era parso particolarmente ingrato; ciò che è singolare prova di ardente zelo da parte dei cari figli di S. Ignazio [1].

Con tali sentimenti, e in pegno della Sua paterna benevolenza, il Santo Padre è lieto quindi d'inviare con effusione di cuore alla Paternità Vostra e a tutta la Compagnia il conforto della Benedizione Apostolica.

---

[1] Paulo post hanc epistolam Summus Pontifex imaginem Suam photographicam Patri Nostro mittere dignatus est, his verbis propria manu subscriptis:

Ai diletti figli che nelle Leghe di Perseveranza, per lo zelo dei Padri della Compagnia di Gesù, ritrovano nelle sorgenti della grazia e negl'insegnamenti il conforto al vivere cristiano, impartiamo di cuore la Benedizione Apostolica, che sorregga i santi propositi di fedeltà generosa e di esemplari virtù.

Dal Vaticano, 19 Gennaio 1941.

PIUS PP. XII.

L. ✠ S.

Io poi mi valgo della circostanza per confermarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

3. **16 ianuarii 1941.**

De periodicis et libris a Pont. Instituto Biblico Summo Pontifici exhibitis. — Epist. Card. Secret. Stat. ad R. P. Augustinum Bea (Prov. Germ. Sup.), Instituti Rectorem.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 33181

Dal Vaticano, 16 Gennaio 1941.

REV.MO PADRE,

Nuova testimonianza di una fedeltà devota tante volte dimostrata e affermata, è riuscito all'Augusto Pontefice l'omaggio da Lei umiliatoGli delle riviste pubblicate dall'Istituto Biblico (annata 1940) e del fascicolo del Lessico ebraico-aramaico (F. Zorell, S. I.) (1).

Sua Santità da tale omaggio, di cui La ringrazia di cuore, ha avuto felice modo di vedere le produzioni scientifiche, feconde per numero e pregevoli per qualità, di codesto diletto Istituto durante l'anno decorso.

Il Santo Padre si rallegra con Lei e con tutti coloro che hanno dedicato le loro energie e dato il loro contributo a queste pubblicazioni, per una messe tanto lieta di dotti lavori, i quali con competenza e opportunità illustrano le Parola di Dio e ne fanno ammirare le arcane profondità e gli insegnamenti preziosi per la conoscenza della vita divina e per il progresso nella

(1) P. Franciscus Zorell, e Prov. Germaniae Super., Professor in Pont. Instit. Biblico.

via di luminose virtù. Ognun di loro può applicare con legittimo vanto e con soddisfazione, che sproni a conquiste e ad ascensioni sempre maggiori, il bel detto del Salmo: « Bonum mihi lex oris tui super milia auri et argenti » (Ps. 118, 72).

Nel ricambiare gli auguri inviati nella ricorrenza delle feste natalizie e per il nuovo anno, il comun Padre fa voti, perchè una vitalità tanto utile alla causa di Dio mantenga, anzi accresca il suo promettente vigore, e a Lei e colleghi e così pure agli alunni di codesto Istituto invoca l'intimo dono della pace e della letizia evangelica e la salda costanza nei propositi degni di lode. Di tale auspicio è avvaloratrice la Benedizione Apostolica, impartita con particolare benevolenza.

Mi valgo volentieri della circostanza per confermarmi con sensi di sincera stima.

della Paternità Vostra Rev.ma
aff.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

Rev.mo Padre
P. Agostino Bea, S. I.
Rettore del Pont. Istituto Biblico - Roma.

4. 29 ianuarii 1941.

Facultas celebrandi diebus aliturgicis pro Patribus ritui Orientali addictis. — Rescript. S. C. pro Eccl. Orient.

Sacra Congregatio
« pro Ecclesia Orientali »

N°. 840/39

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Societatis Iesu ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit ut sacerdotes ritus Orientalis, eiusdem Societatis, indultum habeant celebrandi Sacrosanctum Missae Sacrificium etiam diebus aliturgicis, tempore quadragesimali, excepta tamen feria sexta Maioris Hebdomadae.

Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, vigore facultatum a SS.mo D. N. Pio Div. Prov. PP. XII sibi tributarum, benigne gratiam indulget, iuxta preces; servatis de iure servandis.

Praesentibus ad quinquennium valituris.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 29 mensis Ianuarii anno 1941.

EUGENIUS Card. TISSERANT, *a secretis*.

L. ✠ S.

I. CESARINI, *Adsessor*.

5. 22 februarii 1941.

De « Annuario Apostolatus Orationis » Summo Pontifici exhibito. — Epist. Card. Secret. Stat. ad P. Iacobum Zeij (Prov. Neerland.), Dir. Gen. Deleg. Apost. Orat.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, 22 Febbraio 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

L'« Annuarium Apostolatus Orationis », compilato con diligente cura dalla Direzione Generale sembra, ancor più degli anni passati, attestare dalle sue molte pagine dense di riflessi, di nomi, di dati, di cifre i felici risultati che la pia Associazione va ottenendo nel vasto campo dell'apostolato cristiano.

Da quelle medesime pagine il Santo Padre trae fondato motivo di rallegrarsi per aver Egli così bene riposta la Sua fiducia nello zelo col quale, a traverso le sue varie forme di attività, l'Apostolato della Preghiera va maturando le sue sante conquiste.

Con vivo compiacimento gode l'Augusto Pontefice di sottolineare la plebiscitaria partecipazione dei piccoli Crociati dell'Eucaristia al Suo appello alla preghiera per la pace, così come non può non esprimere la Sua paterna gratitudine per l'incremento della pia iniziativa delle Sante Messe celebrate — aurea

catena durante tutto il corso dell'anno — secondo le Sue particolari intenzioni (1).

Una parola di sentito rimpianto vuole aggiungere il Santo Padre per la morte del venerato Padre Boubée (2), da Lui ben conosciuto e grandemente apprezzato, sopratutto a causa del suo zelo per il culto della divina Eucaristia, che lo ebbe apostolo instancabile, fervido, geniale. Al servo buono e fedele non mancherà di certo il gaudio delle eterne ricompense.

Con tali sentimenti, l'Augusto Pontefice forma per la fiorente Associazione nuovi fervidi voti di sempre più felici incrementi, e, in segno di sovrana benevolenza, invia con effusione di cuore alla Paternità Vostra e a quanti della Compagnia Le sono di valido aiuto, come pure a tutti i Direttori diocesani e locali, ai membri tutti dell'Apostolato ed in particolare agli ascritti piccoli e grandi alla Sezione della Crociata Eucaristica la implorata Benedizione Apostolica.

Profitto volentieri dell'occasione per confermarmi con sensi di religioso ossequio

Della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

Reverendissimo Padre
P. Giacomo I. Zeij S. I.
Dir. Gen. Del. d. A. d. P. - Roma.

Latina interpretatio (3):

Annuarium Apostolatus Orationis, diligenti cura a Directione Generali confectum, plus etiam quam annis praecedentibus ostendere videtur numerum maiorem paginarum, quae considerationibus, nominibus, indiciis, notis refertae, felices testantur effectus quos in vasto apostolatus christiani pia haec Sodalitas sensim reportat.

(1) Cf. hic supra, pp. 5 sq.

(2) P. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.), Secret. gen. Cruciatae Euchar. Apost. Orat., Romae obiit die 26 oct. 1940: cf. *Memorab. S. I.*, fascic. novembris 1940, pag. 66.

(3) Interpretationem latinam depromimus ex periodico «*Nuntius ad Nuntios*», an. XVII, apr.-mai. 1941, pp. 34 sq.

Ex iisdem paginis Sanctissimus Pater iustam gaudendi haurit rationem, quod tam recte posuit fiduciam in zelo, quo Apostolatus Orationis in variis suae operositatis generibus sanctas suas victorias maturat.

Magno cum gaudio Augustus Pontifex subnotat plenam parvorum Eucharistiae Crucigerorum participationem obsecundantem Eius adhortationi ad orandum pro pace, neque silentio praetermittere potest grati animi significationem propter incrementum pii operis Sanctarum Missarum litatarum — aurea sane catena per totum annum decurrens! — pro suis peculiaribus intentionibus.

Sanctissimus Pater verbum saltem addere vult animi dolorem exprimens ob mortem venerati Patris Boubée (4), Ei tam bene noti et magnopere ab Eo aestimati, praesertim propter ipsius pro cultu divinae Eucharistiae zelum, cuius revera fuit indefessus, fervidus et vere singularis apostolus. Non deerit profecto servo bono et fideli, aeternorum gaudiorum remuneratio.

Talibus permotus sensibus, Augustus Pontifex florenti Associationi auguratur incrementum in dies maius, et ut signum summae benevolentiae effuso ac paterno corde, tibi omnibusque Societatis alumnis qui te valide adiuvant, sicut etiam omnibus Directoribus Dioecesanis et Localibus, et Apostolatus Orationis Sociis, praesertimque parvis et adultis ascriptis Sectioni Cruciatae Eucharisticae, imploratam Benedictionem Apostolicam largitur.

Libenter utor hac occasione, ut cum religioso obsequio me profitear... Tibi in Domino addictissimum...

6. **10 martii 1941.**

Renovatur facultas celebrandi unam Missam noctu in sacris ad populum missionibus. — Rescript. S. C. de Sacram.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Mandante Patre Nostro, cum R. V. communico Rescriptum non ita pridem a Sacra Congregatione de Sacramentis per P. Procuratorem Generalem impetratum, quo prorogatur ad aliud septen-

(4) V. hic supra, nota 2a.

nium concessio nobis anno 1934 facta (*Acta Rom.*, vol. VII, pp. 634 sq.) celebrandi unam Missam in vigiliis nocturnis tempore Missionum ad populum.

Velit R. V. tempestive de hac renovata concessione eos e Nostris certiores facere, quorum interesse poterit, eosque attentos reddat ut semper, praeter consensum Ordinarii ad huiusmodi vigilias nocturnas peragendas, quodvis irreverentiae periculum diligenter removeant, quemadmodum in praecedenti Rescripto, ad quod hic reicitur, aperte cavebatur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die Paschatis 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

S. C. DE SACRAMENTIS
—
No. 412/41

BEATISSIME PATER,

Procurator Generalis Societatis Iesu, humiliter postulat a Sanctitate Vestra prorogationem Rescripti Sacrae Congregationis de Sacramentis ex Audientia SS.mi, diei 5 februarii 1934 n. 283, quo facultas concessa est ut sodales S. I., dum sacras Missiones ad populum peragunt, possint ipsi vel alius sacerdos Missam celebrare in vigiliis nocturnis, quae de consensu Ordinarii fiunt, iisdem perdurantibus causis.

SACRA CONGREGATIO DE SACRAMENTIS.

Ex Audientia SS.mi diei 10 *martii* 1941

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII audita relatione infrascripti Card. Praefecti Sacrae Congregationis de Sacramentis, attentis expositis, Oratori gratiam prorogationis benigne impertitur *ad aliud septennium*, servatis in reliquis forma ac tenore praecedentis Rescripti.

D. Card. JORIO, *Praefectus.*

L. ✠ S.

I. BRACCI, *Secretarius.*

7. 12 martii 1941.

Approbantur a Summo Pontifice Intentiones generales et missionariae Apostolatus Orationis in annum 1942. — Epist. Card. Secret. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

N°. 35140

Dal Vaticano, 12 Marzo 1941.

Reverendissimo Padre,

Ho umiliato a Sua Santità lo schema delle Intenzioni dell'Apostolato della Preghiera per l'anno 1942; e mi affretto ad assicurare alla Paternità Vostra Reverendissima che la Santità Sua si è degnata approvarle senza correzioni o modifiche.

Ben lieto che la santa e preziosa iniziativa continui a raccogliere le simpatie delle anime buone, devote a Gesù Cristo e alla sua Chiesa, l'Augusto Pontefice forma i più ardenti voti per i suoi felici progressi, e mentre si compiace ancora una volta con i figli di S. Ignazio che ne curano con tanto zelo la vita, invia ben di cuore alla Paternità Vostra e a quanti in qualsiasi modo cooperano a così opportuno apostolato, la confortatrice Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio mi confermo

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

Reverendissimo Padre
P. Wlodimiro Ledóchowski
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

INTENTIONES GENERALES APOSTOLATUS ORATIONIS IN ANNUM 1942.

Ianuario . Pro intentionibus generalibus et particularibus Sanctissimi Patris.

Februario . Ut Spiritus Sanctus illuminet et roboret moderatores populorum.

MARTIO . . . Ut veritas et iustitia ubique regnent.
APRILI . . . Ut caritate operosa excellant Christi sectatores.
MAIO . . . . Ut modestia christiana nota sit omnibus hominibus.
IUNIO . . . Ut digne reparemus iniurias SS. Cordi in Eucharistia illatas.
IULIO . . . Ut praeceptum diebus dominicis et festis S. Missam adeundi melius observetur.
AUGUSTO. . Ut hominum timore posthabito bonum faciamus malumque fugiamus.
SEPTEMBRI. Ut iuventus catholica Ecclesiam Matrem et Magistram in dies magis revereatur.
OCTOBRI . . Ut SS. Angelorum adiutorium ferventius imploremus.
NOVEMBRI . Ut vera Fides in Europa servetur.
DECEMBRI . « Ut omnes unum sint ».

INTENTIONES MISSIONARIAE APOSTOLATUS ORATIONIS IN ANNUM 1942.

IANUARIO . Pro Episcopis indigenis, et fidelibus eorum curae concreditis.
FEBRUARIO . Pro clero indigena inter nigritas Africae et Americae.
MARTIO . . . Pro clero indigena in India, Birmania et Ceylon.
APRILI . . . Pro clero indigena in Indocina et Siam.
MAIO . . . . Pro clero indigena in Republica Sinensi.
IUNIO . . . Pro clero indigena in Iaponia et Corea.
IULIO . . . Pro clero indigena in Oceania.
AUGUSTO. . Pro clero indigena rituum orientalium in Proximo Oriente.
SEPTEMBRI. Pro monialibus et fratribus laicis indigenis.
OCTOBRI . . Ut Opus Sancti Petri Apostoli pro clero indigena ubique magis diffundatur.
NOVEMBRI . Ut ars indigena ad religionem catholicam interpretandam promoveatur.
DECEMBRI . Ut ad Regnum Christi magis extendendum crescat numerus missionariorum exterorum.

8. **29 martii 1941.**

Peculiares facultates liturgicae conceduntur pro sollemni triduo occasione IV Centenarii Societatis Romae celebrando. — Rescript. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
No 344/41

SOCIETATIS IESU.

Labente quarto saeculari anno ab Approbatione Apostolica Societati Iesu concessa, R. P. Augustinus Tesio eiusdem Societatis Procurator Generalis, occasione triduanorum solemnium quae diebus vigesima, vigesima prima, et vigesima secunda advenientis mensis aprilis in Ecclesia Sanctissimi Nominis Iesu de Urbe habebuntur, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XII instanter adprecatus est ut in omnibus Missis liceat adiungi Collecta pro Gratiarum Actione, et diebus vigesima prima et vigesima secunda, id est feria secunda et tertia post Dominicam in Albis, non autem die vigesima qua occurrit Dominica in Albis, liceat celebrare Missam votivam Sancti Ignatii de Loyola, Confessoris et Fundatoris Societatis Iesu, cum Gloria et Credo, necnon Commemorationibus secundum Rubricas, omissis Collectis imperatis.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributis, attentis expositis peculiaribus adiunctis, benigne in omnibus pro gratia annuere dignata est, servatis servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 29 Martii 1941.

✠ CAROLUS Card. SALOTTI
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

A. CARINCI, *S. R. C. Secretarius.*

9. 5 aprilis 1941.

Summus Pontifex gratias agit Congregationibus Marianis de gratulationibus filiorum instar Sibi exhibitis. — Epist. Apost. Autogr. ad P. Augustinum Garagnani (Prov. Ven.-Med.), Congreg. Primae-Primariae Directorem.

AL DILETTO FIGLIO
AGOSTINO GARAGNANI
DELLA COMPAGNIA DI GESÙ.

Abbiamo accolto con particolare compiacenza il devoto omaggio che, in occasione del 2° anniversario della Nostra Elezione [1], Ci è venuto dalla tua filiale pietà e, per tuo mezzo, da quelle Congregazioni Mariane che sono di tante anime giovanili la salvaguardia e il decoro. L'occasione Ci è propizia per dirti in quanto conto teniamo l'attività sacerdotale ed apostolica che tu consacri con tanto fervore di parola e con sì generoso dispendio di energie a quest'opera di dilatazione e di stabilimento del Regno di Dio nelle anime. Del tuo fedele e perseverante lavoro sono molti i frutti di bene che Ci è dato ancora sperare; e a questo fine volentieri chiediamo al Signore di avvalorare le tue forze e di fecondare vie più le tue fatiche. Da te non dissociamo nel Nostro pensiero e nelle Nostre preghiere quelli specialmente tra i membri delle Congregazioni Mariane che della protezione del Cielo hanno in questi giorni più urgente il bisogno. Per essi invochiamo con singolare affetto la tutela della Vergine Santissima, e mentre innalziamo a Dio le Nostre preghiere per la loro incolumità, e per la tua persona chiediamo al Signore l'abbondanza delle sue grazie, impartiamo di cuore a te e a tutti i membri delle Congregazioni Mariane sparsi per il mondo, la confortatrice Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, 5 Aprile 1941.

PIUS PP. XII.

---

(1) Die 2 martii.

10. 22 aprilis 1941.

Gratiae aguntur de sensibus filiorum instar Summo Pontifici exhibitis occasione Allocutionis Radiophonicae Paschalis. — Epist. Card. Secret. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
—
No. 36233

Dal Vaticano, 22 Aprile 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

Il Santo Padre mi affida il venerato incarico di significarLe che Egli ha particolarmente graditi i filiali sentimenti, che la Paternità Vostra Reverendissima ha voluto esprimerGli a nome di tutta la Compagnia di Gesù, in seguito al Suo augusto Messaggio del giorno di Pasqua.

Le preghiere di codesti diletti figli sono di vivo conforto al cuore di Sua Santità, e Le danno caro motivo di sperare che il Signore, mosso dalle implorazioni di tanti Suoi figli fedeli, si piegherà misericordioso verso questa dolorante umanità.

Con tale paterna fiducia, la medesima Santità Sua invia con effusione di cuore alla Paternità Vostra e a tutti i suoi confratelli, principalmente a coloro che più sono provati, il conforto dell'Apostolica Benedizione.

Io poi mi valgo volentieri dell'incontro per confermarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI, S. I.
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

11. 27 aprilis 1941.

Summus Pontifex Nostros Romae degentes et nostrorum operum repraesentantes benevolentissime excipit occasione celebrationis IV[i] Centenarii Societatis. — Audientia et Allocutio S. P. Pii XII [1].

ORATIO PATRIS NOSTRI AD SUMMUM PONTIFICEM.

Beatissimo Padre,

Prostrato ai Vostri sacri piedi, dall'intimo del cuore prego la Santità Vostra di voler benignamente gradire a nome di tutta la Compagnia l'espressione della nostra più viva e filiale riconoscenza per esserVi degnato di ammettere alla Vostra augusta presenza nell'occasione del IV Centenario del nostro Ordine i Padri e Fratelli residenti in Roma e nelle vicinanze ed anche gruppi di ascritti alle principali opere che la Compagnia dirige e promuove. Sentiamo veramente di rappresentare qui come in iscorcio tutta la Compagnia: Superiori e sudditi, Professori ed alunni, Operai evangelici e Scrittori, Scolastici e Fratelli Coadiutori e Novizi, Università, Collegi e Convitti, l'Istituto di Cultura Religiosa, l'Opera degli Esercizi Spirituali colle Leghe di Perseveranza, l'Apostolato della Preghiera, le Congregazioni Mariane, la Lega Missionaria Studenti e gli antichi Alunni, che sono la gloria e la corona nostra. Ed anche i nostri Fratelli lontani sono certamente qui a noi uniti in spirito ai piedi del Vicario di Cristo per rinnovare insieme con noi la professione di incondizionata obbedienza e devozione al Capo Supremo della Chiesa.

Se per le condizioni attuali del mondo non ci fu permesso di celebrare, qui a Roma, e in molti altri paesi, queste nostre feste Centenarie con quella solennità che si potè svolgere altrove, specialmente nella Spagna e nell'America, la nostra modesta commemorazione Romana però, con questa Udienza da Vostra Santità così amorevolmente concessaci, assurge al primo posto: questo convegno nella Casa del Padre non meno che la splendita Lettera Apo-

[1] Ex ephem. « *L'Osservatore Romano* », 28-29 apr. 1941; cf. quoque *Memorab. S. I.*, fascic. decembris 1941, pp. 75 sqq.; item peculiaris editus est libellus « Celebrazioni giubilari Romane per il IV Cent. dell'approvazione canonica d. C. d. G. ».

stolica indirizzataci dalla Santità Vostra (2) rimarranno per tutti noi il più caro e il più duraturo ricordo di questo nostro quarto Centenario.

Come tenue pegno della nostra filiale devozione e gratitudine umiliamo ai piedi di Vostra Santità questo mazzetto di fiori spirituali raccolti da noi e dagli ascritti alle varie opere da noi dirette (3). Anch'esso però, risente delle angustie e difficoltà dei tempi presenti che impediscono o almeno ritardano molto le comunicazioni colle varie Provincie, così che racchiude appena la quarta parte delle preghiere e d opere buone offerte secondo le sublimi apostoliche intenzioni di Vostra Santità.

E insieme preghiamo Vostra Santità che si degni gradire questo modesto reliquario con le Reliquie dei nostri Santi (4), simbolo delle nostre intime aspirazioni: esso vorrebbe dire a Vostra Santità che anche noi, nonostante tutte le nostre deficienze, aspiriamo ad imitare i nostri Padri e Fratelli maggiori che già godono della gloria eterna, e a seguirli per quella via che essi ci hanno sì luminosamente segnata.

Vostra Santità nel Suo memorando discorso del 24 dicembre 1940, rilevava che le condizioni presenti pongono all'apostolato « gigantesche esigenze » principalmente quando si dovranno sanare le profonde piaghe spirituali e sociali che sono eredità di ogni guerra. A questa grandiosa opera vorremmo noi pure concorrere nella misura delle nostre deboli forze ai pieni ordini di Vostra Santità, pronti ad ogni cimento come fecero in tempi anch'essi molto burrascosi i nostri primi Padri, ai quali godiamo di poter annoverare il Santo, di cui oggi ricorre l'anniversaria solennità, San Pietro Canisio.

Essi erano un esiguo manipolo: ora noi contiamo molte migliaia di Soci. Ma sappiamo bene che quello che conta è lo spirito, non il numero: quello spirito che anche a meschini strumenti fa operare cose grandi. Perciò siamo venuti a pregare umilmente Vostra Santità che voglia avvalorarci con l'Apostolica Benedizione affinchè lo spirito dei nostri primi Padri si conservi sempre vivo e attivo in noi, sempre operoso alla maggior gloria di Dio e alla eterna salute delle anime. E questa Benedizione vogliate, Beatissimo Padre, estenderla a tutta la Compagnia, in tante parti del mondo

---

(2) Epistola Apost. « *Nosti profecto* » d. d. 6 iulii 1940: cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1940, pp. 504-514.

(3) Vide horum obsequiorum summam in *Memorab. S. I.*, fascic. decembris 1941, pag. 76.

(4) Cf. *ibid.*

ora così profondamente afflitta e in tanti modi tribolata: vogliate estenderla a tutte le anime a noi affidate nei nostri Collegi, nei nostri ministeri nelle opere da noi dirette e qui rappresentate, che in ogni parte del mondo con l'alta approvazione della Santa Sede e sotto la direzione dei Vescovi procurano di difendere ed estendere sempre più il Regno di Gesù Cristo Nostro Signore, supremo fine per il quale il glorioso Predecessore di Vostra Santità Paolo III quattro secoli or sono approvò la Compagnia di Gesù, e al quale vogliamo, corroborati dalla Benedizione Apostolica, consacrare anche per l'avvenire tutte le nostre energie, tutta la nostra vita.

Latina interpretatio (5):

Beatissime Pater,

Ad pedes Sanctitatis Vestrae postratus, Sanctitatem Vestram ex intimo corde precor ut, totius Societatis nomine, benigne accipere velit significationem nostri animi erga Sanctitatem Vestram quam ardentissime quamque piissime grati, eo quod dignata sit, occasione IV Centenarii nostri Ordinis, ad Se admittere Patres ac Fratres, qui Romae et in vicinia commorantur, nec non manipulo ascriptorum praecipuis operibus, quae Societas moderatur et fovet. Sentimus profecto nos hodie, ut primas quasdam imagines in tabula depictas, personam gerere totius Societatis: Superiorum et subditorum, magistrorum et alumnorum, evangelicorum Operariorum et Scriptorum, Scholasticorum et Fratrum Coadiutorum et Noviciorum, Universitatum et Collegiorum et Convictuum, Instituti Culturae Religiosae, Operis Exercitiorum Spiritualium cum Perseverantiae Foederibus, Apostolatus Orationis, Sodalitatum Marianarum, Foederis Missionalis Studentium, atque adeo Antiquorum Alumnorum, qui sunt gloria et corona nostra. Illi quoque Fratres nostri, qui corpore longe absunt, adsunt spiritu nobiscum coniuncti ad pedes Vicarii Christi, ad renovandam nobiscum professionem absolutae oboedientiae ac devotionis erga Supremum Ecclesiae Caput.

Si quidem ob hodiernas mundi condiciones non licuit nobis hic Romae et in aliis multis regionibus festos hos dies centenarios eo splendore celebrare, qui alibi, praesertim in Hispania et in America, adhiberi potuit; Romana tamen nostra modesta commemoratio, hac audientia, quam Sanctitas Vestra nobis tam amanter concessit, primum locum obtinet: haec congressio in Domo Patris non minus quam praeclarae Litterae Apostolicae, quas Sanctitas Vestra nobis dedit, manebunt in cunctis nobis monumentum huius quarti Centenarii carissimum omnium maximeque diuturnum.

---

(5) Notas supra appositas videsis (pp. 18 sq.) et suo quamque loco etiam ad hanc interpretationem aptare velis.

In tenue pignus nostrae filiorum devotionis gratique animi, ad pedes Sanctitatis Vestrae submittimus hunc fasciculum florum spiritualium, quos legimus simul cum iis qui variis operibus a nobis directis sunt ascripti. Nihilominus hic quoque fasciculus subiit horum temporum angustias atque difficultates, quae commercium cum aliis Provinciis impediunt aut saltem multum retardant; ita ut vix quartam partem contineat precum et bonorum operum secundum Sanctitatis Vestrae excelsas intentiones oblatorum.

Eodem tempore rogamus Sanctitatem Vestram ut dignetur accipere modestum hoc reliquiarium cum Reliquiis nostrorum Sanctorum, symbolum eius rei ad quam intima nostra studia feruntur: id enim vellet Sanctitati Vestrae dicere nos quoque, licet saepe deficiamus, in illud contendere, ut maiores nostros Patres ac Fratres, qui iam aeterna gloria fruuntur, imitemur, eosque, per viam quam nobis tam splendide demonstrarunt, subsequamur.

Sanctitas Vestra, in memoranda sua oratione die 24 decembris anni 1940 habita, observabat horum temporum condiciones imponere apostolatui « ingentia postulata », praesertim cum opus erit sanare spiritualia ac socialia vulnera, quae sunt bellorum omnium haereditas. Magnifico huic operi nos quoque vellemus aliquid afferre, pro modo infirmarum virium nostrarum, plene sub imperio Sanctitatis Vestrae constituti, ad quodvis periculum prompti, ut fecerunt temporibus et illis maxime turbidis primi nostri Patres, quibus gaudio annumerare possumus illum Sanctum, cuius anniversaria celebratio in hunc diem incurrit, S. Petrum Canisium.

Erant illi quidem parvus manipulus; nos vero multa numeramur millia Sociorum. Sed probe scimus aestimatione dignum non esse numerum, sed spiritum: illum spiritum dico, qui etiam humilibus instrumentis magna perficit. Propterea ad Sanctitatem Vestram humiliter rogatum venimus, ut Apostolica Benedictione nos confirmare velit, ut spiritus nostrorum primorum Patrum conservetur in nobis semper vegetus atque actuosus, semper operosus ad maiorem Dei gloriam atque aeternam animarum salutem. Hanc autem Benedictionem protendite, quaesumus, Beatissime Pater, ad Societatem totam nunc in tot mundi regionibus tam gravi aegritudine afflictam et tot diversis modis cruciatam; protendite ad omnes animas nobis commissas, in nostris Collegiis, in nostris ministeriis, in operibus a nobis directis, quorum adsunt delecti sodales, in illis inquam operibus, quae per omnes terrarum partes, Sanctitate Vestra excelsa sua auctoritate probante, Episcopis ducibus, Regnum D. N. Iesu Christi magis magisque defendere ac propagare nituntur; ad hunc enim finem assequendum praeclarus Sanctitatis Vestrae decessor Paulus III quattuor abhinc saeculis Societatem approbavit; atque ad hunc finem nos quoque, Apostolica Benedictione corroborati, volumus conferre totas vires nostras, totamque nostram vitam.

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS.

Alla gradita voce dei sentimenti di filiale devozione, che a nome della intiera Compagnia di Gesù il venerando e a Noi carissimo Preposito Generale, il quale da tanti anni così degnamente la regge, Ci ha espressi, presentandoCi in questa solenne ricorrenza centenaria i Padri e i Fratelli dimoranti in Roma e nei luoghi vicini insieme con vari gruppi di soci ascritti alle principali Opere da essa dirette e promosse; la Nostra risposta, diletti figli, non può essere altra che di gioia nel vedere adunata e rappresentata intorno a Noi tutta la vostra Compagnia, vicina e lontana; approvata già e stabilita qui in Roma dall'immortale Nostro Predecessore Paolo III; qui cresciuta, da qui dilatatasi nel mondo, qui risorta e rinnovellata in una vita emulatrice potente dei suoi maggiori nell'ossequio e nella sommissione al Romano Pontefice. In tal guisa voi avete voluto che anche Noi con voi festeggiassimo la letizia del compiersi del quarto secolo dalla costituzione dell'Ordine vostro. Noi esultiamo con voi, perchè ben sappiamo che la Compagnia volle e vuole sempre e interamente essere e vivere al servigio del Vicario di Cristo. Non intese forse questo il suo Santo Fondatore Ignazio, allorchè presentò, offrì e strinse con voto solenne al Pontefice la piccola ed eletta schiera dei suoi primi compagni, per farne strenui campioni dell'obbedienza a Pietro e ardimentosi araldi della fede di Cristo nel mondo? Così l'accolsero i Nostri Antecessori, che sostennero e protessero la nascente Società; tanto che Marcello II ebbe a dire al primo Preposito Generale: *Tu milites collige et bellatores instrue; Nos utemur* (cfr. NICCOLÒ ORLANDINI, *Historiae Societatis Iesu Prima Pars,* Romae 1614, l. XV, n. 3, pag. 495). Pensare, sentire, operare con la Chiesa e col Vicario di Cristo: fu questo da quattro secoli il dovere e il vanto, a cui la virtù Ignaziana consacrò la sua vita e restò fedele, nei mali immota, anche quando, sotto la ingiuria dei tempi, sotto l'invidia del secolo, fra i terrori della tempesta, una suprema mano paterna la immolava alla tranquillità della nave di Pietro. Fedele nella sventura, fu e rimase tale, — non mutata, ma conscia della mutazione e della novità dei tempi, — nel rivivere e nel riprendere quel vigore di vita, che, ricongiungendola con la giovinezza e

la maturità del passato, le assicurava un avvenire non meno fecondo di meriti e di sacrifici, nella incrollabile devozione alla Sede Apostolica.

Noi non intendiamo qui di tessere le vostre lodi, nè di chiamare al paragone quello spirito ardente che sotto diversa veste moltiplica gli eroi delle religiose legioni nella Chiesa. La storia dei vostri quattro secoli di vita e di opere parla essa stessa con la eloquenza dei fatti il linguaggio dei mirabili vostri successi nell'agire e nel soffrire romanamente cattolico. Ma l'anima di quella storia che altro è se non lo spirito del grande Ferito di Pamplona, quello spirito che nel suo letto di cura tramutò il cavaliere dell'onore mondano in buon soldato di Cristo e della sua maggior gloria? Non è forse quello spirito interno, da lui trasfuso nei suoi primi compagni, la segreta forza della efficacia spirituale del loro lavoro e dei frutti da essi ottenuti? Se ne vuole da alcuni attribuire la cagione alle circostanze dei tempi. Senza dubbio queste variamente contribuirono a formare e mettere in luce un Benedetto, un Bernardo, un Domenico, un Francesco ed anche un Ignazio di Loiola; ma lo spirito loro e l'impeto del loro ardore, che colpì « dove le resistenze eran più grosse », non nacquero da quelle circostanze, bensì da una mente e da un cuore loro propri, che attingevano luce e ardimento dallo Spirito di Dio, onde erano non meno accesi di fronte al tumulto e alle miserie dei tempi, che spronati a poggiare sul comune fondamento dei tre voti religiosi il propugnacolo dell'opera loro e delle loro sante imprese a bene della Chiesa e dei popoli. Da quella salda rocca uscirono le loro forze; come dalla giovane Compagnia di Gesù scaturirono le due forze che, tra le altre, Ci piace in questa occasione di indicare in modo speciale quali entrambe decisive per l'attività vostra, diletti figli, anche nel tempo presente.

La prima è che Ignazio, anima di fuoco, che avrebbe voluto accendere e infiammare l'universo, si lanciò imperterrito dappertutto, dovunque si trattasse di un affare decisivo. Tale è il carattere degli eroi di Cristo; tale il carattere d'Ignazio, che, al pari di Paolo, voleva i suoi figli *homines mundo crucifixos et quibus mundus ipse sit crucifixus,* santificati dallo spirito e dalla pratica della povertà, dalla perfetta obbedienza, dalla mortificazione anche esterna. Egli si leva contrasto vivente contro la pu-

sillanime fuga nella quiete del secondario e dell'accessorio, rifugio per non sobbarcarsi al duro e a ciò che, come più importante, più costa.

Nulla è più significativo e caratteristico a tale riguardo che il libro dei suoi Esercizi Spirituali, codice delle battaglie e delle vittorie intime e capitali dell'uomo, in cui si decide o si raddrizza il corso della vita verso il fine per cui siamo quaggiù. In tale palestra dell'anima, dove l'intelletto e la volontà, messo da parte tutto ciò che non è essenziale, lottano e gareggiano, meditando e contemplando, ripugnando e consentendo, chi vi entra e con generosità vi si sottomette, finisce col restare vinto e convinto, teoricamente e praticamente, a inviscerare in sè le decisive verità che imbevono lo spirito ed erompono dal contrasto della vita e della morte, del tempo e dell'eternità, dell'uomo decaduto e anelante a risorgere e di Cristo rivelante, paziente e redivivo per trarlo con sè al trionfo. Così si plasmò personalmente Ignazio; perchè in questa rinascita spirituale sta tutto il valore sostanziale dell'uomo, come ebbe già a sentenziare il più saggio dei Re, dopo aver contemplato e provato la infinita vanità del tutto: *Deum time, et mandata eius observa*: *hoc est enim omnis homo* (*Eccle.* 12, 13). Da tale palestra egli uscì alla scelta dei suoi compagni, alla fondazione e al governo, come Preposito Generale, del suo Ordine, a raccogliere e concentrare le forze per quel che ha alto peso, per i disegni e le imprese decisive, che additò, segnò e affidò all'ascetica interiore e allo zelo apostolico dei suoi figli.

Da questo intimo fondamentale principio i religiosi della Compagnia, silenziosamente, ma con gran coraggio e fiducia in Dio, con pieno impiego delle loro forze, sono proceduti al compimento di ottime opere per la Chiesa, per la società, per la conversione degli infedeli nei vasti territori di Missione, per la difesa della fede. Sempre questo ne è stato il fondamento, quando l'Ordine ha effettuato qualche cosa di grande, di profondo e di stabile. Sotto un tale rispetto, fra le multiformi opere intraprese fin dall'inizio dalla Compagnia, una che Ci sembra particolarmente riflettere quel sostanziale principio, è il lavoro nel campo della scuola e della educazione; lavoro il quale penetra nello spirito della gioventù, per plasmarla a quella umanità, che, insidiata dalle prime passioni, si vuole illuminare, reggere e

guidare verso la virtù e verso Dio. Se è vero che il giovanetto, presa che ha la sua strada, non se ne allontanerà, nemmeno quando sarà invecchiato (*Prov.* 22, 6), male si separano nel fanciullo le discipline delle lettere e dei costumi, l'istruzione della mente e la educazione del cuore. A tale pericolo e danno, a cui sono esposti i figli delle famiglie cristiane nel decorso della loro adolescenza, largamente pensò il genio e lo zelo di Ignazio, amico e studioso del più solido e santo fondamento del crescere della gioventù; ed è vanto della Compagnia, riconosciuto specialmente dal Nostro glorioso Predecessore Gregorio XIII, che uno dei principali suoi doveri ed uffici sia quello di educare alla religione e alle scienze: *religioni ac bonis artibus.* Così operarono i vostri maggiori, e ne fu in Roma insigne monumento e documento il Collegio Romano. Era un'attività che si sviluppava nel silenzio e senza clamore; e a Noi piace di non tacerla, ma metterla in alta voce di seconda grande ragione dei vostri meriti verso Cristo e la Chiesa, verso la famiglia e la società. La verità religiosa e morale, che al fianco delle belle lettere si imprime nelle anime giovanili, vi penetra più profonda, perchè più viva e sempre pronta, anche quando le bufere delle passioni la sommergono, ad emergere sopra i flutti degli anni più maturi, allorchè, al declinare della vita, passa la figura di questo mondo. Tale attività scolastica si svolgeva, come pur oggi si svolge, secondo metodi strettamente vagliati e sperimentati, e il vostro Ordine non ha esitato ad impegnarvi molti e ottimi ingegni nei Collegi, negli Atenei, nelle Università di Europa, del Nuovo Mondo e dell'Oriente, compiendo un'opera, nella quale un moderno e celebre scrittore tedesco, di tutt'altra fede, non dubitò di vedere « qualche cosa del silenzioso, ma inarrestabile modo di agire delle forze della natura; senza passione nè tumulto, senza agitazione nè precipitazione, essa di passo in passo avanza » (PAULSEN, *Geschichte des gelehrten Unterrichts,* 3 Auflg., Leipzig 1919, I, pag. 418). Ben sappiamo che in questo lavoro silente e tranquillo, se tranquillità si trova nell'arringo e nella lotta per la verità e per il bene, voi recate fiducia nella buona causa cui attendete, idonee energie di mente e di cuore, sicchè raccogliete quegli ottimi frutti che, come in passato, così al presente e per l'avvenire, sono atti a determinare, garantire, soste-

nere e confortare l'azione, il valore e il nome della Compagnia nell'ambito dell'intero apostolato della Chiesa cattolica.

E' un apostolato della fede e della carità, che le immani rovine, venute accumulandosi negli spiriti umani e nei beni terrestri, domandano gigante e pari all'acerbità dei dolori e delle angosce, meste reliquie delle presenti discordie dei popoli. In così grande opera di risanamento e di restaurazione spirituale con sommo gradimento accogliamo il concorso offerto dalla Compagnia, riconoscendo nel promesso aiuto quell'ardore di spirito, di carità e di sacrificio che la infiamma, e già fece gloriosi e benemeriti della Chiesa e della società il vostro eroico e santo Fondatore, i vostri campioni innalzati sugli altari, in mezzo ai quali tanto splende il Santo di oggi ricordato dalla parola del vostro Preposito Generale, Pietro Canisio, perfetto discepolo di Ignazio nel concentrare tutte le sue forze verso i grandi scopi da lui intesi e perseguiti.

Di questi vostri Santi voi Ci avete presentato, come simbolo delle vostre intime aspirazioni e ricordo del centenario che festeggiate, una teca delle loro sacre spoglie; spoglie un dì animate da quegli spiriti immortali che in cielo già contemplano la faccia di Dio e innanzi al suo trono avvalorano con la loro voce le preghiere, i sacrifici divini e spirituali, che Ci avete offerti quale mazzo di fiori dal profumo delle vostre virtù e della vostra devozione alle intenzioni della Nostra mente e del Nostro cuore. Dell'uno e dell'altro dono Noi vi rendiamo paterne grazie, come della vostra presenza, la quale rende a Noi comuni non solo le vostre gioie, ma anche le profonde afflizioni e tribolazioni, che nell'ora presente si mescolano al vostro gaudio, perchè non discorde nè dissimile dalla vita della Chiesa è quella del vostro Istituto religioso.

In tal modo la storia della Compagnia, come trae la sua vita di quattro secoli dallo spirito di Cristo, che le diede il suo nome, s'innesta nella storia della Chiesa col suo gran Fondatore e coi suoi Santi e Martiri, con la schiera dei suoi araldi infaticabili della fede, coi suoi Dottori e Maestri, con le sue scuole di studi inferiori e superiori, con le Congregazioni Mariane, coi ritiri degli Esercizi Spirituali e con l'Apostolato della preghiera, con l'Istituto di Cultura religiosa e la Lega Missionaria degli Studenti, e con tante altre Opere, per le quali tutte

anche Noi, diremo con l'Apostolo Paolo, udendo e conoscendo la vostra fede nel Signore Gesù e l'amore verso tutta la Chiesa dei fedeli, non cessiamo di render grazie per voi, facendo di voi memoria nelle Nostre orazioni, affinchè il Dio del Signor Nostro Gesù Cristo, il Padre della gloria, dia a voi sempre più abbondante lo spirito di sapienza e di rivelazione per il conoscimento di lui e la sua maggior gloria (cfr. *Ephes.* 1, 15-17). Onde, come pegno dei celesti favori, invocando la munificenza divina sopra il vostro venerato Preposito Generale e la Curia Generalizia, sopra tutti i Superiori e le Provincie religiose, sopra tutti i Collegi e gli Atenei degli studi, le Opere e le Missioni, sopra tutta la Compagnia di Gesù operante e soffrente sparsa per il mondo, impavida alle procelle non mai temute ma augurate dal suo Fondatore, perchè dai trascorsi quattro suoi secoli di vita santamente feconda prenda l'impulso a nuove e non meno fruttuose imprese nel servigio di Cristo e della Chiesa, impartiamo con effusione di paterno affetto a voi tutti, diletti figli, presenti e lontani, la Nostra Apostolica Benedizione.

Latina interpretatio:

Gratae voci, qua, totius Societatis Iesu nomine, venerandus Nobisque carissimus Praepositus Generalis, qui tot iam annos tam digne eam regit, expressit Nobis sensa piae devotionis, cum, occasione huius centenariae commemorationis, introduceret Nobis Patres et Fratres Romae et in vicinia commorantes una cum variis manipulis sodalium ascriptorum praecipius operibus, quae ipsa gubernat atque sustentat; responsio Nostra, dilecti filii, alia esse non potest nisi responsio gaudii, cum videamus congregatam atque expressam circum Nos Societatem vestram totam, et quae prope est et quae longe abest; Societatem vestram hic Romae olim confirmatam et constitutam ab immortali decessore Nostro Paulo III; hic adultam, hinc per mundum propagatam, hic renatam ac renovatam ad vitam, quae maiorum suorum observantiam atque oboedientiam erga Romanum Pontificem valenter aemulatur. Itaque voluistis ut Nos quoque vobiscum laetitiam communicaremus ob expletum quartum saeculum ab Ordine vestro condito. Nos vero vobiscum gaudio exsultamus, quia probe scimus Societatem voluisse et velle totam semper esse atque vivere in obsequium Vicarii Christi. Nonne hoc intendebat animo Sanctus eius Conditor Ignatius, cum porrexit,

obtulit, voto solemni alligavit Summo Pontifici, parvam ac dilectam manum suorum primorum sociorum, ut eos fortes efficeret propugnatores oboedientiae Petro debitae atque audaces praecones fidei christianae in terris? Hac ratione eam acceperunt illi Nostri Decessores, qui nascentem Societatem sustinuerunt ac protexerunt; ita ut Marcellus II potuisset dicere primo Praeposito Generali: « Tu milites collige et bellatores instrue; Nos utemur » (cfr. NIC. ORLANDINI, *Historiae Societatis Iesu Prima Pars*, Romae 1614, l. XV, n. 3, pag. 495). Cogitare, sentire, laborare cum Ecclesia et cum Christi Vicario: en quod fuerit per quattuor saecula officium et gloria, cui virtus ignatiana suam vitam devovit, fidelis permanens atque in adversis immota, tunc etiam cum, saevientibus temporibus, mundi invidia ingrassante, terrores incutiente procella, suprema manus paterna tranquillitati navis Petri eam immolabat. Quae cum esset in adversa fortuna fidelis, fidelis pariter mansit — non quidem mutata, at vero sibi conscia mutationis novitatisque temporum —, cum reviivisceret, cum vitam illam vitalem recuperaret, quae, praeteritae iuventuti ac maturitati eam adiungens, futurum tempus ei confirmabat meritis et sacrificiis haud minus fecundum, in devotione sua inconcussa erga Sedem Apostolicam.

Propositum Nobis non est hodie laudes vestras celebrare neque comparationem instituere ardentis illius spiritus, qui sub diversa veste heroas legionum religiosarum in Ecclesia multiplicat. Historia quidem vestrae vitae atque operum, per haec quattuor saecula, ipsa per se loquitur, et factorum utens eloquentia miras exponit victorias, quas laboribus ac doloribus romane catholicis reportastis. Huius autem historiae animus quis alius est quam magni illius Pampilonensis Vulnerati spiritus, qui, dum in lectulo sanandus iaceret, equitem mundani honoris in bonum militem Christi eiusque maioris gloriae commutavit? Nonne hic interior spiritus, ab illo in suos primos socios transfusus, occulta vis est, e qua oriebatur efficacitas spiritualis laborum ac fructuum ab eis captorum? Sunt qui velint horum fructuum causam tempora efferre. Non dubitandum quin tempora varia contulerint ad Benedictos, Bernardos, Dominicos, Franciscos, Ignatios quoque de Loiola informandos atque in lucem proferendos; at eorum spiritus, impetus illius eorum ardoris, qui in locum procucurrit ubi fortius repugnabant hostes, non est e temporum condicionibus exortus, sed ex ipsorum mente et corde, quae lumen et fortitudinem a Spiritu Dei accipiebant; quare non minus exardescebant cum suorum temporum tumultum et calamitates contemplabantur, quam stimulabantur ad propugnacula suorum operum sanctarumque rerum pro Ecclesiae et gentium

bono gestarum, fundamento trium votorum religiosorum sustentanda. Ex hac solida petra emanaverunt eorum vires; sicut e novella Societate fluxerunt duae illae vires, quas prae aliis gratum Nobis est hac occasione peculiari ratione indicare, ut quae maximi momenti sunt ad vestros labores, dilecti filii, his quoque temporibus.

Primum est Ignatium, ardentis animi virum, qui mundum universum incendere atque inflammare voluisset, latum esse impavidum in quemcumque locum ubi de extremo rei discrimine agebatur. Haec est indoles heroum Christi propria; haec est indoles propria Ignatii, qui, ut Paulus, volebat suos filios esse « homines mundo crucifixos et quibus mundus ipse sit crucifixus », sanctificatos spiritu usuque paupertatis, perfectae oboedientiae, mortificationis etiam externae. Stat ipse in vivum exemplar adversus eos qui timidi in secundarium atque adiunctarum rerum quietem confugiunt, ne illa suscipere debeant, quae, utpote maioris momenti, laboriosiora sunt.

Hoc autem nihilo proprius declaratur quam libro Exercitiorum Spiritualium, intimorum atque capitalium hominis certaminum et victoriarum codice, quo cursus vitae nostrae definitur atque in illum finem, cuius causa in terris sumus, recta dirigitur. Huic animi palaestrae, ubi intellectus et voluntas, praetermissis omnibus quae essentialia non sunt, meditando, contemplando, repugnando consentiendo, pugnant atque contendunt, quicumque ingrediens se generose submittit, manebit ad extremum victus et convictus, tam quod cognoscendi quam quod agendi vim spectat, illisque definitivis imbuetur veritatibus, quae spiritum infundunt atque e concursu erumpunt vitae cum morte, temporibus cum aeternitate, hominis delapsi et resurgere cupientis cum Christo revelante, patiente et resurgente, ut eum secum ad triumphum conducat. Ita se ipse finxit atque formavit Ignatius; in hac enim renovatione spirituali vera hominis praestantia consistit, ut non potuit non declarare ipse sapientissimus regum, postquam ratione et usu didicerat infinitam omnium rerum vanitatem: « Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo » (*Eccle.* 12, 13). Ex hac palaestra exiit ille ad socios elegendos, ad Ordinem suum condendum et in loco Praepositi Generalis gubernandum, ad vires denique intendendas ac dirigendas in illa quae erant maioris ponderis, in illa consilia ac definitiva opera, quae interiori ascesi et apostolico suorum filiorum zelo demonstravit, assignavit, commisit.

Ex hoc intimo principio fundamentali religiosi Societatis, nullo strepitu, at magna animi fortitudine ac fiducia Dei, suas vires totas insumentes, pervenerunt ad aggredienda optima opera pro

Ecclesia, pro humana societate, pro infidelium conversione in vastis Missionum regionibus, pro fidei defensione. Quotiescumque hic Ordo magnum quid aut profundum aut stabile perfecit, illo semper fundamento nitebatur. Hoc in genere, e multiformibus operibus, quae Societas ab initio suscepit, singulari ratione illud fundamentale principium proferre videtur labor in iuventutis educationem impensus; qui in spiritum iuvenum penetrat ut eos ad illam informet humanitatem, quam primarum passionum insidiis circumventam illuminare, regere, in virtutem atque in Deum dirigere necesse est. Si enim verum est adolescentem non recessurum a via sua, etiam cum senuerit (*Prov.* 22, 6), aegre seiungitur in puero disciplina litterarum ab ea morum, institutio mentis ab educatione cordis. Periculo, cui, in suae adolescentiae splendore, obnoxii sunt filii familiae christianae, abunde providit ingenium et zelus Ignatii, qui solidissimum omnium idque sanctissimum fundamentum educandae iuventutis studiose quaerebat; neque immerito gloriatur Societas, ut clarissimus Decessor Noster Gregorius XIII ipsis verbis agnovit, e praecipuis eius muneribus atque officiis esse pueros ad religionem et ad scientias informare: « religioni ac bonis artibus ». Hoc modo laboraverunt maiores vestri; cuius rei exstat insigne monumentum ac documentum: Collegium Romanum. Opus erat illud, quod silentio quidem, nullo strepitu, exercebatur, quod vero Nobis placet non tacere, sed clara voce praedicare alteram magnam causam meritorum vestrorum erga Christum et Ecclesiam, erga familiam et humanam societatem. Religiosae enim ac morales veritates, quae simul cum humanioribus litteris animis iuvenum imprimuntur, altius penetrant, et vivae manent semperque promptae, ut, tunc etiam cum passionum tempestates eas forte submerserint, denuo emergant e fluctibus maturiorum annorum, cum, aetate vergente, praeterit figura huius mundi. Exercebatur illud educationis opus, sicut et hodie exercetur, secundum accurate delectas usuque probatas methodos; nec dubitavit Ordo vester occupare complura eaque optima ingenia in Collegiis, in Athenaeis, in Universitatibus tam Europaeis quam Novi Mundi et Orientis, et perficere hoc modo laborem, in quo celebratus horum temporum scriptor germanus, alienae prorsus fidei, non dubitavit videre « quidquam simile operae virium naturalium, quae tacite quidem agunt, at modo cui nihil resistere potest: nulla passione aut tumultu, nulla agitatione aut festinatione, ille semper gradatim progreditur » (PAULSEN, *Geschichte des gelehrten Unterrichts*, 3 Auflg., Leipzig 1919, I, pag. 418). Probe scimus vos, ad hunc tacitum tranquillumque laborem, si quidem tranquillitas inveniri potest in pa-

laestra atque in veri bonique luctatione, portare vobiscum fiduciam bonae causae, quam defenditis, idoneas mentis animique vires; quare optimos illos percipitis fructus, qui, sicut praeterito, ita praesenti quoque et futuro tempore, apti sunt ad Societatis virtutem ac nomen determinanda, praestanda, substinenda, confirmanda, per totum campum apostolatus Ecclesiae catholicae.

Illius quidem apostolatus fidei et caritatis, quem immanes ruinae, in hominum animis et in terrestribus bonis coacervatae, ingentem postulant paremque cum acerbitate dolorum et angorum, qui erunt miserae reliquiae hodiernae huius populorum discordiae. Ad hoc tantum opus spiritualis sanationis et refectionis grato animo accipimus operam a Societate oblatam, agnoscentes quidem in hoc adiumento nobis promisso illum spiritus, caritatis, sacrificii ardorem, qui eam inflammat, qui claros quondam beneque de Ecclesia ac de humana societate meritos fecit vestrum heroicum ac sanctum Conditorem et vestros illos fortissimos viros ad altaris honorem sublevatos, in quibus adeo splendet hodiernus Sanctus, a vestro Praeposito Generali in memoriam revocatus, Petrus Canisius, Ignatii perfectus discipulus in viribus suis omnibus ad magnos fines ab ipso intentos et quaesitos conferendis.

Horum vestrorum Sanctorum attulistis Nobis, in signum eius ad quod imo corde aspiratis inque memoriam Centenarii, quod celebratis, thecam sacras continentem eorum reliquias; reliquias quondam immortalibus illis spiritibus animatas, qui Dei faciem iam contemplantur et ante Eius solium sua oratione pretiosas reddunt preces et divina ac spiritualia sacrificia, quae ut fasciculum florum, afflantium odorem vestrae virtutis vestraeque devotionis erga mentem Nostram et cor Nostrum, Nobis obtulistis. De utroque hoc dono paternas vobis gratias referimus, necnon de vestra praesentia, quae communia nobiscum facit non modo gaudia vestra, verum etiam summas aegritudines et calamitates, quae in praesenti cum vestro gaudio permiscentur, non enim discors aut dissimilis vitae Ecclesiae est vita vestri Instituti religiosi.

Hoc modo historia Societatis, cum suam quattuor saeculorum vitam e spiritu Christi trahat, qui nomine suo eam insignivit, inseritur in historiam Ecclesiae cum suo magno Conditore, cum suis Sanctis et Martyribus, cum acie suorum indefessorum fidei praeconum, cum suis Doctoribus et Magistris, cum suis studiorum superiorum atque inferiorum scholis, cum Congregationibus Marianis, cum foederibus Exercitiorum spiritualium et Apostolatu Orationis, cum Instituto Culturae religiosae et Foedere Missionario Studentium, et cum tot aliis operibus, ob quae omnia Nos quoque dice-

mus cum Apostolo Paulo: audientes et cognoscentes fidem vestram in Domino Iesu et dilectionem in omnem Ecclesiam fidelium, non cessamus gratias agentes pro vobis, memoriam vestri facientes in orationibus Nostris ut Deus Domini Nostri Iesu Christi, Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione Eius et maiore Ipsius gloria (cfr. *Ephes.* 1, 15-17). Quapropter, in pignus caelestium gratiarum, invocantes munificentiam divinam pro vestro venerato Praeposito Generali et Curia Generalitia, pro omnibus Superioribus et Provinciis religiosis, pro omnibus Collegiis et Athenaeis studiorum, pro Operibus et Missionibus, pro tota Societate Iesu laborante et patiente, per mundum sparsa, impavida ante procellas quas eius Conditor non modo non timuit sed etiam eas illi exoptavit; ut ex his quattuor saeculis vitae sancte fecundae hauriat impulsionem ad nova nec minus fructuosa facinora in Christi atque Ecclesiae famulatu; impertimus cum effusione paterni amoris omnibus vobis, dilecti filii, absentibus et remotis, Nostram Apostolicam Benedictionem.

12. **24 maii 1941.**

Gratiae aguntur de obsequiis in IV Centenario Societatis Summo Pontifici oblatis. — Epist. Card. Secret. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 37415

Dal Vaticano, die 24 Maii 1941.

REVERENDISSIME PATER.

Quantum religionis fideique erga Apostolicam Sedem insit tibi sodalibusque tuis, qui Sanctissimi Nominis Iesu decoramini maiestate et virtute insignimini, Augusto Pontifici luculente probavit ditissimum ac fragrantissimum precum piorumque operum sertum, quod Ipsi recens obtulistis, quarto exeunte saeculo a Societate Iesu a Romano Pontifice rata habita [1].

---

(1) V. supra, pag. 19.

Beatissimus Pater ex vestro amoris officio suave hausit solatium multumque laetatus est, quod universali ministerio tam actuosa suppeditastis auxilia. Talibus innisus praesidiis fortius Is dura sustinet, et fidentius minantia aspicit. Hac de re vobis Sanctitas Sua uberes agit gratias vosque orat, ut, pientissimi filii cum sitis, opus Suum arduum iugi precum studio fulciatis, leniatis, adiuventis.

Gaudeo tibi ac totius Societatis Iesu militibus Apostolicam Benedictionem impertitam renuntiare, quae caelestis favoris est pignus.

Interea qua par est observantia me profiteor

tibi
addictissimum
ALOIS. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Patri
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Praeposito Generali Soc. Iesu - Romam.

13. **24 iulii 1941.**

De nominatione novi Rectoris Pont. Univ. Gregorianae. — Epist. Card. Praef. S. C. de Semin. et Stud. Univ. ad A. R. Patrem Nostrum.

SACRA CONGREGATIO
DE SEMINARIIS
ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS
—
Prot. N°. 1034/41

Roma, 24 Luglio 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

Ho umiliato, secondo il Suo desiderio, al Santo Padre la « terna » proposta dalla P. V. Rev.ma per la nomina di un nuovo Rettore della Pontificia Università Gregoriana.

Sua Santità si è degnata nominare il primo della detta « terna », Rev.mo P. Paolo Dezza (1).

---

(1) E Prov. Veneto-Mediolanensi.

Nel portare quanto sopra a Sua conoscenza, profitto della circostanza per confermarmi con devoto ossequio

della P. V. Rev.ma
dev.mo in N. S.
C. Card. PIZZARDO, *Prefetto.*
ERNESTO RUFFINI, *Segr.*

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

14. **18 octobris 1941.**

De festo S. Ioannis Berchmans in Seminariis Clericorum Societati commissis. — Rescript. S. C. Rit.

AD QUOSDAM PRAEPOSITOS PROVINCIALES.

REVERENDE IN XTO PATER,
P.XTI.

Mandante Padre Nostro cum R. V. communico Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis, quo ad decennium prorogatur facultas anno 1936 ad quinquennium data (*Act. Rom.*, vol. VIII, pp. 461 sq.) celebrandi Missam propriam S. Ioannis Berchmans, die 26 novembris vel alio die statuendo, servatis servandis, in Seminariis Clericorum nobis commissis, nempe etiam in iis in quibus quacumque de causa Kalendarium nostrum servari non licet; idque, ritu festivo, ut explicite habebatur in Rescripto praecedenti.

Velit R. V. Superiores huiusmodi Seminariorum hac de re tempestive certiores facere.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 26 octobris 1941.

R.ae V.ea
Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

—

No. 913/941

BEATISSIME PATER,

Procurator Generalis Societatis Iesu, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humiliter petit renovationem Rescripti die 23

Octobris anno 1936 concessi, quo facultas fiebat celebrandi die festo S. Ioannis Berchmans, Conf., 26 Novembris, vel alia die opportuniore a moderatoribus statuenda, in Seminariis Clericorum Patrum Societatis Iesu curis concreditis, Missam propriam eiusdem Sancti.

SOCIETATIS IESU.

Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII tributarum, benigne annuit pro gratia prorogationis in casu et ad effectum de quo agitur, ad proximum decennium; dummodo non occurrat duplex I. vel II. classis et serventur Rubricae. Quibuscumque contrariis non obstantibus.

Die 18 Octobris 1941.

† CAROLUS Card. SALOTTI,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

HENRICUS DANTE, *Subst.*

15. **3 novembris 1941.**

De annua instauratione studiorum in Pont. Universitate Gregoriana. — Epist. Card. Secret. Stat. ad R. P. Rectorem Universitatis.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 42861

Dal Vaticano, 3 Novembre 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

L'inaugurazione del suo Anno Accademico e la celebrazione solenne, conclusiva del quarto Centenario della Compagnia di Gesù (1), offrono alla Pontificia Università Gregoriana nuova opportunità di riaffermare quello che da quattro secoli è stato il

(1) Cf. *Memorab. S. I.*, fasc. decembris 1941, pp. 77 sq.

suo chiaro programma nelle alterne vicende della sua gloriosa esistenza: servire, ai cenni del Vicario di Gesù Cristo, l'idea cristiana su tutti i campi della attività religiosa, con fede illuminata e con dedizione senza riserve.

A così ferma consegna essa deve i suoi fasti; e il Santo Padre è ben lieto di riconoscerlo mentre gli operosi figli di S. Ignazio risalgono, col bene ispirato ciclo delle loro Conferenze commemorative (2), il corso degli anni e degli eventi.

Grato al Signore con tutti loro delle ben combattute battaglie sul duplice terreno del pensiero e dell'azione, l'Augusto Pontefice gode di rinnovare in questa occasione i voti coi quali tanti Suoi antecessori sorressero la Compagnia di Gesù e ne promossero il rendimento. E più che al passato guardando all'avvenire, la Santità Sua auspica da Lei, per la maggior gloria di Dio, tanto più illuminati servigi quanto più grave è l'ora e più urgente il bisogno.

Mentre poi invoca su codesto compatto esercito di buoni lavoratori della Chiesa l'abbondanza dei divini favori, imparte di cuore alla Paternità Vostra e ai singoli suoi colleghi dell'Università, stimolo a un lavoro sempre più adeguato e intenso, l'Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio io mi confermo

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. PAOLO DEZZA, S. I.
Rettore della Pont. Univ. Gregoriana - Roma.

(2) Cf. *Memorab. S. I.*, fasc. decembris 1941, pag. 77.

16. **14 novembris 1941.**

Commendatur « Octavarium pro Unitate Ecclesiarum ». — Adhortatio Card. Secret. S. C. pro Eccl. Orient. ad Superiores Religiosorum etc.

SACRA CONGREGATIO
« PRO ECCLESIA ORIENTALI »

Prot. N°. 701/38

Dal Vaticano, 14 Novembre 1941.

ESORTAZIONE.

E' questo il terzo anno che, sotto gli auspici del grande martire dell'Unità, S. Giosafat, rivolgo una fiduciosa mia raccomandazione a tutti gli Ecc.mi Prelati e Rev.mi Capi-Missione, dipendenti da questo S. Dicastero per vedere ognor più ampiamente diffusa e celebrata con crescente fervore — dal 18 al 25 gennaio — la ormai notissima Pratica dell'OTTAVARIO DI PREGHIERE PER L'UNITÀ.

Veramente è già un dovere per me far pervenire ai medesimi Prelati, Superiori d'Ordini e Capi-Missioni l'espressione della mia gratitudine per il modo così volenteroso ed edificante con cui hanno corrisposto, nei precedenti due anni, al suddetto invito, e sopratutto debbo vivamente rallegrarmi con Essi per la diffusione imponente che la suddetta pia Pratica va sempre più acquistando, di anno in anno; motivo per cui crescono pure le speranze che s'avvicini sempre più la realizzazione di quella « Unità » di tutti i credenti nel Redentore Gesù Cristo, cui mirano concordi le moltiplicate preghiere del nostro caro Ottavario.

Purtroppo le dolorosissime constatazioni delle stragi e disastri cui fatalmente conducono i miserandi dissensi e gli odî fra i popoli, aggiungono, non solo per i buoni cristiani, ma per tutti gli animi retti e ben nati, un efficace argomento ed un forte impulso a desiderare quell'Unità di fede e di cuori che è stata il sospiro del nostro Crocifisso Signore.

E' pertanto con ben maggior pena ch'io sento di dover oggi ripetere le parole medesime che già scrivevo, tre anni fa, in

questo stesso giorno, nella suaccennata mia esortazione per l'Ottavario: — Anche a causa del presente gravissimo momento, in cui sembra non sia ormai più in facoltà degli uomini il trovare ove aggrapparsi a salvezza, mentre tutti vedono aperta la voragine, è supremo dovere rivolgere suppliche a Colui alla Cui onnipotenza « anche gli ostacoli sono mezzi a plasmare le cose e gli eventi ed a volgere le menti e i liberi voleri ai suoi altissimi fini » (Encicl. « Summi Pontificatus ») —.

Facendomi umile eco delle auguste direttive, già più volte impartite dal regnante Pontefice, rinnovo qui pure l'esortazione perchè, anche nella prossima celebrazione del pio Ottavario per l'Unità, si cerchino ed attuino le migliori sante industrie per rendere più accette le nostre preghiere, sopratutto mettendo avanti alle nostre quelle degli innocenti: organizzando cioè devote funzioni e belle Comunioni di fanciulli, allo scopo appunto di implorare il più prossimo avveramento del desiderio di Nostro Signore che cessino gli odî e si riaccenda l'amore; perchè insomma si affretti, anche sulla terra, la venuta di quel regno che tutti sentono voluto dai cuori e da Dio: « *il regno della giustizia, dell'amore e della pace* ».

Mirano pure a tal fine le preghiere dell'Ottavario per la Unità per il quale rivolgo, anche quest'anno, il più caloroso appello, nella soave fiducia di corrispondere, con queste pie insistenze, ai voti adorabili di Gesù Signor Nostro che elevò al Padre quella preghiera che tutti conosciamo, ma alla quale forse non cooperiamo in quella generosa misura cui sembra invitarci con vero accoramento la Sua invocazione: « ... *ut unum sint!* ».

Eug. Card. Tisserant, *Segretario.*

† Ant. Arata, *Arciv. tit. di Sardi, Assessore.*

17. 14 novembris 1941.

De Instituto Culturae Superioris Religiosae pro laicis apud Pont. Universitatem Gregorianam. — Epist. Card. Secret. Stat. ad Instituti Moderatorem.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 43101

Dal Vaticano, 14 novembre 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

Le rimetto, a nome di Sua Santità, la borsa di studio per l'anno sociale 1941-42 dell'Istituto di Cultura Superiore religiosa dell'Università Gregoriana; e con essa le due medaglie annuali, premio ai migliori.

Alla Paternità Vostra Reverendissima e ai suoi valorosi colleghi è premio impareggiabile, qui in terra, la piena soddisfazione e la gratitudine paterna, che il Vicario di Gesù Cristo esprime a loro per mio mezzo in questa occasione, mentre si accingono alle nuove fatiche del Corso con un Programma e con una varietà d'iniziative che ben rivelano la comprensione e lo zelo apostolico a cui il lavoro è ispirato.

I frutti del passato sono lieta garanzia dell'avvenire. E perchè questo sia vieppiù fecondo ai santi fini, che l'Istituto si propone, l'Augusto Pontefice rinnova per esso tutti i Suoi voti, e innalza a Dio tutte le Sue preghiere.

Non dubita la Santità Sua che, sorretto dalla costante approvazione e dall'incondizionato incoraggiamento del suo augusto Mecenate, l'Istituto continuerà con perseverante fervore la sua nobilissima missione.

Grato intanto al Signore dei lusinghieri successi, il Santo Padre auspica sempre più abbondante la mèsse per la gloria di Dio nella formazione d'illuminate coscienze cristiane, ed invia di cuore a Lei, Reverendissimo Padre, e ai singoli suoi colleghi la confortatrice Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio io poi mi confermo della Paternità Vostra Reverendissima

dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Rev.mo Padre
P. AGOSTINO GARAGNANI
Pont. Univ. Gregoriana - Roma.

18. 17 novembris 1941.

Renovatur facultas de sollemnitate externa S. P. Ignatii. — Rescript. S. C. Rit.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Mandante Patre Nostro cum R. V. communico Rescriptum Sacrae Congregationis Rituum, quo ad aliud decennium prorogatur facultas nobis anno 1931 concessa de festivitate externa S. Patris Ignatii alicubi commodiore tempore celebranda (cf. *Acta Rom.*, vol. VI, 1931, pp. 733 sq.).

Velit R. V. curare ut de hac renovatione ii quorum interest tempestive certiores fiant.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 31 decembris 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
No. 1048/941

BEATISSIME PATER,

Procurator Generalis Societatis Iesu, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humiliter petit renovationem Indulti die 10 Novembris 1931 concessi, quo facultas fiebat Collegiis Societatis Iesu pro alumnis externis illarum regionum in quibus dies festus S. Ignatii de Loyola inter tempus maiorum feriarum occurrit, unam Missam solemnem vel lectam de eodem Sancto celebrandi aliqua commodiore die a duplici I. vel II. classis non impedita.

SOCIETATIS IESU.

Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII tributarum, be-

nigne annuit pro gratia prorogationis ad proximum decennium in casu et ad effectum de quo agitur; servatis de cetero servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 17 Novembris 1941.

A. Carinci, *S. R. C. Secretarius.*

L. ✠ S.

S. Mattei, *Officialis.*

19. **23 novembris 1941.**

De Iubilaeo Episcopali S. P. Pii XII rite et pie celebrando. — Epist. Card. F. Marchetti-Selvaggiani, Urbis Vicarii, ad A. R. Patrem Nostrum (1).

Giubileo Episcopale
di S. S. Pio XII
Comitato Centrale

Prot. No. 7

Roma, li 23 Novembre 1941.

Reverendissimo Padre,

Il 13 maggio del prossimo anno ricorrerà il 25° anniversario della Consacrazione Episcopale del Santo Padre Pio XII: data quanto mai fausta, che offre ai fedeli dell'universo una preziosa occasione per testimoniare al Padre dell'immensa famiglia cristiana il devoto affettuoso attaccamento dei Suoi figli.

Tra questi, primissimi tra tutti, i Religiosi faranno a gara nel dare all'Augusto Pontefice il tributo della loro filiale sudditanza.

Esclusa, per espresso volere della Santità Sua, ogni rumorosa esteriorità, la celebrazione dovrà rivestire un esclusivo carattere spirituale, per cui s'incentrerà quasi unicamente nella preghiera, dando così modo ai Religiosi di parteciparvi con ogni pienezza.

Un apposito Comitato Centrale — cui seguiranno i rispet-

(1) Similem epistolam alii quoque Supremi Religiosorum Superiores acceperunt.

tivi Comitati Nazionali — è stato costituito per preparare con amorosa dignità tale celebrazione, e già fin d'ora si prospetta una simultanea mondiale Giornata del Papa, nella quale ogni sacerdote sarà invitato a celebrare il santo Sacrificio della Messa, secondo le auguste intenzioni del Successore di Pietro, e i fedeli si accosteranno alla santa Comunione e pregheranno secondo le stesse intenzioni.

La P. V. Rev.ma farà certamente quanto è possibile per corrispondere alle direttive del Comitato medesimo, impegnando sin d'ora le più larghe energie della famiglia religiosa, a cui Ella così degnamente presiede, affinchè l'omaggio riesca in tutto degno dell'avvenimento, che chiama a raccolta intorno al Padre Comune l'affettuosa pietà del mondo cattolico.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Rev.ma
devotissimo nel Signore
F. Card. MARCHETTI-SELVAGGIANI
Presidente.

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma

20. **28 decembris 1941.**

Summus Pontifex Patri Nostro renovat et confirmat peculiares facultates circa dispensationem temporaneam a Constitutionum praescriptis de gratuitate ministeriorum. — Rescriptum Autographum Summi Pontificis.

BEATISSIME PATER,

Praepositus Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, haec humiliter exponit:

Societas pluries coacta fuit petere a Sancta Sede dispensationem a Regula qua prohibetur stipendia pro Missis et compensationem aliquam pro ministeriis suis accipere. Ut autem dubiis nonnullis occurratur, et facultates omnes adhuc sive in scriptis sive vivae vocis oraculo concessae, in unum collectae

habeantur, simulque a praedicta Regula, quam minime fieri poterit, recedatur, praedictus Orator humiliter petit, ut Praepositus Generalis Societatis pro tempore potestate donetur:

I. Permittendi ut Collegia nostra, iuventutis institutioni destinata, quae et quamdiu debita dotatione careant, accipere possint minervalia quibus dotatio suppleatur; ii vero qui in aliis Scholis, Institutis, Seminariis vel Universitatibus occupantur, ea quae necessaria sunt ad honestam sustentationem, accipere possint, si aliter haberi nequeant.

II. Permittendi ut Sacerdotes Societatis stipendia pro Missis et sacris ministeriis accipere possint; sed ea sola mensura et ad id solum tempus quae necessaria videbuntur ut provideatur sive honestae sustentationi, aut propriae aut aliorum de Societate, secundum eiusdem Regulas intelligendae (quo nomine comprehenduntur quoque moderatae quaedam eleemosynae in pios fines), sive operibus apostolicis Societati commissis. Haec autem stipendia in hunc solum finem applicari possint quem idem Praepositus Generalis determinaverit, cuius etiam erit iudicare quamdiu perduret necessitas utendi hac dispensatione.

Et Deus...

Romae, 8 Decembris 1941.

Wl. Ledóchowski S. I.

(m. p.) *Pro gratia iuxta preces.*

Ex Aedibus Vaticanis, die 28 Decembris 1941.

PIUS PP. XII.

Acta quaedam in causis NN. BB. et VV.

21. 30 iun.-15 aug. 1941.

Decernitur constare de miraculis et tuto procedi posse in causa canonizationis B. Ioannis de Britto. — Decreta S. C. Rit.

S. THOMAE DE MELIAPOR.

CANONIZATIONIS

B. IOANNIS DE BRITTO MARTYRIS

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

I.

SUPER DUBIO:

An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur (1).

Nobilissimae Lusitanae gentis germen, inclitae Societatis Iesu sodalem, B. Ioannem de Britto, qui sanguinem pro Christi confessione generose fundere non dubitavit, ad supremos altarium honores munifice Deus evehere velle videtur.

Anno 1693 Ioannes capitis obtruncatione, in Madurensi missione, gloriosus martyr occubuit; anno 1853 in Vaticana Basilica sollemnis beatificationis gloriam, Pii IX auctoritate, est assecutus; qui Pontifex Reassumptionis Causae Commissionem sequenti anno obsignavit.

Ex pluribus signis a Deo, Beati Ioannis intercessione, patratis, duas sanationes selegerunt actores, quae veri miraculi notas exhibere visae sunt, ut ad Canonizationis gloriam ei conferendam via sterneretur. Quare per remissoriales litteras ab hac Sacra Congregatione concessas, super his signis apostolica auctoritate inquisitiones in Portugallensi Curia perfectae sunt. Pro harum iuridico valore Sacra haec Congregatio die 28 Februarii elapso anno approbationis decretum edidit.

(1) *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pp. 402 sqq.

Prior, quae exhibetur, sanatio in loco v. d. Paredes, non longe ab urbe Portucalia, anno 1937 contigit. Maria Gloria Ferreira da Rocha Malheiro gravissima periviscerite abdominali dextera laborabat, uti quoque non solum radiographicis tabulis sed et chirurgica sectione confirmatum fuerat. Morbus eousque processerat, ut nulla vitae spes amplius effulgeret. Quare sacro viatico extremaque unctione fuerat roborata. Parochus, qui magna in B. Ioannem de Britto religione ferebatur, apud eam eiusque virum institit, ut ad Beatae Mariae Virginis sanctuarium de Fatima infirma, si vellet accederet quidem, sed sanationem idcirco postularet, ut haec pro eiusdem Beati Canonizatione assequenda valeret. Missae quoque sacrificium eo fine idem celebravit. Maria Gloria, parocho obediens, motoria raeda, ad lecti formam redacta, caute Fatimam vecta fuit; ibique miram sanationem obtinuit, omnibus morbi adiunctis illico pleneque cessantibus. In recuperata valetudine perseveravit. In arte periti hanc sanationem ultra naturae leges ab ipso Deo fuisse patratam concorditer edicunt.

Altera sanatio in loco v. d. Leça de Palmeira prope eamdem urbem, anno 1938 evenit. Decennis puer Ioachim Antonius Monteiro Marques da Silva, Iulio mense, dolore in dextero calcaneo tentari coepit, qui ingravescens, clinice et radiographice agnitus fuit a tabifica tuberculari osteite, quae os continenter exedebat, procedere. Si curationes viresque naturae prospere cessissent, sanatio non minus unius anni spatio medentium iudicio obtineri potuisset. Verum morbus in peius ruebat, nec spes ulla habebatur, ut depelleretur. Incassum naturae subsidiis cedentibus, mater, infirmus aliique fervidas preces effuderunt, B. Ioannis de Britto patrocinium invocantes ad sanationem obtinendam. Mater summo mane diei 19 Septembris, feria secunda, aegro pedi imaginem cum particula de Beati reliquis apposuit. Puer paulo post placido somno corripitur. Circa horam octavam cum dimidio expergefactus, omnino sanatum se sentit, e lecto surgit, pedem pavimento affligit vehementer, quin dolore afficiatur.

Primus ex medicis, qui sanationem probavit, fuit pater, ex marino itinere inopinate tunc reversus. Miraculum conclamant medentes, tresque periti ex officio a Sacra hac Congregatione adlecti.

De utraque hac mira sanatione in Antepraeparatorio coetu, die 7 Ianuarii mensis hoc anno (2), coram R.mo Card. Carolo Salotti, Causae Ponente habito, disceptatum fuit, dein in Praeparatorio die 6 Maii (3), demum in Generali coram Ss.mo D. N. Pio Papa XII die 17 Iunii mensis, in quo idem Cardinalis dubium proposuit: *An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur* (4). R.mi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores singuli sua suffragia tulere; quibus benigne exceptis, Beatissimus Pater iudicium suum edere distulit, ut Ipse ceterique adstantes ad Deum preces funderent, quibus uberior divini luminis claritas in re tanti momenti Sibi praesto esset.

Sollemnem itaque diem hunc elegit, B. Pauli Apostoli, qui pro Christi amore sanguinem generose effudit, commemorationi dicatum, ut Beato quoque Ioanni de Britto, martyrii gloria iam honestato, per praesens decretum novum decus addatur.

Quocirca arcessitis subscripto Cardinali, Causae Relatore, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei generali Promotore, meque infrascripto Secretario, sacrosancta Hostia piissime litata, edixit: *Constare de duobus miraculis a Deo per B. Ioannis de Britto intercessionem patratis,* nempe *de instantanea perfectae sanatione cum Mariae Gloriae Ferreira da Rocha Malheiro a perviscerite abdominali dextera, tum Ioachim Antonii Monteiro Marques da Silva ab osteite tuberculari calcanei dexteri.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. R. C. referri mandavit.

Datum Romae, die 30 Iunii anno D. 1941.

† C. Card. Salotti, *Episc. Praen.,*
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

A. Carinci, *S. R. C. Secretarius.*

---

(2) Cf. *Act. Ap. Sed.,* vol. XXXIII, 1941, pag. 59.
(3) Cf. *ibid.,* pag. 174.
(4) Cf. *ibid.,* pag. 341.

II.

Super dubio:

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Beati Canonizationem* (1).

Singulari benevolentia Deus nonnullos populos est prosecutus, eos non solum mature ad fidem vocando, sed et in ministros eiusdem fidei apud ethnicos propagandae eligendo. Perbelle, Tu, Beatissime Pater, in Epistula Encyclica elapso anno data ad Patriarcham Ulyssiponensem ceterosque Archiepiscopos atque Episcopos Lusitanae ditionis: « Quae quidem catholica fides, scribis, ut vitalem quodammodo umorem praebuit, qui Lusitanorum Nationem inde ab originibus aluit, ita, si non unica, at praecipua saltem, vis ac virtus extitit, quae patriam vestram ad suae fastigium gloriae evexit, eamque religionis propagantem imperiique fines, et omnibus humanitatis ornamentis excultam reddidit et de sacris Missionalium inceptis optime meritam » (*A. A. S.*, 1940, p. 250). Quocumque enim Lusitani exploratores appellebant, Evangelii praecones accedebant simul; pluresque suo sanguine fidem, quam praedicaverant, obsignaverunt.

Quos inter, omissis antiquis Martyribus, post recentiores Martyres Lusitanos e Societate Iesu — Beatos Ignatium de Azevedo eiusque Socios, Beatos Franciscum Pacheco aliosque bene multos Martyres Iaponiae — novum Lusitanae gentis insigne decus effulget B. Ioannes de Britto, ex eadem Societate Iesu, quem item, in memorata Epistula Encyclica, Tu, Beatissime Pater, singulari praeconio merito extulisti (2).

Et sane, e nobilissimo genere, Ulyssipone die primo Martii a. 1647 natus, inter regios ephebos puer fuit adlectus, quo honorifico munere, postquam S. Francisci Xaverii ope a mortali morbo evasit, se abdicavit, sui caelestis patroni vestigia pressurus.

(1) *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pp. 460 sqq.

(2) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1940, pp. 537 sq.

Quare quindecim annos natus ad Societatem Iesu advolavit, in qua missionalis vocatio vividior est facta. Impedimentis omnibus fortiter remotis, anno 1673, Sacerdotio iam auctus, ad Indiam perrexit. Madurensi missioni praepositus, tenuiorum saluti impigre se impendit superimpenditque. Quod indigne ferens humani generis hostis crudelem insectationem commovit. Atrocibus cruciatus tormentis, Beatus in eo erat ut morti traderetur, quum liber evasit. Ulyssiponem a. 1688, uti Missionis procuratorem, reversum, eius Mater potius Christi martyrem venerata est, quam filium carissimum amplexata. Ad dilectam missionem, biennio post, ipse rediit. Die vero 4 Februarii a. 1693 capite truncatus ad caelestia regna transivit.

Gloriosum Christi martyrem Pius Papa IX fel. rec. die 21 Augusti anno 1853 Beatorum gloria auxit. Resumpta Canonizationis Causa, duo miracula a Deo per Beati intercessionem fuisse patrata die 30 Iunii hoc anno Sacra Rituum Congregatio, Te approbante, agnovit (3).

Ad omnium actorum complementum, quae iuxta sacros Canones ab hac Sacra Congregatione sunt pertractanda, ut ad Canonizationem fas sit deveniri, nil restabat nisi ut dubium discuteretur: *An, stante duorum miraculorum approbatione post indultam eidem Beato venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Canonizationem.* Porro dubium hoc, in Generalibus sacrae huius Congregationis comitiis die 15 Iulii mensis coadunatis (4), subscriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus Causaeque Relator proposuit, cui unanimi affirmativo suffragio Rev.mi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores responderunt; Beatissimus vero Pater suam mentem aperire procrastinavit, ut divinum interim imploraret lumen. Sollemnem itaque diem hunc selegit, Beatissimae Virginis, Martyrum Reginae, triumphali in caelos ingressui consecratum, ut suam ederet sententiam.

Quare subscriptum Cardinalem, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque Secretarium arcessiri iussit; sacrosancta autem Eucharistica Hostia litata, decrevit: Tuto *procedi posse ad B. Ioannis de Britto Canonizationem.*

---

(3) V. supra, pp. 44 sqq.

(4) Cf. *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pag. 332.

Atque ita post Fructuosum Bracharensem Episcopum, post Antonium illum thaumaturgum, cuius laus in tota Ecclesia longe lateque praedicatur, post Elisabetham Reginam, pacis sequestrem, cuius canonizatio ante tria saecula ab Urbano PP. VIII sollemni admodum pompa est celebrata, nova gloriae corona nobilissima Lusitaniae Natio redimietur: quin immo ad supremos item altarium honores, ut est in votis, magnus quoque ille suae gentis heros et pater B. Nonius Alvares Pereira, cuius causae reassumptionem haec Sacra Congregatio, nuper decernere existimavit (5), properare videtur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri atque in acta S. R. C. Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 15 Augusti, in festo Assumptionis B. M. V. anno Domini 1941.

† C. Card. SALOTTI, *Ep. Praen.*, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S. A. CARINCI, *Secretarius.*

22. **30. iun.-15 aug. 1941.**

Decernitur constare de duobus miraculis et tuto procedi posse in causa canonizationis B. Bernardini Realino. — Decreta S. C. Rit.

NEAPOLITANA SEU LYCIEN.

CANONIZATIONIS

B. BERNARDINI REALINO CONF.

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

I.

SUPER DUBIO:

An de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur (1).

Evangelii pericopen: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem... aut agros propter no-*

(5) Cf. *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pp. 399 sq.
(1) *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pp. 404 sqq.

men meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit (Mt., 19, 29), S. Bernardus explanans: « Illud, inquit, in via, haec in patria, illud consolatio praesentis laboris, haec futurae felicitatis consummatio est... Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas et primitiae spiritus, deliciae caritatis, gloria conscientiae, regnum Dei, quod intra nos est, non utique esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto. Gaudium sane non modo in spe gloriae, sed etiam in tribulationibus... Haec virtus ex alto, quae Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem » (*Declar. in Ev. S. Matth.*, c. fin.).

B. Bernardinus Realino pro maiore Dei gloria omnia reliquit, bona, possessiones, ampla iura, magistratus aliaque publica munia, quibus iam fuerat honestatus, humilemque religiosam vitam amplexatus est. Deus vero, fidelis retributor, centuplum ei rependit aeternamque vitam.

Honoribus enim longe maioribus, quam illi quos mundus ei dederat, eum magnifice donavit in vita. Nam praeter divinam adoptionem filiorum, sacerdotii dignitate, cuncti populi aestimatione, uberrimis animarum manipulis, vitae sanctitate, miraculorum carismate, iustitia et pace et gaudio in Spiritu Sancto eum copiose ditavit. Post mortem vero Deus eius interventionis potentiam, evidenter supplicantium preces exaudiendo, ostendit, praesertim vero per miracula, quibus una cum heroicis virtutibus probatis, ei beatificationis honores eum assequi anno Domini 1895 concessit. Nec satis. Nova enim divinae voluntatis erga Beatum signa visa sunt superaddi, quibus prudenter coniici licet, eum ad sollemnem Canonizationem proxime properare.

Ex pluribus namque gratiis seu miraculis a Deo, huius Beati interventione, patratis, duo ab actoribus Sacrae huic Congregationi exhibita sunt, quae merito eis omnes supernaturalis actionis characteres habere visa sunt.

Alterum in alma hac Urbe anno 1932 contigit, alterum vero Lyciae a. 1938.

Olympia Barroero Lazzaroni non parvae dimensionis fistula in dextero uretere laborabat. Insanabilem hanc esse tres chirurgi medentes edixerunt, quod iudicium tres periti ex officio ab hac Sacra Congregatione adlecti unanimi sententia confirmarunt.

Iamvero die 2 Aprilis mensis a. 1932, matutinis horis morbus

adhuc saeviebat. Ferventes interim, ab ipso quoque chirurgo medente, ab infirma eiusque marito aliisque ad B. Bernardinum effundebantur preces. Et mirum! hora duodecima in instanti fistula acclusa est, ceteraque morbi symptomata evanuerunt: uti continuo medens agnovit. Sanatam in recuperata valetudine perseverasse duo periti ex officio deputati testantur.

Miraculum intervenisse omnes medentes, tres periti officiales ceterique testes agnoscunt.

Sophia Renna Donno gravi meningitide tentata fuit, quae adeo invaluit, ut nocturnis horis diei 1 Iulii a. 1938 mortem instare medentes edixerint. Incassum medicorum curis cedentibus, Beatus Bernardinus invocatus est.

Infirma, primis diei 2 Iulii horis, placido correpta est somno. Evigilans, sanatam se sensit. Sanationem eodem mane alter ex medentibus agnovit, quam ceteri medici postea confirmarunt. Recuperatam valetudinem perseverasse, praeter sanatam, duo periti physici ex officio in apostolica inquisitione deposuerunt.

Divino miraculo sanationem esse tribuendam tres medentes tresque periti a Sacra Congregatione acciti mira concordia affirmant; qui pariter in gravis meningitis diagnosi, atque infausta prognosi edicenda convenerant.

De duabus hisce sanationibus die 17 Decembris mensis, elapso anno, in antepraeparatoria Congregatione coram Rev.mo D. Cardinali Carolo Salotti, Episcopo Praenestino, S. R. C. Praefecto, Causae Ponente seu Relatore, prior habita est disceptatio (2); quam die 1 Aprilis anni huius Praeparatoria est subsecuta (3); die vero 20 elapsi mensis Generalis coram Ss.mo D. N. Papa habita est, in qua Idem Rev.mus Cardinalis Ponens dubium proposuit: *An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum, de quo agitur*. Rev.mi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores quid de re sentirent libere aperuerunt (4). Beatissimus vero Pater, suffragiis auditis, iudicium suum edere distulit, ut maiori divino lumine illustraretur. Gloriosam vero hanc selegit diem

(2) Cf. *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pag. 39.
(3) Cf. *ibid.*, pag. 131.
(4) Cf. *ibid.*, pag. 340.

Apostoli gentium commemorationi sacram ut Suam aperiret mentem.

Quapropter ad Se subscriptum Cardinalem S. R. C. Praefectum Causaeque Relatorem, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium accivit, sacroque Missae sacrificio religiosissime litato, edixit: *Constare de duobus miraculis a Deo per B. Bernardini Realino intercessionem patratis*, nempe *de instantanea perfectaque sanatione cum Olympiae Barroero Lazzaroni a fistula ureteris dexteri, tum Sophiae Renna Donno a gravi meningitis morbo.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. R. C. referri mandavit.

Datum Romae, die 30 Iunii anno D. 1941.

† C. Card. Salotti, *Episc. Praen.*, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II.

SUPER DUBIO:

An, stante duorum miraculorum approbatione post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem* (1).

Eleganti divinae Providentiae consilio factum est ut, dum quartum saeculum a Societate Iesu condita volvitur, duo eiusdem Societatis insignes viri, beatificationis gloria iam honestati, ad supremum canonizationis fastigium, uti ex decretis quae hodie promulgantur constat, *Tuto* properare videantur.

Hi enim Ignatiano spiritu perfecte imbuti, non solum animarum suarum salutem, virtutum omnium exercitio operam navando, sed proximorum quoque salutem impense procurando, nostratum B. Bernardinus Realino, ethnicorum B. Ioannes de Britto, alter sacerdotalibus muneribus longo annorum curriculo indefesse operam dando, alter praeterea pro Christo sanguinem effundendo, sic sunt consecuti, ut maiorem Dei gloriam magnifice sint operati.

(1) *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pp. 462 sq.

Decretum hoc B. Bernardinum Realino respicit.

Carpi in Aemilia nobili loco die 1 Decembris anno 1530 natus, matris diligentia in pietate adolevit. Iuris doctor creatus, advocati munia adeo sollers implevit, ut mature magistratus gerendi munus ei fuerit concreditum, quo summa cum laude populique bono functus est. Neapoli intimo divino impulsu, Beataeque Virginis invitatione et ductu, magistratui, opibus mundanisque oblectamentis humilem Christi sequelam anno 1564, ad Societatem Iesu advolando, praeposuit.

Anno 1567 Sacerdotio inauguratus, a S. Francisco Borgia, Generali Praeposito, tironibus pietatis magister datus est. Septem post annos Lyciam, ut novam Societatis domum constitueret, fuit missus; ibique ultra quadraginta annos, ad mortem usque est moratus. Verbo, exemplo, indefatigabili labore, quibus Deus miraculorum charisma magnifice superaddidit, tantos animarum manipulos colligere ei datum fuit, ut Lyciensis civitas, a nefandis quoque moribus purgata, ad christianam vitam veluti renasci visa fuerit.

Morientem senem Magistratus, populi votum ex officio exprimens, enixe est adprecatus ut civitatis apud Deum patrocinium susciperet atque exerceret.

Die 2 Iulii a. 1616 lectissimam animam Deo reddidit.

Ordinaria auctoritate super sanctitatis fama quattuor annis post Servi Dei obitum processus incepit. Causa apud Apostolicam sedem anno 1620 fuit delata.

Heroicis virtutibus miraculisque approbatis, Leo XIII fel. rec. die 12 Ianuarii a. 1896 Beatificationis honores ei concessit. Resumpta anno 1902 Causa, servatisque servandis, duo miracula, die 30 Iunii mensis nuper elapsi, approbata fuere (2).

Ut autem authentice omnia quae a iure, ut ad Canonizationem procedi queat, postulantur, servata fuisse constet, in Generali Congregatione coram Pontifice dubium erat discutiendum: *An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam Eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Canonizationem.* Porro dubium hoc a subscripto Cardinali Praefecto Causaeque Ponente, in Generali Congregatione coram SS.mo D. N. die 15 Iulii habita.

(2) V. supra, pp. 49-52.

propositum fuit (3), cui Rev.mi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores unanimi suffragio *Affirmative* responderunt.

Beatissimus vero Pater suam aperire mentem ad hanc diem distulit, Sanctissimae Dei Genitrici in Caelum Assumptae dicatam, ferventes interim preces effundens, ut divinum beneplacitum sibi innotesceret.

motivavano la domanda e i voti manifestati in tal riguardo da Vostra Paternità.

Mi valgo volentieri della circostanza per confermarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Reverendissima
aff.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

43. 8 novembris 1941.

De festo B. M. V. de Veruela in domo Verolensi et in tota Provincia Aragoniae. — Rescripta S. C. Rit.

I.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
No. 941/41

SOCIETATIS IESU.

Exstat in pago v. « Borja » templum in honorem Beatae Mariae Virginis, sub titulo « Nuestra Señora de Veruela » quod a fidelibus undique confluentibus magna devotione frequentatur, ob innumera inde ab antiquo tempore a piissima Virgine conlata beneficia. Quotannis vero die decima quinta novembris solemni quidem pompa a fidelibus recolitur memoria apparitionis ipsius Deiparae, quae, uti pie traditur, anno millesimo centesimo quadragesimo primo, visendam se praebuit Domino Petro de Atarés. Sed ea die occurrit festum Dedicationis ipsius Ecclesiae, quae, secundum testimonia bonae fidei, die decima quinta novembris anni millesimi ducentesimi quadragesimi octavi solemniter consecrata fuit: quare, iuxta Rubricas, nihil fieri potest de Beata Virgine in Missa et Officio, tametsi totus concursus et fidelium pietas respiciant honorem praedictae Imaginis. Recurrente hoc anno octies saeculari commemoratione illius apparitionis, peculiaria festa peragentur proxima die decima quinta novembris, qua die Imago Beatae Mariae Virginis nova aurea corona, gemmis pretiosissimis exornata ex fidelium do-

nis, decorabitur. Ne tantae diei memoria delitesceret, et fidelium pietas et religio erga eamdem Deiparam augeretur, Praepositus Provinciae Aragoniae Societatis Iesu (1) Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XII instanter exoravit ut quotannis die decima quinta novembris in domo Verolensi celebrari valeat festum Beatae Mariae Virginis Verolensis sub ritu duplici secundae classis, adhibita vero Missa exstante in Missali Romano pro aliquibus locis die vigesima septima iunii in honorem Beatae Mariae Virginis de Perpetuo Succursu, Officio vero de Communi Festorum Beatae Mariae Virginis cum oratione propria Missae et Lectionibus tertii Nocturni cum Evangelio Missae congruentibus: assignata pro solemnitate Dedicationis Ecclesiae die decima sexta novembris. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributis, attentis expositis peculiaribus adiunctis et R. P. Procuratoris Generalis Societatis Iesu commendationis officio, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Novembris 1941.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

A. CARINCI, *S. R. C. Secretarius.*

II.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

—

No. 941/41

SOCIETATIS IESU.

Quum ab anno millesimo octingentesimo septuagesimo septimo omnes sodales Provinciae Aragoniae Societatis Iesu primordia vitae religiosae in domo Verolensi, ubi religiosissime colitur Imago Beatae Mariae Virginis sub titulo « Nuestra Señora de Veruela », transigere soleant, hodiernus P. Praepositus Provinciae Aragoniae (1) Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XII instanter adprecatus est ut festum Beatae Mariae Virginis, quae quotannis in domo Verolensi celebratur die decima quinta novembris sub ritu duplici secundae classis, adhibita Missa exstante in Missali Romano

(1) R. P. Alfredus Mondría.

pro aliquibus locis die vigesima septima Iunii in honorem Beatae Mariae Virginis de Perpetuo Succursu, cum oratione propria Missae et lectionibus III Nocturni cum Evangelio Missae congruentibus (2), celebrari valeat in Provincia Aragoniae eadem die, sed sub ritu duplici maiori. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributis, attentis expositis peculiaribus adiunctis et R. P. Procuratoris Generalis Societatis Iesu commendationis officio, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Novembris 1941.

A. Carinci, *S. R. C. Secretarius.*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *Substitutus.*

44. **11 novembris 1941.**

Festum B. M. V. de Apparecida in Brasilia in diem 7 septembris transfertur. — Rescript. S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum

No. 1023/941

SOCIETATIS IESU.

Instantibus Praepositis Provinciarum Brasiliae Societatis Iesu, eiusdem Societatis Rev.mi Procuratoris Generalis commendationis officio suffultis, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII tributarum, benigne indulsit, ut, ad uniformitatem cum clero saeculari servandam, in iisdem quoque Provinciis festum B. M. V. v. d. de Apparecida, totius Brasiliae Patronae, die 7 Septembris, a die 11 Mai translatum, recoli valeat, et festum Beatorum Marci Crisini et Sociorum Mart. Societatis Iesu, a die 7 ad 11 Septembris transferendum concessit, eodem ritu, iisdemque Officio et Missa. Servatis de cetero servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Novembris 1941.

† Carolus Card. Salotti, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *S. R. C. Secretarius.*

(2) V. supra, pag. 85.

45. **Anno 1941.**

Nominationes Pontificiae quorumdam e Nostris ad varia munera. — Ex « Act. Ap. Sed. ».

SACRA CONGREGATIO « DE PROPAGANDA FIDE » (1).

La Sacra Congregazione « de Propaganda Fide », con Decreto in data 20 ottobre 1941, ha nominato il R. P. Giuseppe Luigi Sempere, della Compagnia di Gesù (2), *Presidente della Pontificia Opera della Propagazione della Fede per la Bolivia.*

OFFICIUM SECRETARIAE STATUS (3).

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

13 febbraio 1941. — Il R.mo P. Giuseppe Bover S. I. (4), *Consultore della Commissione Pontificia per gli Studi Biblici.*

22 marzo 1941. — Il R.mo P. Pietro Leturia S. I. (5), *Consultore della Sacra Congregazione dei Riti* (*III Sezione*).

24 giugno 1941. — Il R.mo P. Sebastiano Tromp S. I. (6), *Consultore della Suprema Sacra Congregazione del Sant'Offizio.*

18 novembre 1941. — Il R.mo P. Antonio Ferrua S. I. (7), *Membro della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra.*

---

(1) *Act. Ap. Sed.,* vol. XXXIII, 1941, pag. 473.

(2) Rect. Coll. Pacensis in Bolivia (Prov. Argent.).

(3) *Act. Ap. Sed.,* vol. XXXIII, 1941, pp. 96, 132, 343.

(4) E Prov. Aragoniae: est Decanus Facult. Theol. et Prof. S. Script. in Collegio NN. Barcinonensi.

(5) E Prov. Castellana: est Decanus ac Professor in Facultate Historiae Eccles. Pont. Univ. Gregorianae in Urbe et Director Operis « Monum. Hist. S. I. ».

(6) E Prov. Neerlandica: est Professor theologiae in Pont. Univ. Gregoriana in Urbe.

(7) E Prov. Taurinensi: est Scriptor periodici « La Civiltà Cattolica » et Professor in Pont. Instituto Archaeologiae Christianae in Urbe.

Litterae quaedam officiosae.

46. **8 octobris 1940.**

De libro « Verità che ci sublima » a P. Salvatore Gallo (Prov. Sic.) edito. — Epist. Card. Secr. Stat. ad libri Auctorem.

Dal Vaticano, 8 Ottobre 1940.

Reverendo Padre,

Degno di segnalazione è apparso all'Augusto Pontefice il volume « Verità che ci sublima », dove Ella, con chiarezza di dottrina e amabile eleganza e agilità di stile, ha illustrato la verità della religione per gli alunni delle scuole medie superiori.

La Santità Sua nel ringraziarLa del devoto pensiero onde Ella è stata spinta ad offrirLe il bel libro in omaggio, Le augura di cuore che la sua parola faccia raggiare la santa luce di Dio a molti cuori giovanili e li formi a forti propositi di cristiane virtù.

Sua Santità convalida l'augurio paterno con la Benedizione Apostolica.

Personalmente grato per l'esemplare a me destinato, con sensi di sincera stima mi confermo

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

R. P. Salvatore Gallo S. I.
Palermo.

47. **3 decembris 1940.**

De libro « Pedagogía Universitaria » a P. Ferdinando Palmés (Prov. Arag.) edito (1). — Epist. Card. Secret. Stat. ad libri Auctorem.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

N°. 31862 *Dal Vaticano,* 3 Diciembre de 1940.

Reverendo Padre,

Venciendo no leves difficultades ha logrado vuestra Reverencia publicar su libro « Pedagogía Universitaria » — Comentario de la

(1) Palmés Fernando M. S. I., *Pedagogía Universitaria: Comentario a la Constitución Apostolica* « Deus scientiarum Dominus ». Barcelona, Editorial Balmes, 1940, 350 pp.

Constitución « Deus scientiarum Dominus », uno de cuyos ejemplares se ha dignado ofrecer al Santo Padre.

El Augusto Pontífice, junto con el testimonio de su gratitud, quiere expresarle también su felicitación por la mencionada obra, fruto de un detenido estudio y de una larga experiencia, confiando que ella contribuirá a acrecentar la estima de la pedagogía universitaria de la Iglesia.

Este homenaje de filial veneración hacia Su Santidad la ha presentado también V. R., como Director General que es, a nombre de la Fundación Balmesiana, que deseosa de continuar su estimada labor en pro de la Iglesia y de la Patria, comienza actualmente una nueva época de actividad, en la que el Augusto Pontífice augura los más halagüeños éxitos.

Prenda de los auxilios divinos que el Santo Padre implora para Vuestra Reverencia y para la institución Balmesiana, les otorga de corazón la implorada Bendición Apostólica.

Con los sentimientos de mi distinguida consideración, me profeso de Vuestra Reverencia seguro servidor

L. Card. MAGLIONE.

R. P. FERNANDO M. PALMÉS, S. J.
Colegio Máximo de S. Ignacio
Barcelona-Sarriá.

48. **8 ian.-7 aug. 1941.**

De thesauro spirituali aliisque obsequiis ab Apostolatu Orationis et Cruciata Eucharistica Italiae Summo Pontifici oblatis. — Binae litterae Card. Secret. Stat. ad P. Galilaeum Venturini (Prov. Rom.), Secretarium Nationalem Apost. Orat. in Italia.

I.

Dal Vaticano, 8 Gennaio 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

La filiale partecipazione dell'*Apostolato della Preghiera* per l'Italia, nelle attuali penose circostanze, alle sollecitudini ed alle preoccupazioni dell'Augusto Pontefice, conferma ancora una volta l'antico proposito di fervido e fattivo attaccamento alla Sede Apostolica da parte di codesta diletta Associazione.

Il Santo Padre se ne compiace vivamente, lieto di esprimere alla Paternità Vostra Reverendissima e a quanti La coadiuvano la Sua

gratitudine, soprattutto per la preziosa carità di così ricco tesoro spirituale, serena promessa di particolarissime grazie per la pacificazione degli uomini.

E il divin Cuore di Gesù non potrà che più largamente benedire l'*Apostolato della Preghiera*, che con tanto generoso lavoro si adopra a diffondere nel mondo il Suo Regno di amore.

Le commoventi conquiste, che gli Zelatori e le Zelatrici dell'*Apostolato* vanno riportando anche nelle terre africane, sono una pia conferma del buono spirito che li anima e dei tesori di bene, che con sempre novello ardore la provvidenziale Associazione nelle sue varie forme va infaticabilmente spargendo.

La Santità Sua esorta Direttori ed Ascritti a perseverare serenamente nella bella crociata, certi che ad essi non mancheranno le felici ricompense, dal Cuore di Gesù promesse con divina larghezza ai suoi fedeli.

Come pegno pertanto dei favori del Cielo, la medesima Santità Sua invia di cuore alla Paternità Vostra e ai suoi Collaboratori, Promotori, Direttori, Zelatori, Zelatrici, Ascritti, Crociatini e alle famiglie consacrate al Sacro Cuore la implorata Benedizione Apostolica.

Con sensi di religioso ossequio io poi mi confermo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. GALILEO VENTURINI S. I.
Direttore Nazionale dell'*A. d. P.* - Roma.

II.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

Prot. N°. 39010

Dal Vaticano, 7 Agosto 1941.

REV.MO PADRE,

Una assai dolce soddisfazione procurava alla Santità Sua il nuovo Tesoro Spirituale e il nuovo Obolo di carità, che alcuni Centri italiani della Crociata Eucaristica hanno voluto umiliare al Vicario di Gesù Cristo, dopo i Crociatini Romani, col pensiero e col cuore rivolti in particolar modo ai soldati prigionieri e ai bambini colpiti dalla guerra.

Il vistoso numero degli atti meritori e l'arte stessa con la quale ciascun Tesoro fu adorno e illuminato, dicono la diligenza, la premura e soprattutto l'affetto che hanno ispirato l'omaggio da parte di tanti cuori innocenti. Essi sono altresì per il Santo Padre una ben consolante garanzia dell'attaccamento devoto di tutti codesti pargoli alla Sua sacra Persona e alla causa di Gesù Cristo, cui si gloriano di voler servire.

Grato a codesti cari piccoli di un così ricco dono, l'Augusto Pontefice innalza ai Signore per essi e per il loro cristiano avvenire tutti i Suoi voti. E mentre chiede al Signore che li preservi dal male, sempre più innamorandoli del gran Mistero a cui la loro milizia è consacrata, invoca da Lui per loro stessi le più abbondanti grazie celesti e invia a loro, alle loro famiglie e a tutti i loro dirigenti l'Apostolica Benedizione.

LUIGI Card. MAGLIONE.

Rev.mo Padre
P. GALILEO VENTURINI S. I.
Dirett. Nazionale dell'*A. d. P.*

49. **23 maii 1941.**

De libro P. Octavii Marchetti (Prov. Rom.) in Exercitia Spiritualia (1). — Epist. Card. Secret. Stat. ad libri Auctorem.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 36853

Dal Vaticano, 23 Maggio 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

Col ben nutrito volume delle « Meditazioni », che fa seguito all'altro, sul « Pensiero Ignaziano negli Esercizi Spirituali » (2), lo zelo apostolico della Paternità Vostra Reverendissima dà compimento a un'opera di squisita carità, di cui Le saranno grate molte anime, come Le è grato — e vuol dargliene nuova assicurazione — l'Augusto Padre dei fedeli.

Fissando nel libro tanta dottrina spirituale quanta la Paternità Vostra ne ha accumulata nella sua lunga intensa carriera di diret-

(1) OTTAVIO MARCHETTI *S. I., Gli Esercizi Spirituali di S. Ignazio*: II. *Le Meditazioni*. Roma, « Civiltà Cattolica », 1941, 886 pp.

(2) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1940, pag. 545.

tore di anime, Ella regala ai fratelli, per lo scopo unico importante della loro vita, tesori di esperienze, che solo potrà valutare chi ne sarà partecipe, e pagine di sapienza destinate a cooperare con la Grazia, in mirabili modi, nel secreto delle anime.

Pertanto, assai più che dell'omaggio, graditissimo, Sua Santità La ringrazia della apostolica fatica, espressione quanto mai eloquente di una vita sacerdotale e religiosa, consacrata con elevata coscienza e con dedizione assoluta, al più profondo e al più importante dei ministeri.

Lieto di pensare alla bella corona di meriti, che questa silenziosa missione prepara alla Paternità Vostra, l'Augusto Pontefice fa voti che una così feconda attività si spenda ancora a lungo alla maggior gloria di Dio e alla santificazione delle anime; e con tali sensi Le imparte di gran cuore, come pegno della Sua paterna benevolenza, l'Apostolica Benedizione.

Consenta la Paternità Vostra che io aggiunga qui l'espressione della mia personale riconoscenza per il delicato pensiero avuto a mio riguardo, e voglia gradire i sensi della sincera stima con la quale mi professo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

Reverendissimo Padre
P. Ottavio Marchetti S. I.
Roma.

50. 13 octobris 1941.

De spiritualibus obsequiis a Congregationibus Marianis Statuum Foederatorum Americae Summo Pontifici exhibitis. — Epist. Card. Secret. Stat. ad P. Danielem A. Lord (Prov. Chicag.), Secretarium Nationalem CC. MM.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

N°. 41887

Dal Vaticano, die 13 Octobris 1941.

Admodum Reverende Pater,

Iucundum pignus flagrantis fidei et religionis Augusto Pontifici fuit uberrimum sertum precum et piorum operum, quod in Foe-

deratis Americae Civitatibus adscripti Marialibus Congregationibus aemula contentione per triduum festo SS. Virginis originalis labis expertis praevium nexuerunt.

Sanctitas Sua, Cui nihil poterat obtingere huiusmodi munere acceptius, gratias agit plurimas cum tibi, tum laboris tuis sociis, tum dilectis adolescentibus, qui ita se egregios et bene cordatos probarunt.

Multam enim alit spem talem precum vim Ecclesiae turbidis tempestatibus laboranti divina praesentissima impetraturam esse auxilia ac humano generi optatam pacis lucem deproperaturam. Paternis votis felix ac prosper respondeat rerum exitus eventusque. Beatissimus Pater amoris et obsequii significationem Apostolica Benedictione, superni favoris pignore et ad celsas virtutes incitamento, libenter rependit.

Interea qua par est observantia me profiteor

tibi
addictissimus
ALOIS. Card. MAGLIONE.

Admodum Reverendo
Patri Moderatori « The Queen's Work »
S. Ludovicum. - U. S. A.

51. **20 decembris 1941.**

De opere « Guglielmo de Occam » a P. Carolo Giacon (Prov. Ven.-Med.) edito. — Epist. Card. Secret. Stat. ad operis Auctorem.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

No. 44556

Dal Vaticano, 20 Dicembre 1941.

REVERENDISSIMO PADRE,

L'omaggio dei due suoi volumi su « Guglielmo de Occam » — nuova benemerenza della Società Editrice « Vita e Pensiero » —

CARLO GIACON S. I., *Guglielmo de Occam: Saggio storico-critico sulla formazione e sulla decadenza della Scolastica.* 2 vol. Milano, « Vita e Pensiero », 1941, 764 pp. - In: « Pubblicazioni dell'Università Catt. del Sacro Cuore, ser. I., Scienze Filosofiche »: vol. XXXIV e XXXV.

con i quali Ella ha inteso far risplendere la luce della filosofia di S. Tommaso d'Aquino, meritano il vivo compiacimento e la paterna riconoscenza dell'Augusto Pontefice, sia per l'atto di devozione che vogliono esprimere, sia per il buon servizio che rendono all'idea cristiana.

Il Santo Padre Le augura quindi dalla nobile fatica le più larghe soddisfazioni, mentre volentieri La incoraggia a perseverare nei suoi alti studi, che son destinati a portare nelle intelligenze copiosi frutti di bene.

In segno pertanto di particolare benevolenza, la Santità Sua Le invia di cuore, conforto e premio, la implorata Benedizione Apostolica, che Le sia al tempo stesso auspicio di copiose celesti grazie.

Con sensi di religiosa stima mi confermo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

Reverendissimo Padre
P. Carlo Giacon, S. I.
Istituto Filosofico Aloisianum. - Gallarate.

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

I. — PRO SOCIETATE.

52. **1 martii 1941.**

De spiritualibus obsequiis Summo Pontifici exhibendis occasione IV Centenarii Societatis.

AD QUOSDAM PROVINCIARUM PRAEPOSITOS (1).

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Proximo mense aprili, si Deus permittet, aliqualem externam celebrationem peragemus in Urbe de nostro IV Centenario. Qua occasione spem fovemus fore ut die 20 aprilis vel alio die illi proximo Summum Pontificem venerabundi adire possimus simul cum nostris alumnis, Congregatis Marianis, sociis Apostolatus Orationis aliisque ad nostra opera addictis Romae degentibus (2). Nec tamen decet ut coram Beatissimo Patre vacui appareamus. Cumque sciamus Ei magno solacio semper esse, hisce potissimum difficillimis temporibus, filiorum precibus assidue adiuvari, mens est copiosos flosculos spirituales Illi offerre cum a Nostris tum a variis nostris consociationibus et operibus collectos.

(1) Haec epistola ad *omnes* profecto mittenda fuisset *Provinciarum Praepositos;* sed, ob praesentes difficultates et temporis angustias, id fieri non potuit.

(2) Id factum est die 27 aprilis: v. supra, pp. 18-32.

Velim autem ut haec spiritualis oblatio, non solum Romae degentium, qui illam proxime exhibebunt, sed totius Societatis, quantum nunc fieri potest, gratum animum portendat. Ideoque rogo ut saltem viciniores Provinciae (nam id pro temporis angustia ab omnibus peti non potest) ad huiusmodi florum manipulos colligendos nobiscum adlaborent. Curet igitur R. V. ut Nostri, nostrorum Collegiorum alumni, aliique nostris operibus adscripti tempestive de re certiores fiant, ut actus pietatis et mortificationis a se peractos vel peragendos pro cuiusque devotione conferant. Quos quidem actus in distinctas summas pro singulis offerentium classibus (Nostri, Sodales Mariani, Alumni etc.) redactos R. V. quamprimum mecum communicet, ut hic cum aliarum Provinciarum oblationibus uniantur. Solos numeros quaero; nam pergamenam papyrum affabre depingendam hic curabimus, quae communes summas referat (3).

Ut autem uniformitas habeatur, hi sunto flosculi colligendi: Missae celebratae (utrum I an II intentione distincte dicatur); Missae auditae; Communiones sacramentales; Coronae Rosarii Mariani; Visitationes ad SS. Sacramentum; Preces iaculatoriae; Mortificationes; Actus aliarum virtutum.

Hos numeros ad me R. V. mature transmittat, ita ut saltem ante 15 aprilis prae manibus habeam.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 1 martii 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

(3) Cf. *Memorab. S. I.*, fasc. decembris 1941, pag. 76.

53. 10 aprilis 1941.

De ratione celebrandi Romae IVm Centenarium Societatis.

AD SUPERIORES DOMORUM ROMANARUM.

Reverendo in Cto. Padre,
P. C.

Nei giorni, 20, 21, 22 del c. m. si terrà al Gesù un Triduo solenne di ringraziamento a Dio in occasione del IV° Centenario della nostra Compagnia. All'estero in varie Nazioni si sono svolte grandiose manifestazioni con largo concorso di Autorità e di popolo, ed è giusto che anche in Roma vi sia una Commemorazione, modesta sì, ma decorosa, degna della Città e dell'avvenimento.

Desidero quindi che i Padri e Fratelli delle nostre Case, intervengano, quanto sarà possibile, alle Funzioni della sera al Gesù, cioè alla predica e alla benedizione eucaristica impartita da un Eminentissimo Cardinale.

Desidero inoltre che il 22, giorno in cui ricorre la data commemorativa dei primi Voti solenni del N. S. P. Ignazio e dei suoi Compagni, Padri e Fratelli si rechino a S. Paolo per le 8 del mattino, dove sarà celebrata la S. Messa nella cappella del SS.mo Sacramento, in cui è esposta l'immagine della Madonna davanti la quale il nostro S. Padre Ignazio e i suoi compagni fecero la loro professione (1).

Tutti quelli che lo possono, si facciano poi un dovere di assistere quello stesso giorno 22 aprile al solenne Pontificale delle ore 10,30 al Gesù che sarà celebrato dall'Em. Cardinale Boetto.

Principalmente i Superiori e i Padri Direttori di opere si interessino vivamente perchè vi sia un buon concorso di fedeli non solo la sera, ma anche nella mattinata alle Messe speciali indette per le opere nostre.

Tutta la Compagnia sarà lieta di sapere come in Roma, nonostante le attuali circostanze, sia stato commemorato con pietà e decoro il nostro IV° Centenario.

---

(1) V. infra, pp. 100-108.

Comunico poi la lieta notizia che il 27 c. m. alle ore 10 S. S. Papa Pio XII si degnerà riceverci in solenne Udienza, alla quale interverranno non solo i Padri e Fratelli presenti in Roma e le rappresentanze delle Case di Mondragone e di Galloro, ma altresì gli elementi maschili delle opere nostre, quali i Collegi, le Congregazioni Mariane, i Ritiri di Perseveranza, l'Apostolato della Preghiera (1).

In unione de' ss. SS. SS.

Roma, 10 aprile 1941.

di V. R.
Servo in Cto.
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

54. **22 aprilis 1941.**

In sollemni celebratione Romana IV[i] centenarii Societatis (2).

I.

ADHORTATIO PATRIS NOSTRI IN BASILICA S. PAULI.

« *Ego vobis Romae propitius ero!* »

Il nostro S. P. Ignazio, Reverendi Padri e Carissimi Fratelli, si sarà, non ne possiamo dubitare, ricordato con profonda commozione di queste solenni parole, da lui udite pochi anni prima nella povera chiesina della Storta, quando con cinque dei suoi compagni, i soli potuti riunirsi in Roma, appunto quattro secoli fa, qui nella magnifica Basilica dell'Apostolo delle Genti, davanti a questa veneranda immagine di Maria Santissima, emetteva la professione solenne, la prima che sia stata fatta nella Compagnia di Gesù.

Nell'intimo giubilo che riempiva lui e i suoi compagni dopo questo grande atto, il Santo nostro Fondatore avrà di certo per-

(1) V. supra, pp. 18-32.

(2) Cf. *Memorab. S. I.*, fasc. decembris 1941, pag. 74. — V. etiam hic supra, pag. 99.

cepito più chiaramente il significato di quelle parole che da principio erano state per lui oscure, e avrà dal profondo del suo cuore ringraziato Dio per il modo mirabile con cui quella celeste promessa si era verificata.

E' giusto e doveroso, Reverendi Padri e Carissimi Fratelli, che anche noi oggi per gratitudine verso Dio e pel nostro conforto spirituale ci ricordiamo di questa divina assicurazione: « Ego vobis Romae propitius ero! »: noi, che possiamo constatarla pienamente avverata lungo quattro secoli fino agli ultimi giorni. Anche nei momenti più difficili quando la Compagnia pareva dover perire in mezzo alla tempesta, Gesù rimase propizio alla sua Compagnia e le riservò un angolo dove potesse continuare la sua vita per riprenderla poi nella sua piena ampiezza, grazie all'augusta benevolenza di un umile Monaco Benedettino, antico Abbate di S. Paolo, il Sommo Pontefice Pio VII di immortale memoria. E mentre ringraziamo umilmente il Signore per questa preziosa promessa, cerchiamo noi pure, alla luce di questi quattro secoli di storia domestica, di penetrarne più profondamente il significato.

« Ego vobis Romae propitius ero! » A chi Gesù disse queste parole? Non al nostro S. Padre solo, - disse « vobis » non « tibi » -, ma a quel piccolo manipolo di poveri sacerdoti che quattro secoli or sono facendo a piedi la visita delle sette Chiese si erano fermati in questa Basilica « appartata e lontana dallo strepito della gente » (come riferiva il P. Ribadeneira, testimonio oculare degli avvenimenti di quel giorno), per fare la professione solenne, i quali però costituivano il granello di sénapa, a cui Gesù aveva infusa la forza creatrice di svilupparsi in un grand'albero; ai suoi compagni e a tutti quelli che si andavano formando allo spirito del nuovo Istituto per la maggior gloria di Dio e che dovevano perpetuare la Compagnia: a tutti questi sarebbe propizio, sarebbe propizio a ROMA.

Difatti, come fu recentemente ben rilevato, S. Ignazio tutto questo lavoro di formazione, di direzione, di plasmazione della Compagnia lo svolse a Roma. Unico tra i Fondatori dei grandi Ordini religiosi — che anch'essi vennero a Roma ma non vi restarono sempre — egli dopo la visione della Storta non ebbe mai più altra residenza fuori di Roma, dove fin adesso riposano le sue ceneri.

per vedere dove potesse per mezzo de' suoi figli più largamente propagare la maggior gloria di Dio; da Roma inviava apostoli pieni di zelo in tutte le parti del vecchio e del nuovo mondo: S. Francesco Saverio nelle Indie, P. de Nóbrega e il Ven. Anchieta nel Brasile; da Roma scrisse un anno prima della sua morte all'Imperatore dell'Etiopia per guadagnarlo alla Santa Chiesa Romana; a Roma con approvazione della Santa Sede compose le Costituzioni, e in esse al Capo dell'Ordine assegnò Roma come la sua sede stabile.

Come S. Ignazio, così anche i suoi successori non si mossero da Roma; e mentre i Superiori Generali di altri Ordini, talvolta per positiva disposizione della Regola, santamente si occupano in visitare le loro Case e Provincie, essi invece da Roma guidano tutte le attività della Compagnia. Basta dire che da S. Francesco Borgia in poi, il quale del resto andò in Ispagna solo per ordine del Papa S. Pio V, fino agli ultimi tempi nessun Generale andò neppure nella Spagna, patria terrestre del nostro Santo Fondatore.

Ma la nostra più intima nota di Romanità ci viene dal quarto voto solenne dei Professi prescrittoci dalle Costituzioni, che in certo modo imprime a tutta la Compagnia la sua caratteristica di speciale obbedienza al Sommo Pontefice, al quale il Preposito Generale deve sempre tenersi strettamente unito di mente e di cuore, e ai cui cenni tutti devono ad ogni momento esser pronti a lasciar patria, occupazioni anche predilette e utilissime, ogni cosa per intraprendere altre opere e andare in altri paesi, dovunque il Vicario di Cristo crederà più utile il loro lavoro per il bene della Chiesa.

Da questa singolare unione col Vicario di Cristo partecipiamo in qualche modo della mirabile forza e consistenza della Rocca di Pietro; questa unione con Roma, questo constante e vissuto « sentire cum Ecclesia Romana » è per noi la fonte delle più abbondanti benedizioni, e ci assicura la continuità della promessa fatta da Gesù al nostro Santo Padre Ignazio: « Ego vobis Romae propitius ero! ».

Dobbiamo però ricordarci, Reverendi Padri e Carissimi Fratelli, che queste sì confortanti parole furono bensì rivolte da Gesù a S. Ignazio « con piacevole ed amoroso sembiante », come il P. Ribadeneira ci riferisce, ma da Gesù con la Croce

Da Roma egli con la sua gran mente considerava e col suo

gran cuore più grande del mondo abbracciava tutta la terra, sulle spalle. Con ciò pare che il Signore abbia voluto indicarci che la sua Compagnia sarebbe fatta in modo singolare partecipe della sua Croce, e avrebbe in se stessa molte volte e quasi continuamente esperimentato la verità di quelle sue parole: « Si me persecuti sunt, et vos persequentur » (Ioan., XV, 20).

E oggi, in questi tempi di così straordinari rivolgimenti in varie parti del mondo, proviamo ogni giorno più la verità di queste parole. — E non ce ne lamentiamo ben sapendo che « in Cruce salus », che la Croce è segno di divina predilezione, che nessun legno, per usare le parole del nostro S. Padre, è più atto ad accendere il fuoco dell'amore di Dio che il legno della Croce.

I nostri cuori non possono non risentirsi dei patimenti che in molti luoghi devono soffrire i nostri confratelli: al fronte, nell'esilio, nelle carceri, nella fame e nelle privazioni delle cose necessarie per la vita. Ma qualche consolazione ci reca il commento che S. Ignazio stesso fece alla promessa di Gesù, all'uscire dalla chiesina della Storta: « Non so — disse ai compagni — ciò che Dio disporrà di noi in Roma, se vi saremo crocifissi o se vi saremo fatti morire in altro modo; ma questo so, che, qualunque cosa succeda, Gesù ci sarà propizio in Roma ».

Con questa incrollabile fiducia che Gesù, al quale è data ogni potestà in cielo e in terra, e senza il quale niente si fa nel mondo, ci sarà sempre propizio, dobbiamo, RR. Padri e CC. Fratelli, guardare l'avvenire; con questa fiducia dobbiamo accingerci con nuovo slancio al lavoro che ci attende ed accenderci sempre di più di quel fuoco di amore che ardeva nel petto del Nostro Patriarca e che procurava trasfondere ne' suoi figli desiderando ardentemente che tutto il mondo fosse acceso e infiammato dallo Spirito Santo.

Ed ora che Gesù, nascosto sotto i veli eucaristici, sta per impartirci la sua divina benedizione, preghiamolo per tutti noi, affinchè corrispondiamo degnamente alla nostra sublime vocazione; preghiamolo per tutta la minima sua Compagnia, perchè si mantenga quale Egli, per mezzo del nostro Santo Padre Ignazio, la volle nella Chiesa: sempre pronta al servizio del Vescovo di Roma, suo Vicario in terra, sempre pronta ad ogni sacrificio anche al supremo per la salvezza eterna delle anime e per la maggior gloria di Dio.

Latina interpretatio:

« *Ego vobis Romae propitius ero!* ». Horum verborum, RR. Patres et Fratres Carissimi, quae paucos ante annos in squalida ecclesiola « La Storta » audierat, magna cum animi commotione meminerit profecto S. P. Ignatius quando, quattuor omnino abhinc saecula, in splendida hac Basilica Gentium Apostolo dicata, coram hac ipsa veneranda imagine Sanctissimae Deiparae Virginis Mariae, simul cum quinque e primis sociis, iis nempe qui soli Romam convenire potuerant, sollemnem emittebat professionem, primam eam quidem quae in Societate Iesu nuncuparetur.

In intimo, quo post magnam illam rem, ipse et socii perfundebantur gaudio, Sanctus Pater Noster clarius sane perceperit illorum verborum sensum, quae antea illi suboscura fuerant, atque ex imo corde Deo rettulerit gratias ob miram rationem, qua caelestis illa promissio re vera fuerat adimpleta.

Aequum itaque est et debitum, RR. Patres et Fratres CC., nos quoque, grato erga Deum animo et ad nostrum spirituale solacium, huius divinae promissionis hodie meminisse: « Ego vobis Romae propitius ero! »: nos inquam, quibus eam plene et fideliter his quattuor saeculis completam esse constat ad hunc usque diem. Difficillimis etiam temporibus, quando Societas inter procellas iam iam peritura videbatur, Iesus suae Societati propitius esse perseveravit eique tutum servavit recessum, ubi vitam suam degere pergeret, quam mox erat plene ampleque totam recuperatura, auspice augusta benevolentia humilis cuiusdam Monachi S. Benedicti, Sancti Pauli olim Abbatis, immortalis memoriae Pii VII Summi Pontificis. Dum autem demisse gratias Deo agimus de tam pretiosa promissione, curemus eam penitius perpendere luce ducti nostrae historiae domesticae quater saeculari.

« Ego vobis Romae propitius ero! ». Cuinam vero haec locutus erat Iesus? Non uni Sancto Patri Nostro, — *vobis* enim dixerat, non *tibi*, — sed toti illi manipulo pauperum sacerdotum, qui quattuor abhinc saecula septem Urbis Ecclesias quas dicunt pedites invisentes, hic constiterant, in hac Basilica remota et a populari strepitu segregata (ut referebat P. Ribadeneira, rerum illius diei testis ocularis), ut professionem solemnem emitterent; qui quidem parvus sociorum manipulus granum erat sinapis, cui Iesus vim creatricem infuderat in magnam arborem succrescendi; illis ergo sociis aliisque omnibus qui spiritu novi Instituti imbuebantur ad maiorem Dei gloriam quique Societatem erant propagaturi: omnibus his Iesus propitius foret, et quidem ROMAE propitius foret.

Et revera, ut recenter notatum fuit, totum hunc Societatis in-

stitutionis, directionis, plasmationis laborem S. Ignatius peregit Romae. Unus ipse e maiorum Ordinum religiosorum Fundatoribus, — qui et ipsi Romam quidem venerunt sed in Urbe non semper manserunt, — post visionem apud « La Storta » nullam aliam deinceps habuit sedem extra Urbem, ubi sacri eius cineres adhuc quiescunt.

Ex Urbe ille totam terram magna sua mente ponderabat et magno suo corde, quod universo orbe maius erat, amplectebatur, ut cerneret quonam per filios suos latius spargere posset maiorem Dei gloriam; ex Urbe in omnes et veteris et novi mundi plagas apostolos mittebat zelo incensos: S. Franciscum Xaverium in Indias, Patrem de Nóbrega et Ven. Patrem Anchieta in Brasiliam; ex Urbe extremo vitae suae anno ad Imperatorem Aethiopiae epistolam scripsit, ut eum Sanctae Romanae Ecclesiae lucraretur; in Urbe, Sancta Sede approbante, Constitutiones conscripsit, in quibus nostri Ordinis Capiti stabilem sedem Romae assignavit.

Atque ita, ut S. Ignatius, etiam eius successores Romae manserunt; et dum aliorum Ordinum Superiores Generales, interdum ex aperta suae Regulae dispositione, in Domibus et Provinciis invisendis sancte occupantur, successores contra S. Ignatii omnes Societatis activitates ex Urbe moderantur. Idque tam firmiter, ut post S. Franciscum de Borgia, qui ceterum Hispaniam petierat unice ex mandato Summi Pontificis S. Pii V, ad haec proxima usque tempora ne in Hispaniam quidem, etsi patriam terrenam nostri Sancti Fundatoris, ullus alius e nostris Generalibus iverit.

Verum maxime intimam nostram Romanitatis notam nobis affert quartum sollemne Professorum votum a Constitutionibus praescriptum, quod universae Societati quodammodo imprimit characterem specialis oboedientiae Summo Pontifici, cui Praepositus Generalis se mente et corde arcte devinctum servare debet, et ad cuius nutum omnes quovis momento parati esse debent ad patriam, opera vel dilectissima et utilissima, omnia demum relinquenda, ut alia opera aggrediantur, alias regiones adeant, quocumque Christi Vicarius eorum laborem in bonum Ecclesiae utiliorem fore putaverit.

Ex hoc autem peculiari cum Christi Vicario unione miram Petrianae Rupis vim et firmitatem quodammodo participamus; ista unio cum Roma, istud constans et vivum « sentire cum Ecclesia Romana » uberrimarum nobis est fons benedictionum, nobisque continuationem spopondit illius promissionis a Domino Iesu Sancto Parenti Ignatio olim datae: « Ego vobis Romae propitius ero! ».

Meminerimus tamen oportet, RR. Patres et Fratres CC., haec

verba solacii plena a Iesu ad S. Ignatium suavi quidem et blando vultu, ut P. Ribadeneira refert, at a Iesu Crucem humeris baiulante prolata esse. Atque ita Dominus nobis indicare voluisse videtur Societatem suam singulari quadam ratione suae Crucis participem effectum iri, eamque saepe ac fere continenter esse experturam veritatem illius divini effati: « Si me persecuti sunt, et vos persequentur ».

Nunc vero, nostris hisce temporibus, quibus tam extraordinarias videmus perturbationes variis in orbis partibus, horum verborum veritatem cotidie experimur. — Nec tamen de hoc conquerimur, cum optime sciamus in Cruce esse salutem, Crucem esse dinae praedilectionis signum, nullumque aptius esse lignum quam lignum Crucis (ut Sancti Patris Nostri verbis utar) ad ignem divini amoris accendendum.

Corda nostra sane nequeunt non intime sentire ea quae multis locis fratres nostri patiuntur: in acie, in exilio, in carceribus, in fame, in summa rerum vel vitae necessariarum egestate. Sed aliquod solacium nobis affert illud commentarium, quod Sanctus ipse Ignatius, ex ecclesiola « La Storta » egrediens, subiecit promissioni Christi: « Nescio equidem — ait ad socios — quid Deus de nobis Romae sit dispositurus, ignoro utrum ibi simus crucifigendi, an alia ratione morte mulctandi; unum tamen scio, Iesum nempe, quidquid nobis acciderit, Romae nobis futurum esse propitium ».

Qua quidem inconcussa fiducia, fore ut nobis sit semper propitius ille Iesus, cui data est omnis potestas in caelo et in terra et sine quo nihil in mundo fit nec fieri potest, in futurum tempus, RR. Patres et Fratres CC., prospicere debemus; hac ipsa fiducia innixi et novo ardore impulsi ad novos labores qui nos manent nos comparemus oportet, illoque igne magis in dies inflammemur, quo pectus Sancti Patriarchae Nostri incendebatur, quemque ipse in filios suos immittere satagebat, vehementer exoptans ut mundus universus Spiritu Sancto arderet et ureret.

Nunc vero, dum Iesus, eucharisticis velis abditus, in eo est ut nobis benedicat, Eum oremus pro nobis singulis, ut nostrae sublimi vocationi digne respondeamus; Eum oremus pro universa sua minima Societate, ut ea esse perseveret, qualem Ipse per Sanctum Patrem Nostrum Ignatium eam in Ecclesia esse voluit: semper nimirum paratam ad nutum Romani Episcopi, sui in terris Vicarii, ad quodvis sacrificium vel supremum semper promptam, ad aeternam animarum salutem et ad maiorem Dei gloriam.

II.

ACTUS CONSECRATIONIS SOCIETATIS IESU SACRATISSIMO IESU CORDI (1).

Amorosissimo nostro Redentore, ecco a Voi dinanzi, a noi unita in ispirito, tutta la Vostra Compagnia, che in questo fausto giorno quattro volte secolare vuole solennemente attestarVi la sua profonda gratitudine per tanti benefici che dal Vostro Cuore dolcissimo essa riconosce. Da questa fonte di grazie ripetiamo l'esistenza stessa di questa Vostra minima Compagnia e tutto il bene che essa, dalla sua nascita sino a questo giorno ha operato. Voi sceglieste a tanta impresa il Nostro Santo Padre Ignazio; Voi, sempre divinamente fedele alla Vostra promessa « *Ego vobis Romae propitius ero!* », lo guidaste con vigile e amorosa provvidenza attraverso a tante prove; Voi gli sorreggeste la mente e il cuore ad ideare e plasmare la nuova religiosa famiglia, e ad accenderla di sacro ardore per la maggior gloria di Dio.

Volendo pertanto che tutto ritorni alla sua sorgente, come or sono quattro secoli il nostro Santo Padre Ignazio e i suoi primi Compagni, qui in questa veneranda Basilica del grande Apostolo delle Genti, davanti a questa sacra immagine della Beatissima Vergine Maria, Madre Vostra e nostra Regina, si consacravano interamente a Voi in perfetto olocausto, così noi e tutta intera la Compagnia di Gesù, alla presenza della Santissima Vergine Maria, del Santo Patriarca Giuseppe nostro speciale Protettore, del nostro S. Padre Ignazio e di tutti i Santi della Compagnia e dell'intera Corte celeste, rinnoviamo con intimo sentimento di generosa oblazione i nostri Voti, quei sacri vincoli che a Voi e al Vostro servizio felicemente ci stringono in perpetuo: offriamo al vostro Cuore adorabile le nostre persone, i nostri ministeri, le fatiche e i patimenti nostri e intendiamo di fargliene un'intera e perpetua consacrazione, per riparare le ingiurie e le offese, che si fanno alla vostra divina Maestà e per promuovere in noi e negli altri la vostra maggior gloria. Così questa minima Compagnia, che ha l'onore di portare il vostro bel Nome, avrà pure la sorte di essere tutta dedicata al vostro bel Cuore e di vivere della sua vita.

Vogliate dunque degnarvi di accettare in odore di soavità que-

(1) Hic Actus Consecrationis idem fere est ac ille qui singulis mensibus renovatur, sed peculiaribus huius centenariae commemorationis adiunctis aptatus.

sto olocausto e di darci grazia di rimanere sempre fedeli all'osservanza del nostro santo Istituto.

Voi sapete, o amabilissimo Gesù, con quanta rabbia Satana si sforzi di opprimere la vostra Chiesa e di distruggere la nostra Compagina. Abbiate pietà di noi, vostri figliuoli, che in Voi riponiamo tutta la nostra fiducia. Deh! il vostro Cuore ci sia scudo contro tutti i dardi del nemico e nuovo pegno della grazia celeste, affinchè, dopo essere nel vostro Cuore costantemente vissuti, possiamo in esso spirare l'anima nostra. Così sia.

℣ - Cor Iesu, flagrans amore nostri,

℟ - Inflamma cor nostrum amore tui.

OREMUS

Deus, qui nobis in Corde Filii tui, nostris vulnerato peccatis, infinitos dilectionis thesauros misericorditer largiri dignaris, concede, quaesumus: ut illi devotum pietatis nostrae praestantes obsequium, dignae quoque satisfactionis exhibeamus officium.

Deus qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Iesu Christi mundum laetificare dignatus es; praesta, quaesumus, ut per eius Genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae.

Deus qui ad maiorem tui nominis gloriam propagandam novo per Beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti; concede, ut eius auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in caelis. Per Christum Dominum nostrum. — Amen.

55. **27 aprilis 1941.**

Gratulationes et gratiae aguntur de felici exitu celebrationis Romanae IV[i] centenarii Societatis.

AD SUPERIORES DOMORUM ROMANARUM.

REVERENDO IN CTO. PADRE,
P. C.

Coronate le nostre feste centenarie di Roma con l'ambita udienza del Santo Padre (1), poichè le feste si sono svolte in mo-

(1) V. supra, pp. 18-32.

do veramente consolante non solo per l'affluenza al triduo del Gesù, ma anche per l'ordine e lo splendore, con i quali si sono svolte tutte le manifestazioni [2], sento il bisogno dall'abbondanza del cuore di ringraziare con tutti i miei figli il Signore, Datore di ogni bene; ma anche V. R. per la parte avuta nel cooperare alla buona riuscita di queste feste. Seguendo le direttive date dalla mia precedente lettera [3], V. R. ha dimostrato il suo affetto filiale verso la Compagnia, Madre nostra, giacchè se non noi, inutili servi, la Compagnia invece meritava di essere glorificata anche quaggiù per il bene delle anime a noi affidate e per la maggior gloria di Dio.

Benedicendo di cuore V. R. e la sua cara Comunità. La prego di far sapere a tutti quelli che hanno cooperato alla buona riuscita delle feste il mio vivo e paterno compiacimento.

In unione de' ss. SS. SS.

Roma, 27 aprile 1941.

di V. R.
Servo in Cto.
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

NB. — R. P. EMMANUELI PORTA, Praeposito Prov. Romanae, qui studiosissime ad haec festa paranda et peragenda adlaboraverat, peculiaris data est epistola gratulatoria, quam hic subicimus:

Roma, 27 aprile 1941.

REV. IN CTO P. PROVINCIALE,
P. C.

Possiamo con sincerità dire che le nostre Feste Centenarie, coronate con l'ambita udienza del Santo Padre, si sono svolte in modo veramente soddisfacente. Siccome non v'è dubbio che molto si deve allo zelo del P. Provinciale, all'abnegazione con la quale si è interessato a tutto e a tutti, specialmente nel triduo del Gesù, vada a V. R. innanzi tutto il mio paterno sincero compiacimento e la mia gratitudine. V. R. ha la consolazione di aver dato alla Compagnia, nostra comune Madre, una grande prova di affetto filiale,

(2) Cf. *Memorab. S. I.*, fasc. decembris 1941, pp. 73-77.
(3) V. supra, pag. 99.

che essa ben merita da noi. Speriamo che queste feste siano davvero riuscite a confermare e stimolare i Nostri nella loro vocazione, ad accrescere la stima degli uomini verso la Compagnia, che ha tanto bisogno di amici e di vocazioni, e a procurare al Signore, Datore di ogni bene, la gloria e la gratitudine dovutagli.

Ho già fatto pervenire a tutti i Superiori di Roma il mio compiacimento per la cooperazione di tutti alla buona riuscita delle feste, secondo il mio precedente invito; ma il buon Padre Provinciale meritava un plauso speciale. V. R. abbia la bontà di far sapere a tutti, quanto i Superiori hanno apprezzato il contegno dei Nostri e la loro cooperazione; Padre, Scolastici e Fratelli con il loro servizio di ordine, coi loro canti, con il loro contegno, tutti hanno ben meritato in questi giorni.

Benedico di cuore V. R. e la Provincia, che in questa circostanza ha dimostrato di meritare la grande grazia di stare vicina alla Santa Sede ed alla culla della Compagnia.

In unione de' SS. SS. SS.

di V. R.
Servo in Cto.
W. Ledóchowski S. I.

R. P. Emanuele Porta
Prep. Prov. - Roma.

56. **30 iun.-15 aug. 1941.**

Pater Noster nomine Societatis Summo Pontifici humillimas refert gratias ob edita decreta de miraculis et de « tuto » in causis canonizationis BB. Ioannis de Britto et Bernardini Realino (1).

I.

Beatissimo Padre,

La duplice approvazione, testè promulgata dei miracoli, foriera della Canonizzazione di due altri figli della Compagnia di Gesù, Martire l'uno, e l'altro Confessore, è ricevuta da tutto l'Ordine come una grazia insigne, dopo Dio dovuta alla Santità

(1) V. supra, pp. 44-54.

Vostra, e insieme come un monito provvidenziale. Perchè in questo scorcio del 4° Centenario della Compagnia, caduto nei tempi gravissimi, in cui ci troviamo a vivere, due nuovi campioni con l'eloquenza dell'esempio additano a tutti noi infallibilmente il principale frutto da trarre dalla storia del passato, che è quello di propagare fedelmente e difendere fortemente il regno di Dio nel posto assegnatoci dall'ubbidienza, fino a dare, se occorre, allo stesso scopo il sangue e la vita. Così fece fino alla tarda età di 86 anni il B. Realino, istruendo, edificando, consolando; così nella pienezza dei suoi 46 anni cadde Martire per la fede il B. Giovanni de Britto.

Parimenti nella glorificazione del Martire Portoghese traspare evidente anche un altro intento della divina Provvidenza, quello cioè di additare nella felicissima rinascita cattolica della grande nazione la via a nuove conquiste della Fede, come la Santità Vostra chiaramente accennò l'anno scorso nell'Enciclica « Saeculo exeunte octavo » (2).

Piena di gratitudine la Compagnia di Gesù, e nominatamente le Province Napoletana e Portoghese, madri gloriose di Santi e di Martiri, si prostrano ai Vostri piedi, e implorano umilmente la Vostra Apostolica Benedizione per corrispondere nello spirito sopra esposto alla grazia, che già ci è dato di pregustare, della suprema glorificazione di questi due eroici nostri Fratelli ed esemplari.

Roma, 30 giugno 1941.

Di Vostra Santità
l'ultimo figlio
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

II.

BEATISSIMO PADRE,

Coi due Decreti che la Santità Vostra si è degnata far pubblicare alla Sua augusta presenza in questa solennità dell'Assun-

(2) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1940, pp. 537 sq.

zione di Maria Santissima viene dichiarata libera e sicura la via luminosa che porterà ai supremi onori degli altari i Beati Giovanni de Britto e Bernardino Realino, ambedue glorie purissime della minima Compagnia di Gesù. Con l'animo pieno di profonda riconoscenza mi prostro ai piedi di Vostra Santità per dirVi, a nome dell'intera Famiglia di S. Ignazio, il nostro più sincero ringraziamento, nella fiduciosa attesa di udire, un giorno, se a Dio piacerà, non lontano, l'infallibile Vostra sentenza che li annunzierà ascritti nell'albo dei Santi.

Nel pregustare questa gioia ineffabile, ringrazio pure la Santità Vostra della circostanza scelta per la pubblicazione dei decreti. La solennità di Maria Santissima Assunta in cielo, se è carissima ad ogni cuore cattolico per le glorie supreme della Madre Celeste, è particolarmente gioconda per la Compagnia di Gesù, perchè le ricorda i primi voti dei suoi primi Padri, quando il 15 agosto 1534 si raccolsero sul Monte dei Martiri presso Parigi per stringersi intorno a S. Ignazio in un primo compatto manipolo, donde poi sorse il nuovo Ordine approvato quattro secoli or sono da Paolo III. E anche il Portogallo, singolarmente lieto per la promessa glorificazione del suo gran figlio il B. de Britto, è legato alla festa dell'Assunzione dal costante riconoscente ricordo, ogni anno rinnovato, della grande decisiva vittoria di Aljubarrota, riportata il 14 agosto 1385 dal suo eroico e santo Conestabile il B. Nonio Alvares Pereira, a cui pure la nobile Nazione auspica prossima la Canonizzazione (3).

Con questi sentimenti, baciando il sacro Piede di Vostra Santità, imploro umilmente per me e per la Compagnia l'Apostolica Benedizione.

Roma, 15 agosto 1941.

Di Vostra Santità
l'ultimo figlio
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

---

(3) V. supra, pag. 49.

57. 27 iul.-8 dec. 1941.

De obsequiis spiritualibus a Congregationibus Marianis et Apostolatu Orationis S. P. Pio XII exhibendis occasione Ipsius iubilaei.

I.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Die 13 maii proximi anni 1942, vicesimus quintus occurret anniversarius dies, ex quo Summus Pontifex Pius XII Episcopali est initiatus dignitate; et quamquam, sicut hucusque audivi, Ipse vult ut huius diei commemoratio inter fines modestos contineatur, hoc tamen non impedit quominus omnes, ut filios decet, pro amantissimo Patre proque Eius intentionibus assidue oremus, pia opera et fervidas preces ad mentem et in unione Summi Christi in terris Vicarii effundentes. Hinc opportunum duxi R.ae V.ae suggerere gratum, procul dubio, Summo Pontifici fore, si nostrae Congregationes Marianae, colligentes copiosam precum operumque spiritualium messem, fasciculos composuerint horum florum spiritualium, qui filialis instar munusculi amantissimo Patri in pergamena papyro hic paranda exhiberi poterunt.

R.m V.m igitur rogo ut communicare velit hoc meum desiderium cum Secretariatu et Directoribus CC. MM. istius Provinciae ad hoc ut in singulis Congregationibus Marianis haec obsequia Christi Vicario offerenda tempestive colligi possint. Quo vero facilius procedatur et quaedam servetur ubique uniformitas, sequentia esse possunt obsequia offerenda:

Missae celebr. 1a. int.	. . . .
Missae celebr. 2a. int.	. . . .
Missae auditae	. . . .
Communiones Sacramentales	. . . .
Visitationes ad SS. Sacr.	. . . .
Viae Crucis	. . . .

Coronae Rosarii . . . .
Preces variae . . . .
Mortificationes . . . .
Alii actus virtutis . . . .

Ubi primum haec obsequia collecta habeantur Romam mittantur ad Secretariatum Generalem CC. MM., curando ut huc perveniant sub finem mensis martii et non serius.

Non est necesse ut Romam mittantur computationes obsequiorum ab unaquaque Congregatione oblatorum, sed sufficit ut hic habeatur summa obsequiorum omnium Congregationum uniuscuiusque nationis; in pergamena enim papyro computabuntur et inscribentur hi flosculi spirituales ita ut appareat summa totalis universa et summa totalis singularum nationum.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 26 iulii 1941.

R.ae V.ea
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen Soc. Iesu.

II.

AD MODERATORES APOSTOLATUS ORATIONIS (1).

REVERENDE IN CHRISTO,
P. X.

Ut vobis iam notum est, die 13 maii 1942 per totum orbem terrarum, magis precibus et supplicationibus, quam externis pompis et sollemnitatibus, vigesimus quintus dies anniversarius consecrationis episcopalis dilectissimi Papae nostri Pii XII celebrabitur.

(1) Plenior inscriptio haec erat:
Omnibus Editoribus periodicorum Apostolatus Orationis, Secretariis Nationalibus Apostolatus Orationis, eiusdemque Moderatoribus Dioecesanis, et Cruciatae Eucharisticae Promotoribus.

Opus non est, Directoribus nostris stimulos admovere, ut omnibus quibus valent viribus, cum sociis suis ea omnia promoveant, quae ab auctoritate hierarchica, sive dioecesana sive paroeciali, in finem propositum incipientur vel iam incepta sunt.

Nemo tamen mirabitur, plurimorum ex sociis nostris votum esse, ut ipsa Pia nostra Unio in memorabilem illum diem Vicario Christi speciale obsequii testimonium porrigat. Vinculum, quod, per intentiones papales, per ipsum Secundum Gradum Apostolatus Orationis, perque Horologium Eucharisticum Missarum pro Papa, nos iungit cum Summo Pontifice, paterna benevolentia, qua tam saepe Sanctitas Sua verbo et scripto nos prosecuta est, magna immo spes, quam ipse Vicarius Christi in unitis pacificissimi nostri orantium exercitus precibus se ponere pluries manifestavit, tale votum prorsus comprobare videntur.

In aliis circumstantiis Directio Generalis forte confratribus Directoribus proposuisset, ut ex omnibus Centris magnificum « Thesaurum Spiritualem » Missarum, Communionum, orationum, aliorumque piorum operum colligerent. Cum autem audiverimus, a Congregationibus Marianis talem « Thesaurum » oblatum iri [2], visum est nobis omnes nostros Directores rogare ut per Directionem Generalem Summo Pontifici offerre velint Album, quod inscribi potest:

Testimonia quaedam
venerationis et pietatis
qua in omni mundi plaga
erga Summum Pontificem Pium Papam XII
flagrant socii Apostolatus Orationis.

In hoc Albo colligentur:

1) Relationes brevissimae de iis quae a determinatis « Nuntiis SS. Cordis » acta et edita sunt in laudem, reverentiam, servitium Vicarii Christi, verbi gratia: de Horis Sanctis, ductu Directorum habitis ad intentiones Papales; de numero distributo foliorum, libellorum, articulorum, de Sancta Sede tractantium; de propagatione Encyclicarum in lingua vernacula, de cooperatione ad Horologium pro Papa, de emissionibus radiophonicis intentionum Papalium, etc. etc.

---

(2) V. hic supra, pp. 113 sq.

2) Dicta vel brevissimae epistolae parvulorum Cruciatorum.

3) Vota ipsorum Directorum, nomine suorum sociorum.

4) Preces et pia opera, quae *non* sunt notatae in aliis « Thesauris Spiritualibus ».

Ut ex his componatur codex dignus qui offeratur Summo Pontifici, Directores nostri sequentes velint observare condiciones:

1) Ut relationes scribantur *pagellis ornatis et uniformis mensurae,* scilicet 18 c. m. latitudinis et 25 c. m. altitudinis.

2) Ut in capite singularum pagellarum nitidis characteribus scribatur *nomen nationis vel regionis.*

3) Ut, si Editores nostri operae pretium ducant, quaedam folia, vel quasdam paginas et reproductiones ex « Nuntiis » suis monstrare Summo Pontifici, *non totum fasciculum mittant, sed* unam alteramve paginam, unam alteramve photographiam, utramque prorsus extraordinariam et characteristicam, glutino vel alio modo, pagellis, de quibus sub 1) dictum est, affixas.

4) Ne alia mittant, quam *quae devotionem Apostolatus Orationis erga Vicarium Christi illustrant.*

5) Ob speciales in hodierno litterarum commercio difficultates, vix possibile est, *ultimum diem determinare,* quo omnes istae pagellae Romae esse debent apud Directionem Generalem. Tantum enixe rogandum est, ut *quam celerrime fieri potest,* emittantur.

6) Quo in casu commercium litterarum fieri debeat per viam aëream, neque igitur conveniat mittere pagellas ornatas supradictae dimensionis, relationes *scribantur eo modo, qui apud viam aëream in usu est;* tum Directio Generalis curam habebit ut lepide transcribantur.

Occasione mox instantis Festi Natalis Domini et appropinquantis Novi Anni omnibus haec legentibus apprecari liceat: « Adaperiat Dominus cor omnium in lege sua et in praeceptis suis, et faciat pacem » (2 Mach. 1, 4).

Romae, die 8 decembris 1941.

IACOBUS ZEIJ S. I.
Dir. Gen. Deleg. Ap. Or.

58. 31 iulii 1941.

Promulgatur nova « Ratio Studiorum Superiorum Soc. Iesu » (1).

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDI IN XTO. PATRES,
P. XTI.

Divina Providentia id suaviter disponente, factum est ut nova haec nostra *Ratio Studiorum,* quod ad studia philosophica et theologica, ex mandato proximae Congregationis Generalis XXVIII^{ae} (decr. 38) et ea ratione quae ibi praescribitur accurate confecta, hodie tandem, hoc ipso festo die Sancti Patris Ignatii, Societati proponi et promulgari possit.

In qua quidem *Ratione Studiorum* componenda, eiusdem Congregationis Generalis XXVIII^{ae} tam decreta (36-40) quam peculiares normas manuscriptas ad hunc finem stabilitas fideliter exsequentes, eo in primis intendimus, ut sapientissima Constitutionum principia atque antiquae Rationis Studiorum instituta, quae studia superiora spectabant, huius temporis necessitatibus ac condicionibus, Ecclesia duce, adhibuissemus. Quare, et studia, quae in admittendis ad professionem quattuor votorum requiruntur, recentibus Ecclesiae legibus ad gradus academicos obtinendos latis aptavimus; et aliorum Scholasticorum philosophicam ac theologicam institutionem secundum iuris communis et Instituti nostri praescripta ordinavimus; et iuvenes nostros scientiis quas positivas vocant plenius instrui atque adeo in methodorum investigationis scientificae usum introduci providimus, ut Nostri expositionem doctrinae christianae illis quoque recentioribus instrumentis aptius evolvere et Ecclesiae adversarios suis ipsorum armis profligare valeant.

Simul tamen, ad mentem Congregationis Generalis, illud nobis documento habuimus, quod eiusmodi laborem in antiquam Rationem Studiorum aggressurus sibi proposuerat R. P. Ioannes Roothaan (epist. d. d. 25 iul. 1832): « non leviter nec temere quid-

(1) Textum integrum novae huius « Rationis Studiorum » vide infra, pp. 151-269.

quam in eo opere mutandum, quod et a summis viris, collatis diu multumque consiliis, redactum et duorum fere saeculorum felici experientia comprobatum, et ab ipsis etiam Societatis hostibus summis non raro laudibus commendatum fuisse » (2). Idque eo sanctius retinendum duximus, quod nunc fere ubique terrarum praeclaros quosque viros, quibus solida invenum institutio maxime cordi sit, intime sentire et aperte fateri comperimus redeundum esse ad principia, quibus antiqua nostra Ratio Studiorum innitebatur, quae non iam duorum ser quattuor saeculorum usu optime comprobata dici possunt.

Bina autem praesertim ipsius S. Patris Ignatii principia, quae ceterum etiam Apostolicae Constitutioni *Deus scientiarum Dominus* aptissime quadrant, integra manerent oportuit: et primum quidem, ut doctrina profundior potius quam amplior quaeratur, ideoque Philosophia scholastica et sacra Theologia, in sua quaeque Facultate, primum omnino locum obtineant; alterum vero, ut ad illam ipsam altiorem doctrinam efficacius obtinendam, per scholasticam nobisque a maioribus traditam docendi et discendi rationem, totus doctrinae contextus lucide semper et perspicue proponatur, simulque singulae veritates, coniuncta Professorum et discipulorum opera, in schola primum, ac dein cum privato studio, tum disputationibus, repetitionibus, variis exercitationibus serio et diligenter peractis, omni ex parte considerentur et discutiantur, et ita magis magisque Auditorum mentibus effulgeant atque altius imprimantur.

Constat autem hac ratione mentes optime disponi ad rectam dein viam inveniendam in solvendis difficillimis nostrorum temporum quaestionibus et ad defensionem ac propagationem fidei ubique et inter quasvis hominum classes tutius persequendam, ad quem finem ut ipsa Societas est instituta, ita totus quoque eius labor tendere debet. Quapropter etiam hac in re antiquam Rationem Studiorum secuti, supernaturalem et apostolicum nostrorum studiorum finem a S. Patre saepe in Constitutionibus expressum semper ob oculos habuimus (3), quippe qui efficacissimus sit stimulus tam Professoribus quam Scholasticis, ut in studia totis

(2) *Epistolae P. I. Roothaan*, Romae, 1935-1940, vol. III, p. 526.

(3) Cf. etiam in hac *Ratione Studiorum*, v. gr. nn. 18, 22 § 1, 40 § 2, 75, 76, 140, 306, 311.

viribus incumbant, simulque vim mentis acuat, nam, ut recte dicit S. Augustinus: « tanto fructuosius cogitabis, quanto magis pie cogitaveris » (4).

Humiles vero gratias Deo referendas censemus, quod medios inter immanis belli fluctus et ignes atque inter tantam animorum perturbationem et errorum diffusionem, haec pacifica parari potuerint arma, quibus Nostri omnes aptius instruentur et propius praeparentur ad ingentem illum apostolicum laborem pro modulo nostro suscipiendum et iuvandum, de quo Beatissimus Pater Pius XII in Allocutione die 24 decembris 1940 pulcherrima verba fecit (5).

Itaque haec nova *Ratio Studiorum Superiorum Societatis Iesu* posthac promulgata habeatur, et secundum eam studia philosophica et theologica Nostrorum ubique in Societate regantur.

« Ceterum cum novis semper institutionibus maius firmitatis pondus ab experimento soleat accedere » (6), ideo sicut in decretis 38 et 39 Congregationis Generalis XXVIII^ae^ provisum est, haec *Ratio Studiorum* « ad experimentum usque ad subsequentem Congregationem Generalem in praxim deducenda erit », ita ut singula quidem eius praescripta omnes diligenter exsequi atque observare curent, sed simul « si qua in his regulis quotidianus ipse usus docuerit emolumenti minus, quam speratum fuerat, habitura, notentur haud segniter in singulis Provinciis » (7).

Vestris sanctis Sacrificiis me enixe commendo.

Romae, die festo S. Patris Ignatii, 31 iulii 1941.

Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

---

(4) Epist. 140, c. 19: MIGNE, P. L. vol. XXXIII, col. 558, n. 48.
(5) Cf. *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXIII, 1941, pag. 8.
(6) *Ratio atque Institutio Studiorum*, edit. 2a, Romae, 1591, praefatio.
(7) *Ibid.*

59. **13 augusti 1941.**

De reformatione Calendarii a Nostris non promovenda.

AD ALIQUOT PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Cum R. V. communico Sanctam Sedem non desiderare ut Nostri sive scriptis sive quacumque alia ratione in favorem reformationis, quae dicitur, Calendarii agant. Velit R. V. sine mora Patres suae Provinciae, qui his quaestionibus student, de expressa hac Sanctae Sedis voluntate certiores facere et exemplar harum litterarum ad alios Provinciales suae Assistentiae mittere.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 13 augusti 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Wlodimirus Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Iesu.

60. **11 novembris 1941.**

Oratio Patris Nostri in sollemni conventu in Pont. Universitate Gregoriana habito, quo festa centenaria Societatis Romae claudebantur (1).

Altezze, Eminenze, Signore, Signori (2),

La Compagnia di Gesù, nata in mezzo a vasti e profondi sconvolgimenti sociali e religiosi, che segnavano l'inizio d'una

(1) Cf. *Memorab. S. I.*, fasc. decembris 1941, pp. 77 sq.; item cf. ephem. « *L'Osservatore Romano* » d. 13 nov. 1941.

(2) Aderant Serenissimi Principes D. Ioannes de Borbón cum coniuge et D. Gabriel de Borbón; Eminentissimi Cardinales Gasparri, Salotti, Te-

nuova epoca per il mondo e la Chiesa, ha celebrato il suo quarto centenario in mezzo a sconvolgimenti ancor più vasti e ancor più profondi; gli uni e gli altri permessi dalla divina Providenza, — la quale, come così bellamente si esprime nella sua sublime semplicità l'orazione liturgica: « in sua dispositione non fallitur » (3), — per santificare più la Chiesa e per ricondurre il mondo a Dio, da cui in gran parte s'era allontanato.

In tale circostanze pensavamo di celebrare questa fausta ricorrenza quattro volte centenaria soltanto nell'intimità della nostra Famiglia religiosa. Ma inaspettata ci sopravvenne in quasi ogni parte del mondo la partecipazione viva e cordiale di ogni ceto sociale al nostro centenario: autorità ecclesiastiche e civili, clero secolare e regolare, scienziati ed operai, figli spirituali, amici e benefattori. La stampa di molte regioni ci dedicò lunghi articoli d'occasione, pieni di una benevolenza che ci confonde. E se giornali e periodici atei vollero invece scagliarci ingiurie e calunnie, queste ci riempirono, secondo l'insegnamento di Nostro Signore, di gaudio e di esultanza.

Nei paesi, dove più tranquille condizioni lo permisero, ci furono grandiose e pubbliche manifestazioni, come nella Spagna e in tutta l'America del Nord e del Sud, e segnatamente nel Brasile dove assursero fino al carattere ufficiale di celebrazioni nazionali. Anche nei paesi dell'Estremo Oriente, nell'India, nella Cina e nelle Filippine, si ebbero imponenti commemorazioni, come quelle celebrate all'Università Cattolica di Pekino, a Calcutta, a Manila, e molte altre: eloquenti testimonianze del grato animo di quei popoli per il lavoro apostolico dei nostri Missionari.

In Italia, dopo la splendida Lettera Pontificia, con cui il Santo Padre Pio XII gloriosamente regnante si degnò partecipare al nostro centenario e dopo le celebrazioni romane così largamente frequentate, le quali culminarono nell'indimenticabile Udienza Pontificia del 27 aprile (4), si svolsero in varie città

---

deschini, Pizzardo, Pellegrinetti, Caccia-Dominioni, La Puma, Cattani; Em. Cels. Princeps Ludovicus Chigi Albani della Rovere, Supremus Magister Ordinis Equitum Melitensium; Exc.mi Legati et Ministri plurium Nationum etc. etc.

(3) Orat. Dom. VII post Pent.

(4) V. supra, pp. 18-32.

solenni festeggiamenti, con attestati di profonda simpatia e di sincera benevolenza.

Degno di particolare rilievo per la serietà del suo carattere scientifico fu il ciclo di conferenze tenutesi lo scorso maggio nell'Università Cattolica del Sacro Cuore a Milano per geniale iniziativa dell'Eccellentissimo Rettore Magnifico Padre Agostino Gemelli, le quali poi furono raccolte in un volume rispecchiante il contributo della Compagnia di Gesù alla letteratura, all'arte, alla scienza non strettamente sacra (5).

A quella serie di conferenze fa degno riscontro l'altra che si è svolta in questa Pontificia Università Gregoriana nei giorni scorsi, in cui si sono ricordate le modeste benemerenze acquistatesi dalla Compagnia nel campo delle scienze sacre (6).

Manifestazioni così universali e così spontanee di stima e di affetto, la cui copiosa documentazione ci proponiamo di raccogliere, a tempo migliore, in alcuni volumi commemorativi, hanno fatto dell'attuale centenario, se non per la pompa esterna, certo per l'universalità e profonda sobrietà, il più solenne che mai abbia celebrato la Compagnia di Gesù.

E confessiamo ben volentieri che in mezzo alle gravi tribolazioni che anche noi dobbiamo soffrire nei tempi che corrono, vedendo, fra altri patimenti, la nostra attività apostolica in non poche Province religiose della Compagnia per varie ragioni ostacolata ed anche gravemente minacciata, confessiamo che tutto ciò fu per noi di grande consolazione e conforto. Di consolazione, perchè ci dimostrava che le nostre umili fatiche sono benevolmente apprezzate in tutti i gradi della Gerarchia e in tutte le classi del popolo cristiano; e di conforto, perchè ci confermano nella speranza che la Famiglia di S. Ignazio, come già nel secolo XVI, così anche nel XX potrà in qualche misura contribuire al conseguimento del supremo ideale della Chiesa Cattolica, che cioè il mondo intero, piccoli e grandi, conoscano e adorino in ispirito e verità l'unico vero Dio e Colui ch'egli ha inviato, Gesù Cristo Signor Nostro.

Ma inoltre ci pare di poter vedere in queste manifestazioni un più alto significato; ci pare di poter intravvedere anche in

---

(5) V. infra, pp. 279 sq., 290 sq.

(6) Cf. *Memorab. S. I.*, fasc. decembris 1941, pag. 77.

esse un raggio di luce, sia pur tenuissimo, fra altri raggi più luminosi che forse cominciano a diradare le fitte tenebre che coprono l'orizzonte. Difatti, se a poveri Religiosi, i quali, come si legge nella Bolla « *Exposcit debitum* » di Giulio III del 21 luglio 1550, « vogliono combattere per Dio sotto il vessillo della Croce e mettersi al servizio dell'unico e solo Signore e della Chiesa sua Sposa, sotto il Romano Pontefice, Vicario di Gesù Cristo in terra » (7); se a questi semplici Religiosi per una festa di famiglia si tributano tante testimonianze di benevolenza:

è segno che l'umanità, disillusa delle false dottrine e promesse di felicità puramente terrena, sperimenta in sè l'eterna verità delle parole che più di 1500 anni fa uno dei più grandi ingegni che conosciamo, S. Agostino, Africano di nascita, Romano di spirito, rivolse a Dio, esclamando: « Ci hai fatti, o Signore, per Te, e perciò il nostro cuore è inquieto finchè non si riposi in Te » (8).

E' segno che il mondo, esposto a tante durissime prove, sempre più, quasi istintivamente, riconosce che solo in Gesù Cristo, via, verità e vita, può trovare la pace e la felicità, perchè, come diceva S. Pietro, « non c'è sotto il cielo alcun altro nome dato agli uomini, dal quale possiamo aspettarci d'esser salvati » (9).

E' segno che molti, moltissimi, anche apparentemente lontani dalla Chiesa, sotto l'impulso della divina grazia, che ora per la misericordia di Dio muove più potentemente i cuori, come lo vediamo nell'intimo contatto colle anime di diversi paesi e di tutte le classi, si uniscono alla preghiera della Chiesa: « Emitte Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae ».

A questo eccelso fine di rinnovare tutto in Cristo alla maggior gloria di Dio, il nostro Santo Fondatore — unendo in sè in modo ammirabile la più alta contemplazione colla più intensa attività apostolica, — istituì la Compagnia, insignita per voler divino del Nome Santissimo di Gesù. E poichè per cooperare più efficacemente a quel fine S. Ignazio nelle Costituzioni del

(7) Cf. Form. Inst. Iulii III, n. 1.

(8) S. Augustinus, *Confessiones*, l. I, c. 1, n. 1: « ... quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ».

(9) *Act.*, IV, 12.

nostro Ordine, rimaste anche dopo quattro secoli immutate e sempre di nuovo approvate dalla Santa Sede, ci ha lasciato norme che, insieme con l'aureo libro degli Esercizi, reggono tutta la nostra vita; — norme piene di sublime unzione e di geniale spirito organizzatore, riconosciuto anche dagli avversari, — abbiamo creduto conveniente chiudere qui in Roma il ciclo delle nostre commemorazioni centenarie con la prima esecuzione di un Oratorio, composto con cuore di figli da due nostri Padri, per rievocare la grande figura del Santo Patriarca (10).

Colgo quest'occasione per dire a tutti, vicini e lontani, a quanti hanno preso parte a queste celebrazioni centenarie, il nostro « grazie » profondamente sentito e cordiale.

Il nostro ringraziamento vada in modo speciale alle loro Altezze Reali qui presenti, agli Eminentissimi Cardinali, agli Eccellentissimi Ambasciatori e Ministri di tanti diversi paesi che oggi onorano questa commemorazione finale, a tutti gli illustri personaggi che loro fanno degna corona e a tutti quelli che non potendo intervenire di persona hanno voluto gentilmente mandarci la loro adesione con telegrammi e lettere piene di amabilità.

E mi si consenta in fine di ringraziare caldamente la Direzione generale dell'Ente Italiano Audizioni Radiofoniche (E.I.A.R.), che gentilmente si è assunta l'esecuzione dell'Oratorio di S. Ignazio, i valenti Maestri ed interpreti, e tutti gli altri che concorrono ad apprestarci quest'ora di spirituale diletto (11).

---

(10) Oratorium Sacrum « *Ignatius de Loyola* » compositum est quod ad verba a P. Florentino Ogara (Prov. Castell.), quod ad modos musicos a P. Georgio Strassenberger (Prov. Germ. Sup.). Cf. *Memorab. S. I.*, fasc. decembris 1941, pag. 78.

(11) Cf. infra, pag. 296.

61. 8 decembris 1941.

De iubilaeo episcopali S. P. Pii XII a Nostris celebrando.

AD EMINENTISSIMUM DOMINUM
CARD. FRANCISCUM MARCHETTI-SELVAGGIANI
S. P. Pii XII Generalem in Urbe Vicarium.

EMINENZA REVERENDISSIMA,

Già da lungo tempo avevamo notato la prossima fausta ricorrenza del Giubileo episcopale del S. Padre Pio XII felicemente regnante e andavamo studiando il modo di mostrare il più degnamente possibile tutta la profonda devozione e il filiale attaccamento, da cui secondo lo spirito del nostro Istituto ci sentiamo legati al Vicario di Cristo. Perciò singolarmente gradita ci giunse la venerata lettera che Vostra Eminenza Reverendissima, come Presidente del Comitato Centrale per le onoranze giubilari, in data 23 novembre (N. 7) ha avuto la bontà di rivolgere ai Superiori Generali degli Ordini Religiosi (1). La minima Compagnia di Gesù, memore dei vincoli da cui è avvinta alla Cattedra di S. Pietro, come pure del debito di singolare gratitudine che ha verso il S. Padre Pio XII felicemente regnante, il Quale si degna dimostrarle continuamente una sì paterna e sì tenera benevolenza, farà tutto il possibile secondo le sue deboli forze per degnamente e largamente corrispondere all'invito del Comitato Centrale, seguendone le sapienti direttive, che ci auguriamo di presto ricevere, onde possiamo ad esse coordinare le nostre iniziative.

Abbiamo già da vari mesi invitato tutti i Segretariati nazionali delle Congregazioni Mariane a promuovere tra i Congregati una raccolta di un tesoro spirituale (2), che ci proponiamo di offrire poi in forma semplice ma decorosa al Santo Padre, il Quale tanto ama ed apprezza questi Sodalizi. Recentemente fu pure inviato, per quanto lo permettevano le attuali difficoltà di comunicazioni, un analogo invito ai Segretariati nazionali del-

(1) V. supra, pp. 41 sq.
(2) V. supra, pp. 113 sq.

l'Apostolato della Preghiera perchè raccolgano anch'essi una simile offerta spirituale da umiliarsi al Santo Padre a nome di tutta questa grande associazione (3). I Padri poi e Fratelli della Compagnia, nelle varie Provincie e Missioni si uniranno di tutto cuore alle preghiere della Santa Chiesa per il suo venerato Capo visibile, e procureremo pure di dare anche qualche segno esterno della nostra interna devozione al Santo Padre.

Spero di poter più tardi comunicare a Vostra Eminenza Reverendissima con qualche maggior precisione quello che intendiamo o avremo già potuto fare per sì fausta ricorrenza.

Chinato al bacio della S. Porpora con profonda venerazione mi professo

Roma, 8 dicembre 1941.

di Vostra Eminenza Reverendissima
devotissimo servitore
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

62. **8 decembris 1941.**

De Documentis triennalibus et Statisticis annuis parandis.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS EXTRA ITALIAM (1).

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Ante tres annos, hoc ipso die festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., Pater Noster communes ad omnes Provinciarum

---

(3) V. supra, pp. 114 sqq.

(1) Nam, cum pro Italia hodiernae difficultates commercii litterarum cum Urbe sint profecto multo minores, Praepositis Provinciarum Italiae data est peculiaris epistola, cum hac norma: « ...quare, mandante Patre Nostro R.m V.m rogo ut haec documenta diligenter et accurate secundum normas in memorata Instructione (mutatis solum numeris annorum 1936, 1937, 1938 in 1939, 1940, 1941) paranda curare velit... » (omissa tota pericope sequenti: « Patet etc. »).

Praepositos dabat litteras de *Documentis triennalibus* in annum 1939 parandis et conficiendis cum adnexa Instructione (cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, pp. 221-226). Triennio 1939-1941 iam iam exacto, rursus instat tempus eadem repetendi; quare, mandante Patre Nostro, haec R.ae V.ae commendanda habeo.

Patet, ob hodiernas difficultates, neque hinc ad Provincias consuetos modulos facile mitti posse, neque ex Provinciis documenta Romam transmitti. Id tamen non prohibet quominus omnia (ut ita dicam) elementa ad illa documenta conficienda iam nunc sedulo colligantur et accurate serventur; quin immo id omnino necesse est, secus, ut experientia docet, difficile admodum erit opportuno tempore praesto habere informationes ad modulos complendos. Quodsi visum fuerit ipsos modulos in singulis Provinciis aut pro Provinciis unius regionis vel Assistentiae typis imprimere et iam nunc plene conficere, id omnino pro hac vice probatur, dummodo moduli quod ad chartam, formam et dispositionem adamussim fiant ac ii qui alias hinc mittebantur (2). Omnia tamen istic servanda erunt, donec, pace ex Dei bonitate tandem restituta, faciliores relationes postales item restituantur.

Instructio autem, ante triennium data (*Acta Rom.*, l. c.) adhuc viget, mutatis solum numeris annorum 1936, 1937, 1938 in 1939, 1940, 1941. Ut tamen auxilio sim Patri Socio vel alii ad id deputato, separato folio nunc ipsum mitto singulis Provinciis defectus qui forte deprehensi sunt in redactione praecedentium documentorum.

Idem fere dicendum occurrit, congrua congruis aptando, *de Statisticis annuis*, quas iam nunc plene parare et scribere

---

(2) Qui modulos typis imprimendos curare volunt, bene notent sequentia:

1) in Catalogo I (*non autem in* « *Supplemento* ») addendae sunt sub n. III post lineam « Regnum (seu respublica, etc.) » hae tres lineae:

Nomina familiae et baptismi parentum:

Patris: . . . .

Matris: . . . .

2) in Catalogo II et in « Supplemento »:

a) in linea « Provincia ad quam actu pertinent (Epit. n. 817 § 1) », delenda est vox « actu »;

b) linea sequens « Provincia in qua... etc. » tota delenda est.

oportet, quamquam moduli hinc non mittuntur neque remittendi sunt Romam. In his quoque conficiendis diligenter serventur quae alias praescripta sunt (cf. *Acta Rom.*, vol. VII, 1934, pp. 751-755).

Rogo praeterea ut *annuos catalogos Provinciae* typis editos tempestive, quantum fieri poterit, ad nos mittere curetis.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 8 decembris 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

63. **18 decembris 1941.**

De decreto a Sacra Congregatione Concilii nuper edito « de Missarum reductione et satisfactione ».

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Non ita pridem a Sacra Congregatione de Religiosis nobiscum communicatum est decretum « de Missarum reductione et satisfactione » die 1 augusti 1941 editum a Sacra Congregatione Concilii; quod, ex expressa Summi Pontificis voluntate, etiam omnes religiosos, etsi exemptos, tangit. Non est cur decretum ipsum ad R.m V.m mittam; sed de illis quae in eo continentur et statuuntur, haec potissimum notanda sunt:

Quod ad obligationem tot Missas celebrandi et applicandi quot stipendia accepta fuerint; itemque quod standum sit stipendio ab Ordinario loci statuto vel in dioecesi vigenti; necnon quod reductio onerum Missarum unice Sanctae Sedi competat, non est cur in memoriam R. V. revocem, cum bene noscat clara statuta Codicis Iuris canonici in huiusmodi negotiis. Quoad vero officium invigilandi ut onera Missarum cum manualium, tum

ad instar manualium, tum praesertim fundatarum, fideliter adimpleantur, exstat epistola R. P. Antonii M. Anderledy, die 31 iulii 1887 data (*Epist. select.*, pp. 287-290), quae si fideliter prae oculis habeatur, eiusque ordinationes si diligenter ad exsecutionem deducantur, praesertim in annuis domorum visitationibus, certo certius praescripta canonum 841, 842, 843 et 844, a citato decreto memorata, accurate servabuntur.

Circa vero stipendia Missarum duo statuta continet decretum, quae aliquid novi prae se ferre videntur: nam 1° non solum in memoriam revocat quod, iuxta canonem 832, Ordinarii locorum possunt prohibitionem dare sacerdotibus utriusque cleri minorem eleemosyna dioecesana vel in dioecesi vigente stipem pro Missarum applicatione accipiendi, sed apertis verbis dicit huiusmodi prohibitionem valde opportunam esse ad fovendam observantiam praescriptorum canonum 828 et 840 § 1, quorum vi tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint, eaedemque, si ad alios celebrandae tradantur, integre, ut acceptae sunt, transmittantur;

2° vero statuitur ut ne qui tenuioris sunt conditionis prohibeantur Missas applicandas tradere, locorum Ordinarii praescribere curent ut in unaquaque ecclesia, etiam religiosa seu regulàri, collocetur capsa aliqua ad oblationes, cuiusvis sint valoris, colligendas pro Missis applicandis, et ex pecunia ita collecta tot applicentur Missae ad mentem oblatorum, quot satis sint ad rationem eleemosynae in dioecesi vigentis.

Tandem, decretum praescribit ut « infra annum a die editi huius decreti (seu a die 1ª augusti 1941) omnes qui iure vel privilegio reducendi Missas aut earum eleemosynas fruuntur, Sanctae Sedi, idest Sacrae Congregationi a qua quisque hac in re dependet, facultates omnes denunciare tenentur, quae quinquennium excedant, vel quae datae sint nullo praefinito tempore vel etiam vivae vocis oraculo, non obstantibus quibusvis etiam speciali mentione dignis, addita comminatione qua, eodem anno elapso, huiusmodi facultates, quae non fuerint ita denuntiatae, eo ipso uti abrogatae et nullius momenti sint ». Cui statuto ut satisfiat etiam a nobis, R. V. inquirere curet in singulis domibus suae Provinciae, utrum aliqua facultas reducendi Missas aut earum eleemosynas habeatur, quae praefatis conditionibus

sit obnoxia, de illaque me certiorem faciat per exemplar rite exaratum, ut statutam denuntiationem peragere valeam. Etsi vero in decreto non ponatur *tempus a quo* facultatum, nullum tamen dubium est ipsum illas tantum facultates respicere quae in vigore sunt, seu illas quae respiciunt reductiones onerum Missarum vel earum eleemosynarum, quibus in praesentiarum aliqua domus vel persona moralis fruitur, quamvis multis iam ab annis concessio obtenta sit.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 18 decembris 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

64. **24 decembris 1941.**

De Nostrorum opera impendenda in quandam Encyclopaediam Missionariam parandam.

I.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Quo notitia Missionum semper largius divulgetur, voluit Sacra Congregatio de Propaganda Fide ut lexicon conficiatur in quo Missiones tam antiquae quam hodiernae penitus describantur. Existimant periti fore ut opus univérsum, imaginibus chartisque geographicis ornatum, non minus quam quattuor vel quinque voluminibus constet, quorum singula 1000 circiter paginas continebunt, ita ut lexicon illud veri nominis encyclopaedia haberi possit.

Ut hoc negotium ad felicem exitum perducatur, omnino necessarium est ut, e singulis Ordinibus et Congregationibus mis-

sionariis, peritissimi quique operam suam navent. Cum autem scriptores per universum orbem sparsi sint, clare apparet lexicon evulgari nequaquam posse antequam, reddita pace, commercium epistolarum nullo amplius obstaculo impediatur. Ceterum tanta est huius negotii moles ut vel plures anni in praeparandis rebus consumendi videantur.

Attamen iam nunc, nulla intermissa mora, colligendae veniunt informationes breviores eo fine ut moderatores, qui Romae huic negotio praefecti sint, pressius determinare queant quibusnam de rebus et quanam amplitudine postea tractandum sit. Deinceps singuli articuli peritis viris conscribendi committentur.

Quo magis ordinate procedatur, Praelatus, cui Romae totius rei cura commissa est, duos diversos elenchos quaesitorum confici curavit, quorum primum ad Superiores Ecclesiasticos Missionum, alterum vero, cuius transcriptionem his litteris addo, ad Superiores Generales variorum Institutorum misit, atque ipse litteris privatis a me petiit ut responsum quamprimum daretur (1).

Ad respondendum quaesitis (sub Num. I ad V) circa Societatem, eius Fundatorem, numeros statisticos, territoria missionum, domus formationis et folia periodica quae extra Missiones evulgantur, hic Romae informationes fere sufficientes colligere possumus. Quod autem ad reliqua quaesita attinet, vix responsum exactum praeparare valemus nisi a Nostris in variis Provinciis adiuvemur.

Quare rogo ut R. V. pro quaesitis, quae (sub Num. VI ad XII) ad propriam Provinciam pertinent, informationes colligi curet. In responsis Nostri usurpare possunt cum linguam latinam tum unam ex quinque magis notis, scilicet: anglicam, gallicam, germanicam, hispanicam vel italicam. Velit R. V. omnia quae ad hoc lexicon spectant, directe mittere ad P. Hermannum Haeck, Adiutorem Praesidis Secretariatus Missionum, cui in Curia hoc negotium commisi.

Inter quaesita maximum momentum habet nomenclatura eorum missionariorum (sub N. VI) qui tantum in Missionibus influxum habuerunt ut in lexico specialis eorum biographia evulganda videatur. Quo magis Nostri in conficiendo elencho no-

(1) Huiusmodi elenchi quaestionum visi non sunt hic transcribendi.

minum adiuventur, simul cum his litteris mitto elenchum Romae redactum (2) eo fine ut, si qui missionarii eximii ex Provincia vestra ommissi fuerint, addantur eorum nomina simul cum nota biographica et bibliographica. Moderatores romani hoc elencho in eligendis nominibus de quibus in lexico tractandum erit, magnopere iuvabuntur.

De reliquis quaesitis nihil addendum videtur. Unum tamen animadvertere iuvabit: etenim, cum Nostri invitentur ut, earum rerum quae ad ornandam encyclopaediam magis conferant, imagines photographicas mittant, cumque ex alia parte ex nonnullis regionibus imagines mitti nequeant, sufficere existimo si interim exacta rerum descriptio mittatur, simul cum indicatione domus ubi asservatur, ita ut postea, si opus erit de mittendis imaginibus photographicis scribi possit.

Penitus apparebit R.ae V.ae quanti momenti sit pro universa Ecclesia ut hoc negotium quamprimum ad felicem exitum perducatur. Cum autem Societas tam magnam partem habuerit in historia Missionum, Moderatores, quibus redactio encyclopaediae commissa est, maximam in collaborationem Societatis spem habent repositam. Ego quoque persuasum habeo Nostros nihil esse praetermissuros quominus magna alacritate aggrediantur opus quod Sacrae Congregationi de Propaganda Fide tantopere cordi est.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 24 decembris 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

---

(2) Etiam hic elenchus visus non est hic transcribendus.

II.

AD OMNES SUPERIORES REGULARES MISSIONUM.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Procul dubio R. V. iam audivit quomodo, ad notitiam Missionum latius spargendam, Sacra Congregatio de Propaganda Fide voluerit ut encyclopaedia praeparetur in qua Missiones cum antiquae tum nostri temporis penitus describantur. Existimant periti fore ut opus universum, imaginibus chartisque geographicis ornatum, non minus quam quattuor vel quinque voluminibus constet, quorum singula 1000 circiter paginas continebunt.

Probabiliter R. V., legit elenchum quaesitorum, quem Moderatores, huic negotio Romae praepositi, omnibus Superioribus ecclesiasticis Missionum transmitti curaverunt. Simul cum his litteris nunc ad R.m V.m mitto elenchum, a primo diversum, quem iidem Moderatores ad omnes Superiores Generales Ordinum et Congregationum Missionariorum dederunt (1).

Cum in utroque elencho invitemur ad redigendam nomenclaturam Missionariorum, quorum biographiam in lexico evulgandam esse existimemus, communico cum R. V. elenchum Romae confectum et ad Praepositos Provinciarum eo fine missum ut nomina adderent eorum qui forte omissi fuerint (2). A R. V. quoque peto ut, simul cum nota biographica et bibliographica, addere velit nomina Missionariorum insignium, praesertim nostri temporis, de quorum vita in archivo Missionis informationes inveniuntur. Haec nomenclature eo praesertim inservire debet ut Moderatores romani pressius determinet quaenam nomina et quanam amplitudine postea a nobis illustranda sint.

Ad R.m V.m etiam mitto statisticos numeros, ope catalogorum anni 1941 Romae utcumque confectos, in quibus, iuxta quaesita. Nostri in exteros et indigenas distinguuntur separatimque nu-

(1) Huiusmodi elenchi visi non sunt hic transcribendi.
(2) V. supra, pag. 131, cum nota ibidem.

merantur. Cum nobis circa Socios nostros indigenas exactae informationes desint, rogo ut R. V. numeros a nobis collatos ita corrigat ut statum inerratis anni 1942 exprimant.

Quo magis in computandis numeris uniformitas servetur, tamquam indigenae saltem extra utrasque Americas considerandi sunt ii qui terram Missionis tamquam patriam habent; praeterea in numero Sociorum uniuscuiusque Missionis, prout in adnexis statisticis distinguuntur, computandi sunt Socii qui ad Missionem pertinent, ubicumque degant, nisi alii Missioni vel Provinciae sint applicati; necnon Socii ad alias Provincias vel Missiones pertinentes, qui huic Missioni sunt applicati; minime tamen inter Missionarios exteros computentur ii qui patriam nunquam reliquerunt vel in eam definitive reversi sunt.

Quod ad alteram seriem quaesitorum pertinet a Moderatoribus immediate ad Superiorem Ecclesiasticum Missionis missam, rogare velim ut, si commode fiat, responsorum saltem praecipuorum transcriptio nobis mittatur ut in archivo nostro asservetur.

Velit igitur R. V. omnia quae ad lexicon pertinent mittere ad P. Hermannum Haeck, Adiutorem Praesidis Secretariatus Missionum, cui huius rei cura commissa est. Relationes autem vel lingua latina vel una ex linguis magis notis conscribi possunt, scilicet: anglica, gallica, germanica, hispanica, italica.

Penitus apparebit R.ae V.ae quanti momenti sit pro universa Eccclesia ut hoc negotium quamprimum ad felicem exitum perducatur. Cum autem Societas tam magnam partem habuerit in historia Missionum, Moderatores, quibus redactio encyclopaediae commissa est, maximam in collaborationem Societatis spem habent repositam. Ego quoque persuasum habea Nostros nihil esse praetermissuros quominus magna alacritate aggrediantur opus quod Sacrae Congregationi de Propaganda Fide tantopere cordi est.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 24 decembris 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

65. 25 decembris 1941.

Ordinatio de Litaniis communibus mittitur et promulgatur.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Proxima superior Congregatio, inter alia, mihi commiserat ut peculiarem darem Ordinationem de nostris Litaniis communibus, facta quoque mihi facultate aliquid mutationis in eas inducendi, si opportunum duxissem, superiorum Congregationum decretis non obstantibus. Id vero adhuc praestare, variis de causis, non potui; sed nunc tandem, re undequaque perpensa et cum PP. Assistentibus collata, Ordinationem mitto, quam R. V. per domos distribuere curet.

Huius autem Ordinationis duplex est finis: et primo quidem ut hac in re antiqua uniformitas in tota Societate restituatur; ac dein, ut si quid in his nostris precibus communibus videatur cum sacrae Liturgiae legibus minus congruere, corrigatur.

Ad uniformitatem autem quod attinet, notum est quantum haec cordi esset S. Patri nostro Ignatio, qui « veluti unius coloris et similitudinis omnes » nos fore exoptabat (1); notum est etiam quam studiose eam semper curaverit Societas, ut ex decretis Congregationum et Ordinationibus Praepositorum Generalium apparet. Et, ut de Litaniis propius loquar, quamquam Congregationes Generales de minimis quibusque rebus decernere non solent, huius nostri pietatis exercitii, etsi primum ex pia consuetudine suscepti, singulae dein partes non Superiorum arbitrio inductae, sed Congregationum decretis firmatae sunt (2); idque, ut verbis utar Congregationis Generalis IX^ae^, « ad inducendam uniformitatem » (3). Et sane, si forte horam conveniendi ad Litanias recitandas excipias, nihil est in hac re quod ex diversitate locorum varietatem exigat; et contra, nunc praeser-

(1) *Ex. gen.*, c. 2, n. 6.

(2) Cf. C. G. IX (1649), d. 7; C. G. X (1652), d. 14; C. Poloc. II (1785), d. 8; C. Poloc. V (1805), d. 5; C. G. XXVII (1923), d. 52 § 2.

(3) C. G. IX (1649), d. 7.

tim in tam facili locorum communicatione, multum iuvat animorum unionem si Nostri, iter facientes, ubique inveniant uniformitatem in hoc uno, quod communiter habeamus, cotidiano pietatis officio.

Quae quidem uniformitas semper re vera in Societate viguit fere usque ad finem saeculi transacti, nec nisi his ultimis decenniis coeptum est hic illic ab ea deflecti, maxime quod ad constantem Litaniarum cotidianam recitationem. Nam, ut ex relatis in Congregatione Generali apparuit, novae identidem alicubi inducuntur preces et pia exercitia, etiam vernacula lingua, quae si praeter Litanias aguntur, tempus communiter his rebus tribuendum ultra consuetam in Societate mensuram nimis augent; si vero Litaniis sufficiuntur, pulchra illa abrumpitur traditio, qua pia haec praecatio sancte et paene inviolabiliter singulis diebus apud nos habenda adeo censebatur, ut v. gr. in Belgio peculiares olim editi fuerint libelli pro itinerantibus aut dissitis Missionariis, ne hi, vel bini extra domos versantes, spirituali hoc mutuo solacio privarentur.

Alterum quod desiderabatur erat, ut preces Litaniis adiectae ad leges liturgicas melius disponerentur. In hunc finem viros quosdam peritos etiam externos interrogandos curavimus; et quamquam hi declararunt posse nos, cum ageretur de recitatione privata, illas preces ut essent servare, de eorum tamen consilio satius duximus eas aptiore ordine disponere, ut in Ordinatione recensetur. Cumque, ex iis quae in Congregatione Generali audivimus, sat commune appareat Nostrorum desiderium ut Litaniis aliquid potius dematur quam addatur, ipsius Congregationis facultate usi, hymnum « Ave maris Stella » deinceps omittendum statuimus, quem praescripserat P. Claudius Acquaviva et Congregatio Generalis IX (decr. 7) confirmarat, sed nunc optime suppleri videtur Litaniis Lauretanis, quas ex posteriore traditione initio praemittimus. Addendam vero censuimus invocationem S. Margaritae Mariae Alacoque, ut per quam « Christus Dominus materno Beatae Mariae Virginis interventu suavissimum munus Societati commisit divini sui Cordis cultum peculiari ratione fovendi et propagandi » [4], illa nos adiuvet

---

[4] Cf. C. G. XXIII (1883), d. 46, n. 1; C. G. XXVI (1915), d. 21; C. G. XXVII (1923), d. 223; C. G. XXVIII (1938), d. 20.

ut in dies fidelius istud munus adimpleamus, prout superiores Congregationes, praesertim recentiores, nobis vehementer commendarunt (5).

Quod Benedictiones Eucharisticas spectat, standum est probatis Assistentiae vel Provinciae consuetudinibus; a novis autem devotionibus inducendis, ad mentem Constitutionum, abstineamus. At desiderio complurium Provinciarum, ut peculiare quoddam commune obsequium cum Beatissimae Virgini mense maio tum SS. Cordi Iesu mense iunio offeramus, satis faciendum duximus, modesta illa ratione, quae in Ordinatione (n. 3) indicatur.

Hanc vero nactus occasionem, denuo urgere velim, quod anno 1934 in communi epistola de cotidianis pietatis exercitiis commendaveram (6), id est ut Litaniae « cum ea qua par est devotione et reverentia » recitentur, ut S. Pater Ignatius dicit de precibus ante et post mensam (7). Notum est quantum Sanctus Pater noster et monitis et exemplo instaret, ut omnes huic internae et externae recollectioni et pietati etiam in brevioribus huiusmodi precibus recitandis studerent, adeo ut affirmare non vereretur: « Oratio vel eo modo dicenda est ut devotionem et aedificationem addat, vel non est dicenda » (8). Curet igitur R. V. per domorum visitationem in hoc quoque disciplinae domesticae caput attente inquirere, maxime ut praepostera illa vitetur festinatio, pietati erga Deum sane non consentanea: Pater, qui recitationi praeest, clare et distincte singulas invocationes exprimat, nec subsequentem enunciet nisi postquam alii priori invocationi responderint; hi vero ipsis invocationibus responsionem non intrudant, sed ex ordine, iis expletis, distincta et clara voce subiungant; quae quidem omnia optime praestari possunt etiam vitata profecto quavis prolixa intermissione, quae pietati non favet.

Interiorem autem devotionem valde iuvat suavis sed attenta ipsarum Litaniarum consideratio, secundum pulcherrimam commendationem R. P. Petri Beckx, quam etsi in commu-

(5) *Ibid.*

(6) Cf. *Acta Rom.*, vol. VII, 1934, pag. 848.

(7) *Const.*, P. III, cap. 1, n. 5; *Summ. Const.*, reg. 30.

(8) *Const.*, P. IV, c. 16, n. 4, C.

ni epistola anni 1934 iam attuli [9], eam tamen mihi temperare non possum quin hic quoque repetam: « Ecce Societas nostra, — ait piissimus ille Praepositus Generalis, — licet per orbem dispersa, cotidie in spiritu iungitur, et coram caelesti Curia, dum communes quas dicimus Litanias recitat, universa se sistit. Non prolixa quidem precatio illa est, sed cotidiana, sed quae a multis sociorum millibus funditur, sed quae in omnem se versat partem ut fructuosissima esse possit. Ibi una voce misericordiam et peccatorum veniam semel, iterum, saepius a Domino imploramus; Beatissimam Virginem, nobis apud Deum adiutricem, plurimis nominibus invocamus; Angelis deinceps ac Sanctis omnibus, ut pro nobis orent, diu ex ordine supplicamus; ac demum tanto freti intercessorum numero, maiora quaeque mala humiliter deprecamur, excellentissima bona nobis aliisque deposcimus; utque exaudiri certius mereamur, per augustiora nostrae Redemptionis mysteria obsecrando decurrimus. Quid sanctius quidve ad impetrandum efficacius, dummodo cum vocis sonitu intentio mentis et fervens cordis affectus coniungatur? Scimus autem quantopere Deus communia respiciat et obsequiis constantibus, quamtumvis parvis, delectetur. Ac Dominus noster Iesus Christus, qui dixit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* aderit profecto, tam multis suorum millibus, quos ad maiorem sui nominis gloriam propagandam, in Societatem suam misericorditer Ipse congregavit » [10].

Praeterea, ad nostram devotionem efficaciter iuvandam multum conferet, si meminerimus hoc nostrum pium exercitium inductum fuisse potissimum « pro Ecclesiae necessitatibus » [11]; ita ut per ilud etiam tota Societas cotidie officium adimpleat, quod singulis Sociis a S. Patre nostro in Constitutionibus commendatur, frequenter orandi pro universa Ecclesia [12]. Ex Divini sui Institutoris permissione simul et promissione, Ecclesia Christi semper fuit et est et erit omnimodis exagitata procellis;

---

(9) Cf. *Acta Rom.*, vol. VII, 1934, pag. 847.

(10) R. P. Beckx, Epist. « de fructu e BB. Petri Canisii et Ioannis Berchmans exemplis colligendo » (27 dec. 1865): in *Epist. PP. Gen.*, Rollarii in Belgio, 1909, tom. III, pp. 183 sq.

(11) Cf. A. Coemans, *De Litaniis pie recitandis,* num, 2; *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pag. 683; *Epit.*, n. 182 § 2.

(12) Cf. *Const.*, P. VII, c. 4, n. 3: *Epit.*, n. 856.

sed fortasse id numquam verius fuit quam nostris hisce temporibus, quibus et Ecclesiae doctrina hic illic novis impugnatur erroribus atque etiam tota funditus eradicari, si fieri possit, contenditur, et pietas ac christiani mores variis gravioribusque in dies obversantur periculis, et ipsa sacra Hierarchia alicubi apertis vel subdolis impetitur persecutionibus. Nostrum igitur est, ut quod spirituale auxilium Maiores nostri immaculatae Sponsae Christi cotidie a Societate afferendum constituerunt, illud nos pro modulo nostro per intimam pietatem et exteriorem reverentiam validius in dies efficere conemur.

Ad Nostros omnes hac in re iuvandos, typis imprimendum curavi commentariolum, singulis domibus distribuendum, quod piae memoriae P. Augustus Coemans [13], rerum nostrarum studiosissimus aeque ac peritissimus, manuscriptum reliquerat: « *De Litaniis communibus pie recitandis* ».

Commendo me ss. SS.

Romae, die festo Nativitatis Domini,
25 decembris 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Wlodimirus Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Iesu.

ORDINATIO DE LITANIIS COMMUNIBUS.

Attenta mente Congregationis Generalis XXVIIIae et facultate ab ea nobis facta, atque peritis quibusdam viris etiam extra Societatem consultis, re cum PP. Assistentibus collata, haec de communi Litaniarum recitatione statuenda visa sunt:

I. — In ipsa Litaniarum recitatione.

1) *Litaniae Sanctorum,* praemissis Litaniis Lauretanis, etiam in posterum eadem ratione ac nunc fieri solet recitentur, addita, post Sanctam Anastasiam, in honorem S. Margaritae Mariae Alacoque invocatione: « Sancta Margarita Maria, ora pro nobis ».

---

(13) E Prov. Belg. Sept.; pie obiit Romae die 13 mart. 1940: cf. *Memorab. S. I.*, fascic. martii 1940, pp. 28 sq.

2) Post Litanias Sanctorum cum versiculis et orationibus, et versiculis finalibus, *aliae consuetae preces,* omisso hymno « Ave Maris Stella », addantur hoc ordine:

a) *Ad SS. Cor Iesu:*

Antiph. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos.

℣. Cor Iesu, flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Oremus.

Deus, qui nobis in Corde filii tui ... Per eundem Christum D. N. — ℟. Amen.

b) *Ad Beatam Virginem etc.:*

Antiph. Sub tuum praesidium etc.

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Defende, quaesumus, etc.

Sanctissimae Genitricis Tuae Sponsi etc.

Deus, qui glorificantes te glorificas etc.

Per Christum Dominum nostrum. — ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

3) *Per totum mensem Maium,* ante Antiphonam « Sub tuum praesidium etc. » recitetur alternatim (ut adhuc factum est) Hymnus « Ave maris Stella »; et *per totum mensem Iunium,* post Litanias Sanctorum, ante Antiphonam « Venite ad me omnes etc. », recitetur alternatim Hymnus « Cor arca legem continens » (ex Laudibus festi SS. Cordis).

4) *Prima feria VI* cuiusque mensis, coram SS. Sacramento exposito, post Litanias communes renovetur Consecratio Societatis ad SS. Cor Iesu, et detur Benedictio Eucharistica.

5) Praeter orationem « pro infirmo » (quando res ferat) et preces sive novendiales sive alias in Consuetudinario statis diebus assignatas, Litaniis nihil adiungatur, nisi pro rerum adiunctis et ad definitum tempus aliae quaedam breves preces; sed caveat Provincialis ne id frequentius fiat.

II. — De assidua recitatione Litaniarum.

6) Ex decreto 52 Congregationis Generalis XXVII[ae] et aperta mente Congregationis Generalis XXVIII[ae], Litaniae communes retineantur ut *actus pietatis vere cotidianus,* haud facile omittendus, ad quem tota communitas, quantum fieri potest, fideliter adsit, etiam in parvis Residentiis, nisi ex communitatis exiguitate tres saltem Nostri (et in his unus Sacerdos) ad Litanias simul recitandas convenire non possint.

7) Alias, Litaniae ne omittantur, nisi quando maxima pars communitatis aliis piis devotionibus communibus *vere extraordinariis* illo die iam interfuerit vel mox sit interfutura, quod nonnisi raro accidat oportet.

III. — De quibusdam diebus exceptis.

8) *Die festo SS. Cordis,* omissis Litaniis communibus, renovetur coram SS. Sacramento sollemniter exposito Consecratio Societatis ad SS. Cor Iesu cum Litaniis eiusdem SS. Cordis et, addito Actu Reparationis a S. P. Pio XI praescripto, detur Benedictio Eucharistica.

9) Item *in festo Christi Regis,* omissis Litaniis communibus, et praemissa Consecratione generis humani, iussu eiusdem S. P. Pii XI illo die coram SS. Sacramento exposito renovanda, recitentur Litaniae SS. Cordis Iesu et detur Benedictio Eucharistica.

10) *Die S. Marci Evangelistae et triduo Rogationum* recitentur tantum Litaniae Sanctorum prout sunt in Breviario Romano; idque, ubi commode fieri potest, mane ante Missam.

11) Ubique penitus omittantur Litaniae, ut Consuetudinaria omnia iam cavent, *ultimo triduo Hebdomadae Maioris,* id est a vesperis feriae quartae ad vesperas Sabbati Sancti inclusive.

Romae, die 25 decembris 1941.

Wlodimirus Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Iesu.

66. 31 decembris 1941.

Instructio de usu dispensationis Apostolicae pro stipendiis Missarum etc.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Cum dubia quaedam oborta essent de dispensatione Apostolica ad accipienda stipendia Missarum et ministeriorum, eo magis quod ultima ad id facultas a Pio X Patri Wernz vivae tantum vocis oraculo data fuisset, re cum PP. Assistentibus collata, opportunum duxi totum hoc negotium denuo accurate perpendere et Summo Pontifici in scriptis proponere, ut apertam ab Eo haberemus declarationem et renovatam concessionem. Itaque supplices preces, ut ex adiecto folio apparet (1), die 8 decembris huisu anni confectas, die 28 eiusdem mensis, in audientia mihi benevolentissime concessa Beatissimo Patri Pio XII porrexit, Qui propria manu « pro gratia iuxta preces » subscribere dignatus est.

Ad usum autem huius dispensationis Apostolicae quod attinet, clarum habemus decretum 316m Congregationis Generalis XXVIIae, quod iuvat hic referre: « Apostolica dispensatio ad accipienda stipendia pro Missis et ministeriis ne communicetur nisi propter gravissimas causas, illudque praecipue caveant Superiores ne diuturnus huius dispensationis usus, quamquam legitimus, spiritui nostro noceat, vel amorem paupertatis minuat. Ad hunc finem Praeposito Generali curae sit de practico usu huius dispensationis pro tempore ac loco directionem dare » (2). Iamvero, cum nunc tandem in unum documentum collecta habeamus varia dispensationis capita, non est cur a plena illius decreti exsecutione, quod ad partem quae me propius tangit, diutius supersedeam; ideoque qua ratione hac dispensatione uti debeamus his litteris exponam.

---

(1) V. supra, pp. 42 sq.
(2) *Coll. Decr.*, d. 316.

I.

Atque in primis omnes meminerimus oportet agi hic de gravissimo nostrarum Constitutionum capite, de uno ex « substantialibus Instituti » et quidem ex substantialibus primi ordinis in ipsa Formula Instituti contentis, quae nempe a nullo in Societate Superiore, ne Congregatione quidem Generali, immutari possunt (3). Nam, ut in Bulla Iulii III « Exposcit debitum » legimus, debet Societas, in omnibus ministeriis sibi propriis, quae ibi enumerantur, se utilem exhibere « gratis omnino et nullo stipendio accepto » (4). Idem autem confirmant reliquae Summorum Pontificum Constitutiones Apostolicae Societatis Institutum approbantes. Sanctus vero Pater Noster Ignatius, qui ceterum (qua erat discretione et prudentia praeditus) saepius idem urgere non solebat sine necessitate, hanc ministeriorum gratuitatem non minus octo locis in Examine et Constitutionibus inculcat, ut ex Indice Instituti (5) facile colligitur. Iuvat hic exscribere id quod iam in limine Examinis Generalis (6) Societatem ingredi cupientibus clare exponit: « Nec etiam (quamvis aliis sit licitum) pro Missarum Sacrificiis vel praedicationibus vel lectionibus, vel ullius Sacramenti administratione, vel quovis alio pio officio ex iis quae iuxta suum Institutum Societas potest exercere, stipendium ullum vel eleemosynam, quae ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent ab alio quam a Deo, ob cuius obsequium omnia pure facere debent, possunt [Nostri] admittere ». Quibus sane congruunt ea quae singulis mensibus audimus in regula 27 Summarii ex Constitutionum Parte VI desumpta (7).

Hisce autem legibus praeiverat, ipso Sancto Ignatio duce et auctore, exemplum primorum Patrum qui Parisiis die 15 augusti 1534, ut testatur P. Simon Rodrigues, « voverunt praeterea nihil se unquam accepturos pro sacro Missae faciendo fatentes tamen

(3) Cf. *Coll. Decr.*, dd. 13 § 6, 5°; 14 § 1.
(4) Form. Inst. Iulii III, n. 1.
(5) *Institutum S. I.*, edit. Florent., vol. III, pag. 656, col. 1.
(6) *Exam. Gen.*, c. 1 n. 3.
(7) *Const.*, P. VI, c. 2 n. 7.

ingenue licere, et pro Missarum sacrificiis, et pro aliis rerum divinarum caeremoniis, stipendia accipere, verum illi, quo arctius paupertatem et evangelicam perfectionem amplecterentur, licitis etiam rebus sese voluerunt ultro abdicare, ut quoad fieri posset, haereticorum calumniam malitiamque vitarent, omnem illis praecidentes occasionem asserendi id fieri specie pietatis, ut ita quaestus facerent maximos et ditiores ac locupletiores redderentur » ([8]). Et Sanctus Pater Noster huic proposito et voto, etiam antequam id in Formulam Instituti sub Iulio III explicite insereretur et antequam ederentur Constitutiones, adeo firmiter adhaerebat, ut anno 1548 Sociis Lovanii commorantibus, quos audierat eleemosynas pro Missis inter magnas propriae sustentationis difficultates accepisse, per Patrem Polanco rescripserit id revera alienum esse ab Instituto Societatis nostrae, ideoque esse omnino relinquendum ([9]).

Idem semper sensit Societas; nec solum Congregationes Generales, quae gratuitatem ministeriorum sedulo et vigilanter tuitae sunt ([10]), sed etiam singillatim, ut v. gr. Provincia Aragoniae, quae paulo ante suppressionem, dum exsul in Italia versaretur, facultate a Sancta Sede concessa uti noluit « ob puriorem paupertatis observantiam et reverentiam erga S. Patris Ignatii praescripta » ([11]).

Quodsi, ut Patris Anderledy verbis utar, nunc, « luctuosa temporum improbitate factum est, ut Provinciarum magna pars, vel de re familiari vel de suis etiam sedibus deturbata, sustentari nullo pacto posset, nisi supremus Christi Vicarius praedecessorum meorum precibus benigne annuisset, eisque extremam inopiam Sacrorum stipendiis sublevandi potestatem fecisset » ([12]); facile tamen patet quam verum sit quod idem P. Anderledy subiungit ([13]), « hac tam praecipuae Constitutionis immunitate, quan-

---

([8]) *De origine et progressu Soc. I. commentarium* P. Simonis Rodrigues: in *Monum. Hist. S. I.*, vol. de Broëto, Codurio etc., pag. 457.

([9]) Cf. *Monum. Hist. S. I.*: *Monum. Ignatiana*, ser. I, vol. II, epistola d. d. 30 apr. 1548, pp. 102 sq.

([10]) Cf. *Coll. Decr.*, dd. 198 et 199, ubi praecedentes quoque Congregationes in calce commemorantur.

([11]) Cf. March-Tesio, *B. G. Pignatelli e il suo tempo*, Torino, 1938, pag. 210 sq.

([12]) *Epistolae selectae*, pag. 287.

([13]) *Ibid.*, pag. 288.

tumvis legitima, paupertati nostrae vulnus infligi gravissimum ». Idcirco Congregatio Generalis XXVII memoratum decretum 316m dum ferret, voluit ut totum hoc de dispensatione negotium a Nostris aestimaretur et haberetur ut « dispositio temporaria » ([14]), et ipsa dispensatio « ne communicetur nisi propter gravissimas causas » ([15]).

Itaque « summopere caveamus, — ut iterum cum P. Anderledy loquar, — ne Missarum ac ministeriorum stipendiis accipiendis intepescat paulatim apud nos sincerus ille paupertatis amor, quo Societatis Operarius laboris sui mercedem nullam consectatur aliam, quam Dei gloriam salutemque animarum. Caveamus, inquam, ne huic durissimae omnium necessitati ita progressu temporis serviamus, ita tandem assuescamus, perinde ac de re ageretur non adeo quidem ab Instituto nostro aliena, cuius consuetudo alteram veluti legem parere videatur... Quin etiam conemur omnes, ut Regula 27 Summarii ad pristinum vigorem atque integritatem ubique revocetur » ([16]). Cui quidem illius bonae memoriae Praedecessoris mei hortationi nihil aliud ipse addam, nisi quod ad id collata opera adlaborent oportet pro suo quisque officio cum Superiores tum subditi, sincero urgente studio Institutum Societatis indemne servandi.

Quapropter, ut quaedam pressius in memoriam revocem: Praepositi Provincialis erit quotannis in visitatione singularum domorum attente considerare sicubi et quantum perseveret necessitas, ob quam communicata est dispensatio Apostolica; id est num revera illa domus congruam sustentationem alia ratione sibi comparare non possit. Congruam dico sustentationem, in qua etiam comprehenduntur moderatae eleemosynae secundum nostras Regulas ([17]) aequa et prudenti liberalitate largiendae; non vero ad augendam et meliorem in dies efficiendam rationem vivendi Nostrorum huius domus vel etiam totius Provinciae neque ad comparandas res non necessarias.

Ad veram autem necessitatem domorum aeque ponderandam meminerit Provincialis, secundum Institutum et Maiorum

---

(14) Cf. *Coll. Decr.*, tit. Append. V.

(15) *Coll. Decr.*, d. 316.

(16) *Epistolae selectae*, pag. 288.

(17) Cf. *Instr. de Admin. tempor.*, nn. 94-97.

nostrorum exempla, alia media ei subveniendi esse tentanda prius quam ad hoc extraordinarium remedium recurratur; inter quae profecto est illa quoque mendicatio ostiatim, cuius meminit Regula 24 Summarii, ad quam omnes parati esse debemus nec mere ad humilitatis vel oboedientiae exercitium, sed etiam « quando necessitas id exiget ». Pauperes esse et apparere ne erubescamus, sicut nos hortatur recens Congregatio Generalis XXVIII (18), « cumque sciamus Dominum nostrum Iesum Christum servis suis, regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum et vestitum esse subministraturum » (19), pro certo habeamus ipsum Dominum corda fidelium esse inclinaturum ad nobis subveniendum. Idque expertae sunt et experiuntur Provinciae quaedam et domus, quibus deficiente copia stipendiorum pro Missis aliisve ministeriis, nihilominus divina Providentia necessaria suppeditare non cessavit.

Re igitur omni ex parte perpensa, Provincialis diiudicet et decernat num et qua mensura dispensatione Apostolica, a Praeposito Generali, cui concessa est, secum communicata, pro singulis domibus utendum sit.

II.

His autem generatim praemissis, ad ea deveniamus quae ad singula stipendiorum capita pertinent, ad quae dispensatio Apostolica sese protendit:

A) *De stipendiis Missarum*:

1) Pro compluribus Provinciis etiam nunc necessitas adesse videtur suae egestati occurrendi per Missarum stipendia, sive pro Collegiis Nostrorum, sive pro aliis domibus, quae alia ratione congruam sustentationem (sensu supra commemorato) sibi satis comparare non possunt. Sed Praepositi Generalis erit, accepta relatione et petitione cuiusque Praepositi Provincialis, pro singulis Provinciis definire numerum Missarum quae pro stipendio celebrari possint, quem excedere non licet, etiamsi superessent

(18) C. G. XXVIII, d. 25, 4°.
(19) Form. Inst. Iulii III, n. 7.

aliquot dies liberi, quibus celebrandum erit ad privatam intentionem celebrantis vel pro necessitatibus Ecclesiae et Societatis ad mentem Instituti [20], etc., nullo accepto stipendio.

Ceterum ubique et semper omnibus nostris Sacerdotibus libera relinquatur saltem una Missa singulis mensibus pro se suisque intentionibus celebranda.

2) Ad usum vero quod attinet horum stipendiorum ad mentem dispensationis Apostolicae concessorum, stipendia illa primo ad honestam Nostrorum sustentationem (ut supra dixi) inservire debent; ideoque Praeposito Provinciali, qui domos suae Provinciae melius sane novit, relinquitur de his proventibus paterne statuere utrum ipsi domui forte indigenti an Arcae Seminarii ex toto vel partim sint applicandi. Verum non licet Provinciali facultatem alicui concedere ut quaedam stipendia Missarum vel partem eorum sibi retineat ad sua opera iuvanda vel ad libros emendos, neque ad ea sibi comparanda, quae ex vitae communis ratione a Superioribus cuique suppeditanda sunt; sed omnia Procuratori quam primum remitti debent; huiusmodi enim concessiones facile ad quaedam privata peculia constituenda paullatim conducere solent, a quibus Societas semper maxime abhorruit. Superiorum autem erit alia ratione huiusmodi quoque laboris et operum adiumenta singulis suppeditare, secundum suas Regulas. Etiam quando inopiae parentum cuiusdam e Nostris ex naturae et caritatis officio subveniendum est, non illi Patri res est reliquenda ut per suarum ipse Missarum stipendia provideat, sed Superiores debent secundum necessitatem illam pecuniam corrogare [21].

3) Hac occasione iuvat in memoriam revocare Missas ab Instituto praescriptas (ea quidem mensura forte reducta, quae pro variis Provinciis statuta est) esse onus *personale*, cui singuli per se ipsi satisfacere debent [22]. Nam, praeter ipsum Missarum numerum, vult Societas ut singuli cordi habeant et per efficacissimum medium, quod « primum et maxime consentaneum » appellatur a S. Patre Ignatio [23], singuli conferant ad Societa-

---

(20) Cf. *Const.*, P. VII, c. 4, nn. 3, 4; P. X, n. 1.
(21) Cf. *Ex. gen.* c. 3, n. 3; c. 4, n. 3.
(22) Cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, pag. 291.
(23) *Const.*, P. X, n. 1.

tem in bono statu conservandam et promovendam, ad oves dispersas in unicum ovile Christi reducendas, ad infideles universos in admirabile Evangelii lumen adducendos; itemque ut benefactoribus gratum animum exhibeant pro iis orando; ut denique mutuam caritatem foveant, pro fratribus vita functis praescripta suffragia per se ipsi persolvendo, scientes superstites fratres deinde pro se idem esse praestituros. Quae omnia non haberentur, si Superiores vel Procuratores res ita componerent, ut aliquos Patres ab illo onere personali eximerent, curam sibi assumendo ut tot Missae alia ratione, fortasse etiam per externos Sacerdotes, re vera celebrentur. Sicubi vero, v. gr. in paroeciis nobis commissis, aliter fieri nonnunquam difficile sit, velit Provincialis id ponderare et rationem mihi exponere qua putet rem componi posse.

B) *De stipendiis pro ministeriis*:

1) In non paucis Provinciis, Deo dante, quod ad ministeria adhuc viget gratuitas Societatis propria; ibique omnes passim norunt Nostros pro suis laboribus apostolicis nihil admittere, praeter itineris expensas, nisi forte modicam eleemosynam sponte omnino oblatam. Hanc maiorum traditionem illae Provinciae fideliter custodiant eamque ut magnum Dei beneficium habeant. Aliae vero Provinciae sincere conentur ad eandem gratuitatem, quantum fieri potest, redire; vel saltem ad eam constanter tendere studeant eiusque spiritu sin minus littera se regi sinant, cum hic cuiusvis lucri neglectus maximae sit aedificationi populo christiano simulque divinas alliciat benedictiones in domos et opera nostra. Provincias et domos vel pauperrimas novi, quae Constitutiones hac in re etiam magnas inter difficultates fideliter custodire maluerunt, et divinam vicissim liberalitatem mirum in modum expertae sunt.

2) Quodsi in aliqua Provincia haec stipendia admittere necessarium omnino videatur, magna semper cum moderatione et modestia id fiat, nec unquam ut quid sibi debitum exigendo, sed ut pauperes eleemosynam petentes. Quam maxime autem omnibus Nostris commendo ut semper et ubique ob oculos habeant auream illam normam, quae decreto 201° Congregationis Generalis XXVII^ae continetur et in Regulis quoque Sacerdotum [24]

---

[24] Reg. Sacerd. 19.

legitur: « In ministeriorum delectu temporalis fructus ne spectetur; sed ea promptius suscipiantur quae magis ad animarum salutem conferunt, etiamsi, ut fere accidit, humiliora sint et laboriosiora » ([25]). — Itaque neque sunt seligenda ministeria intuitu maioris retributionis, neque de hac in antecessum definienda sollicitos nos esse decet; sed potius curandum est ut quam proxime ad perfectam illam Operarii apostolici imaginem accedamus, quae in prima et altera Formula Instituti a S. Patre Ignatio describitur et a Summis Pontificibus Paulo III et Iulio III sollemniter est approbata: ubi nempe affirmatur primos Patres nostros expertos fuisse « iucundiorem, puriorem et ad proximi aedificationem aptiorem esse vitam, ab omni avaritiae contagione quam remotissimam et evangelicae paupertati quam simillimam » ([26]). Ita semper sese gesserunt optimi quique Societatis Operarii, quorum laus est in Ecclesia.

3) Quod ad usum vero horum proventuum eadem valent, quae supra de Missarum stipendiis dicta sunt. Idem fere dicendum, servatis servandis, de stipendio fixo, quod alicubi ab auctoritate dioecesana vel civili assignatur parochis et vicariis paroecialibus, ubi Nostri, ex dispensatione Generalis, in huiusmodi officio occupentur ([27]).

C) *De minervalibus scholarum*:

1) Etiam de hoc capite Praepositus Provincialis attente inquirat et perpendat utrum Collegia suae Provinciae iuventutis institutioni destinata adhuc minervalibus scholasticis ad suam sustentationem vere indigeant, an forte saltem ex parte ad optatam pristinam gratuitatem redire possint. — Qui vero in aliis Scholis, Institutis, Seminariis vel Universitatibus sive regendo sive docendo sive alia ratione operam suam praestant, meminerint se quidem accipere posse ea quae necessaria sunt ad honestam sustentationem, sed nullum se ius habere ad minervale exigendum, quemadmodum perspicue declarat Leo XIII in Litteris Apostolicis « Sempiternam dominici gregis » die 16 decembris 1890 datis de Pontificio Seminario Comillensi in Hispania:

([25]) *Coll. Decr.*, d. 201.
([26]) Form. Inst. Iulii III, n. 7.
([27]) Cf. *Coll. Decr.*, d. 233.

«... ipsa vero Societas pro laboribus mercedem nullam exiget, praeter alimenta honestasque vestes iis tribuenda, qui sese alumnis quoquo modo impendant; quae omnia et sumptus ad itinera eadem causa suscipienda ex Seminarii aerario depromentur » (28).

2) Etiam de minervalium usu et distributione eaedem normae serventur, quae de stipendiis Missarum supra traditae sunt.

3) Meminerint autem Superiores aliique ad quos pertinet, id quod recens Congregatio Generalis commendavit: « Iuvenibus bonis dotibus praeditis, sed rerum penuria laborantibus, facilior pateat aditus in nostra Collegia; qui ut illa gratuito, secundum Constitutiones et antiquum Societatis usum, frequentare possint, conentur Superiores bursas scholares fundare vel aliis modis providere » (29).

Ceterum hoc ipsum quod et stipendia Missarum ac ministeriorum et minervalia admittere coacti simus, saltem ad hoc iuvet ut omnes Nostri sentiant se vere pauperes esse atque libenter se profiteantur evangelicae paupertatis sectatores, quales nos vult Christus Dominus « et quales nos vel ipsi mundani homines hisce praesertim diebus videre exoptant » (30).

Facultates omnes hac in re a Praeposito Generali cum Provincialibus communicatae ad triennium tantum dari intellegantur; quo expleto et re denuo perpensa, Provinciales eas vel rursus confirmandas vel mutandas Generali proponant. Interea tamen, usque ad finem immanis huius belli, omnes facultates iam concessas etiam ultra triennium integras manere declaro. Sed, post finem belli, intra annum omnes Provinciarum Praepositi novas facultates secundum normas hic datas a Generali petere debebunt.

Commendo me SS. SS.

Romae, die 31 decembris 1941.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

---

(28) *Acta Leonis XIII*, vol. IV, pag. 129, n. 5.
(29) C. G. XXVIII, d. 31, n. 3.
(30) C. G. XXVIII, d. 25, 4°.

67. 31 iulii 1941.

RATIO STUDIORUM SUPERIORUM SOCIETATIS IESU

PARS PRIMA

De Ratione Studiorum in universum

TITULUS I

De origine et natura Rationis Studiorum

1. — Societas Iesu, secundum Litteras Apostolicas et proprias Constitutiones, ad hoc potissimum est instituta, « ut ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum »... inter varia sua opera apostolica « per publicas praedicationes, lectiones et aliud quodcumque verbi Dei ministerium... intendat » [1]. Cum autem ad hunc tam excelsum finem assequendum, « praeter vitae exemplum, doctrina et modus eam proponendi sint necessaria », de S. P. Ignatii voluntate, « Collegia, et aliquando etiam Universitates... Societas amplectitur », in quibus iuvenes, qui eam ingressi sunt, cum Litteris humanioribus, tum disciplinis aliis, praesertim vero philosophicis et theologicis, ita informentur, ut ad quodvis sacrum ministerium vere apti operarii evadant, atque adeo easdem disciplinas, post debitam praeparationem proximam, utiliter docere possint, si ad hoc designentur [2].

2. — Studia omnia in Collegiis Nostrorum, ad mentem S. Fundatoris, ordinanda sunt secundum principia in Constitutionum P. IV exposita. Haec, ex earundem Constitutionum praescripto [3], accuratius explicata erant in *Ratione Studiorum*, quam in lucem primo edidit anno 1599 Praepositus Generalis Claudius

NB. — Cf. *Index Siglorum praecipuorum* (quae maxime adhibentur in notis ad hanc *Rationem Studiorum*) initio huius voluminis, post indicem fasciculi I. — Litteras vero, quibus haec nova « *Ratio Studiorum* » promulgatur, vide supra, pp. 117 sqq.

[1] Iulius III, *Exposcit debitum.*

[2] Cf. Const., P. IV, Prooem., A; c. 12; Stat., n. 1 § 1.

[3] Cf. Const., P. IV, c. 13 A.

Aquaviva [4]; post restitutam vero Societatem eam alii Praepositi Generales ad recentiorum temporum necessitates accommodarunt: ac primus quidem Ioannes Roothaan quod ad studia Societatis universa [5], deinde Petrus Beckx quod ad studia Philosophiae in tota Societate, tum Franciscus Xav. Wernz quod ad studia Philosophiae et Theologiae in quibusdam Societatis Provinciis [6].

3. — § 1. Cum autem Sancta Sedes, Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus*, die 24 maii anni 1931 edita, studia academica Philosophiae et Theologiae ad novas leges ordinaverit, Praepositus Generalis Wlodimirus Ledóchowski studia Scholasticorum ad sollemnem professionem requisita illi supremae normae et Ordinationibus Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, ad eandem Constitutionem Apostolicam rite exsequendam latis, quam primum accommodanda esse decrevit, ut Nostris etiam posthac gradus academici in Philosophia et Theologia possint conferri.

§ 2. Inde exorta sunt *Statuta Facultatum Theologiae et Philosophiae in Collegiis Societatis Iesu erectarum*, quae die 2 februarii anno 1934 eadem Sacra Congregatio approbavit et ut fideliter observarentur praescripsit.

§ 3. Gradus academici in illis tantum Collegiis conferri possunt, quae Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus cum his Statutis plene convenire agnoverit [7].

§ 4. Nihil tamen obstat quominus in nostris Collegiis praeter Philosophicam et Theologicam aliae quoque Facultates, Sancta Sede approbante, posthac habeantur, quae propriis Statutis regantur.

4. — Congregatio Generalis XXVIII anno 1938 Praeposito Generali commisit, ut Rationem Studiorum, quod iam dudum in votis erat, accommodaret « exigentiis huius nostri temporis, ratione habita legum Ecclesiae de gradibus academicis obtinendis et firmis iis quae ipsa Congregatio circa studia superiora statuerit » [8].

5. — Ad hanc novam *Rationem Studiorum* conficiendam ea-

---

[4] Ratio atque Institutio Studiorum Societatis Iesu. Neapoli, 1599.

[5] Ratio atque Institutio Studiorum Societatis Iesu. Romae, 1832.

[6] Cf. Stat., n. 2 § 1.

[7] Cf. Stat., n. 3 § 1.

[8] *CG* XXVIII, d. 38, 1,

dem Congregatio Generalis has normas statuit, quas ad tempus quidem, usque ad proximam Congregationem Generalem, firmas tamen atque obligatorias voluit:

1° In omnibus Nostrorum Collegiis, etiam in iis quae Facultatibus cum iure conferendi gradus academicos non sint annumerata, cursus Philosophiae et Theologiae ordinari debent ad leges, quas Ecclesia de gradibus academicis obtinendis statuit.

2° Scholastici, qui studia peragunt ad professionem quattuor votorum requisita, ea studia perficere debent eaque experimenta superare, quae praescribuntur ad gradus academicos obtinendos, qui post triennium philosophicum et post quadriennium theologicum ab Ecclesia conferuntur.

3° Ab hac lege sub n. 2° descripta, salvis iis, quae et a Iure communi ad sacerdotium [9], et a Iure nostro ad professionem quattuor votorum [10] postulantur, gravi de causa dispensare potest, quod ad cursum philosophicum attinet, Provincialis, monito Generali; quod vero ad cursum theologicum spectat, solus Generalis [11].

6. — In hac *Ratione Studiorum* in primis agitur de Nostrorum studiis philosophicis et theologicis, adeoque de institutione tam eorum Scholasticorum, qui operam dant studiis ad professionem quattuor votorum et ad gradus academicos requisitis, quam ceterorum, qui ad ea non destinantur.

TITULUS II

De amplitudine studiorum in Societate

7. — § 1. Vult Sancta Sedes « potissimum delectos sacrorum alumnos... penitus in sacras disciplinas et in eas quae quomodocumque cum iisdem cohaereant, animum intendere atque ita id omne adipisci, ut possint, occasione data, catholicam veritatem rite docere et contra adversariorum incursus ac fallacias strenuissime tutari ».

---

[9] Cf. *IC*, 589, 976, 1365.

[10] Cf. *CD*, dd. 118; 160 § 1, 3°; *CG* XXVIII. dd. 37; 39, 4°; infra nn. 128, 161.

[11] Cf. *CG* XXVIII, d. 39, 1°-3°.

In his autem studiis optat eadem Sancta Sedes ut « sacrae disciplinae... potiorem locum teneant, cum id ditissimus postulet, quem impertiuntur, veritatis thesaurus, et salutaris ille impulsus, quem in catholica confirmanda fide, in errorum tenebris profligandis, in omnium moribus ad evangelica praecepta conformandis pro natura sua exercent » [12].

§ 2. Quare triplex finis Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum proponitur:

1° « Auditores disciplinis quae sacrae vel cum sacris conexae sunt, secundum doctrinam catholicam altius instituere;

2° Eos ad fontium cognitionem, ad investigationis laborisque scientifici usum atque ad magisterium exercendum instruere;

3° Denique iisdem disciplinis excolendis provehendisque quam maxime consulere » [13].

8. — Huic Sanctae Sedis voluntati respondent ea quae Institutum nostrum a Scholasticis Societatis exigit. Vult enim ut ii qui ingenii facultatibus ad id necessariis praediti sunt, in Theologia et Philosophia scholastica « conspicui » et « doctrinae selectae viri » evadant, ac proinde « diligenter, per idoneos admodum Praeceptores », scholastica doctrina et Sacris Scripturis aliisque disciplinis informentur, habita etiam ratione temporum et locorum et maioris minorisve variarum disciplinarum momenti [14].

9. — Secundum has Sanctae Sedis et Societatis normas, institutio Scholasticorum haec complectitur:

1° Solidam cognitionem Litterarum humaniorum, Philosophiae scholasticae et sacrae Theologiae;

2° Cognitionem disciplinarum illis affinium, quae nostris temporibus ab exculto sacerdote iure exiguntur;

3° Methodi cognitionem et idoneum usum atque intellectus talem formam et habitum, quibus instructi Nostri etiam post absolutum cursum theologicum studia perficere [15], et peculiaribus condicionibus in quibus Societatis ministeria sint acturi, sese accommodare possint.

---

[12] *CA*, Prooem.: *AAS*, XXIII (1931), pp. 245-246.

[13] *CA*, a. 2.

[14] Cf. Paulus III, *Regimini militantis;* Iulius III, *Exposcit debitum;* Const., P. IV, c. 12, n. 1; P. X, n. 7.

[15] Cf. *IC*, 129.

TITULUS III

DE DISCIPLINARUM ORDINE IN FACULTATIBUS PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE

10. — § 1. In Constitutione Apostolica ordo quidam disciplinarum pro maiore vel minore earum momento atque excellentia statuitur. Quare dividuntur in:

Principales, quae essentialiter requiruntur ad finem Facultatis assequendum;

Auxiliares, quae ad principales bene tractandas necessariae in Sacrae Congregationis Ordinationibus praescribuntur;

Speciales, quae disciplinas sive principales sive auxiliares complent quodammodo atque perficiunt, tamen non omnes singulis Auditoribus praecipiuntur.

§ 2. Loco disciplinarum specialium haberi possunt *cursus peculiares*, in quibus pars quaedam maioris momenti ex disciplinis sive principalibus sive auxiliaribus accuratius tractanda seligitur.

Disciplinae speciales et cursus peculiares seligantur in singulis Facultatibus pro suis cuiusque peculiaribus traditionibus et pro locorum rationibus, ad principia doctrinae catholicae in varias vitae intellectualis provincias efficacius diffundenda [16].

11. — § 1. Non omnes disciplinae principales eiusdem sunt momenti, sed ex iis duae principem locum obtinent, unde *praecipuae* vocantur [17]: in Facultate Theologica, sacra Theologia (i. e. Theologia fundamentalis et Theologia dogmatica, quo nomine etiam tractatus dogmatici de doctrina morum et de re sacramentaria comprehenduntur) [18]; in Facultate Philosophica, Philosophia scholastica [19].

§ 2. Momentum disciplinarum praecipuarum colligitur:

1° Ex ipsa earum natura, qua et nomen et indoles unicuique Facultati propria communicatur.

2° Ex Ecclesiae documentis et Summorum Pontificum

---

[16] Cf *CA*, a. 33 §§ 1-2; Ord., a. 28.
[17] Cf. Ord., a. 38 § 1.
[18] Cf. Stat., n. 30 § 1; Wernz, Ordin., n. 48.
[19] Cf. Ord., a. 38 § 1; Wernz, Ordin., n. 33.

praescriptis et commendationibus, saepius, praesertim hac recentiore aetate, iteratis [20].

3° Ex praescriptis Constitutionum [21] atque ex Congregationum Generalium decretis [22].

12. — Disciplinae principales, inter quas praecipuae semper primum locum obtineant oportet, propter suum ipsarum momentum traduntur; auxiliares vero et speciales, propter utilitatem ad principales melius discendas; quamobrem, ad mentem et normam Ecclesiae et Societatis, disciplinis principalibus subiciendae sunt, ut illas « apte comitentur atque compleant, at non nimium laborem sibi vindicent nec umquam ita, ut studium accuratum et vere summum praecipuarum doctrinarum detrimentum vel minimum patiatur » [23]. Itaque unum ex variis eiusdem Facultatis disciplinis efficiatur quasi corpus bene constitutum, cuius sit caput disciplina Facultatis praecipua.

TITULUS IV

Normae qaedam generales in studiis superioribus servandae

13. — § 1. In Philosophia scholastica ita instituantur Nostri. ut in primis veram acquirant primorum principiorum cognitionem et eorum valorem obiectivum defendere assuefiant.

§ 2. Percipiant etiam quaenam veritates ex his principiis deducantur et quomodo inter se ad systema conectantur; unde fiet ut, opportune factorum ratione habita, gravissimas Metaphysicae quaestiones possint scrutari, quae et ens in communi, et mundum corporeum, et animam immortalem, et ipsum Deum naturali rationis lumine cognoscendum, et prima principia morum tam singulorum quam societatum spectant.

§ 3. His veritatibus penitus imbuantur, ita ut tam novas Phi-

---

[20] Cf. Leo XIII, *Aeterni Patris*: *ASS*, XII (1879), pp. 97-115 (Ench. cler., nn. 396-430); Pius XI, *Studiorum Ducem*: *AAS*, XV (1923), pp. 309-326 (Ench. cler., nn. 1174-1179); *Unigenitus Dei Filius*: *AAS*, XVI (1924), pp. 143-145 (Ench. cler., n. 1190); Pius XII, *Sollemnis conventus*: *AAS*, XXXI (1939), p. 246.

[21] Cf. Const., P. IV, c. 5, n. 1; c. 12, nn. 1, 3; P. V, c. 2, n. 2.

[22] Cf. *CD*, d. 88 §§ 1, 3; d. 89 § 2; d. 94.

[23] Pius XII, *Sollemnis conventus*: *AAS*, XXXI (1939), p. 246.

losophiae quaestiones tractare, opiniones recentiorum iudicare atque eorum errores, si qui inveniuntur, refellere, quam praeambula fidei stabilire ac veritates divinitus traditas modo scientifico exponere et ab adversariorum impugnationibus tueri possint.

14. — § 1. In sacra Theologia ita, Ecclesia magistra, informentur, ut clare fundamenta religionis christianae percipiant et rectam, solidam atque intimam acquirant cognitionem veritatum, quae in fidei catholicae deposito continentur.

§ 2. Quare opus est ut penetrent in motiva credibilitatis revelationis christianae, in dogmata ab Ecclesia proposita atque in alias veritates, quae cum dogmate conectuntur aut ex dogmate concluduntur; quae omnia, ex propriis principiis deducta, quasi membra in unum corpus coalescant oportet.

§ 3. Cum revelatio divina ad hominum salutem facta sit, facile apparet quantopere divinarum veritatum studium tam spirituali Auditorum bono quam animarum auxilio in ministeriis apostolicis exercendis conducat: quare omnes disciplinae theologicae ad hunc supremum finem recte obtinendum conspirent.

15. — § 1. Ceterae disciplinae, sive principales sive auxliliares et speciales, methodo singulis propria et scientifica, ad normam n. 12 ita tradantur, ut studium disciplinae praecipuae non modo non impediant, sed potius iuvent et foveant.

§ 2. Professores harum disciplinarum probe sciant studiorum ante Licentiam curriculo non id intendi, ut specialistae quos vocant efficiantur, sed ut Scholastici iis cognitionibus instruantur, quibus ad Philosophiam scholasticam et sacram Theologiam melius intellegendam iuventur. In materiis autem tractandis animum attendant Professores ad earum cum aliis disciplinis coniunctionem atque ad priorem Auditorum formationem [24].

§ 3. Ex huiusmodi inter se disciplinarum coniunctione recte et accurate definita, in hac *Ratione Studiorum* determinatum est, quomodo unaquaeque sit tractanda, quantum temporis in singulis insumendum, quantum materiae in scholis proponendum atque in examinibus exigendum.

16. — § 1. Methodus scholastica, quam Sancta Sedes Facul-

---

[24] Cf. Wernz, Ordin., n. 50.

tatibus Philosophiae et Theologiae praescribit [25], quamque Societas inde a suis primordiis maxime coluit, ab omnibus magni aestimetur et in docendo diligenter adhibeatur. Eius autem rectus usus postulat, ut disputationes privatae et publicae, quae in scholis Philosophiae et Theologiae aptissima institutionis media semper sunt habita, serio peragantur.

§ 2. Exercitationes in Constitutione Apostolica praescriptae accurate fiant, secundum modum et finem in ipsa lege determinatum.

17. — Superiores aliique omnes quibus Scholasticorum institutio in studiis concredita est, serio et constanter curent, ut quae de Philosophia scholastica, de sacra Theologia, de ceterarum disciplinarum inter se ordine et coniunctione praescripta sunt, sedulo observentur.

18. — Disciplinas philosophicas et theologicas Professores tradere et Scholastici discere conentur animo alacri et libenti, sincero veritatis amore ducti; omnesque ardenter exoptent ut in doctrina magis magisque proficiant ad maiorem Dei gloriam et salutem animarum.

PARS SECUNDA

De gubernatione studiorum

TITULUS I

De munere Praepositi Generalis

19. — § 1. Praepositus Generalis ex Societatis Constitutionibus est Praelatus Ordinarius, qui habet « totam... superintendentiam et gubernationem Collegiorum » [1]. Idem secundum Statuta Facultatum Magni Cancellarii munere fungitur in illis Collegiis, quae ut Facultates cum iure conferendi gradus academicos a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus

[25] Cf. *CA*, a. 29, *a, c; Ord.*, a. 18 §§ 1, 3; Stat., n. 35.
[1] Const., P. IX, c. 3, n. 3; cf. P. IV, c. 10, n. 2.

agnoscuntur [2]. Eius quoque est Rectores constituere et statum Collegiorum plane cognitum habere [3].

§ 2. Collegia gubernat et munus Magni Cancellarii Facultatum explet plerumque per Praepositos Provinciales, prout in Instituto Societatis Iesu et in Statutis accuratius definitur [4].

20. — Ut Magnus Cancellarius debet:

a) Ipse Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus certiorem facere de rebus gravioribus quae ad Facultates pertinent [5];

b) Quotannis eidem Sacrae Congregationi summaria statistica Facultatum, curantibus Rectoribus confecta, mittere [6];

c) Tertio quoque anno illi accuratam relationem de statu Facultatum, curante Provinciali conscriptam et a se revisam, exhibere [7];

d) Impetrare a Sancta Sede « Nihil obstat » pro omnibus Facultatum Professoribus [8].

21. — Ipse praeterea:

a) Approbat omnes Facultatum Professores ordinarios [9];

b) Normas dat de supplendis iis disciplinis quae requiruntur ut quis in Facultates ascribi possit, et quarum una vel plures in scholis mediis aut nullo modo aut non satis sint traditae [10];

c) Statuit quibus annis habendae sint praelectiones certo anno in Statutis non assignatae et quomodo in semestria distribuendae [11];

d) Normas tradit, quibus coefficiens quod dicunt, seu numerus ille aestimationis in examinibus de unaquaque disciplina et Exercitatione scholastica statuendus definiatur [12].

---

[2] Cf. *CA*, a. 14 § 2; Stat., n. 5.

[3] Cf. Paulus III, *Regimini militantis;* Iulius III, *Exponit debitum;* Gregorius XIV, *Ecclesiae Catholicae;* Const., P. IV, c. 10, n. 3; c. 17, n. 1; P. IX, c. 3, nn. 3, 4, 14, 15; Stat., n. 6.

[4] Cf. Stat., n. 5.

[5] Cf. Ord., a. 5, 8°.

[6] Cf. Ord., a. 6, 9°.

[7] Cf. Ord., a. 5, 8°

[8] Cf. *CA*, a. 21, 5°.

[9] Cf. Stat., n. 19.

[10] Cf. Ord., a. 15; Stat., n. 27; infra, n. 126 § 1.

[11] Cf. Stat., n. 49; infra, nn. 39, 50.

[12] Cf. Stat., n. 59 § 2.

TITULUS II

De munere Praepositi Provincialis

22. — § 1. « Cum Societatis atque studiorum scopus sit proximos ad cognitionem et amorem Dei et salutem suarum animarum iuvare; cumque ad eum finem medium magis proprium sit Facultas Theologiae » [13], cui Philosophia proxime inservit [14], omni studio curandum sibi putet Praepositus Provincialis, ut huic scholarum nostrarum labori abunde respondeat fructus, quem gratia nostrae vocationis exigit [15].

§ 2. Oportet ergo ut Sanctae Sedis leges de studiis, Statuta Facultatum, Rationem Studiorum, Ordinationes Generalium, suique officii regulas quae de studiis agunt, probe cognoscat atque assidue ante oculos habeat [16]. Curet etiam diligenter ut omnes, tam Superiores quam inferiores, sincere divinam gloriam in studiis quaerentes, suis officiis rite fungantur [17].

§ 3. In suae Provinciae Collegiis ea omnia et iura et officia habet, quae muneris Provincialis propria sunt; in Collegiis vero quae Facultatibus annumerantur, habet praeterea ea iura et officia, quae Provinciali ut Magni Cancellarii Delegato in Statutis tribuuntur, salvis praescriptis nn. 20 et 21 [18].

§ 4. Singillatim, eius est:

a) Doctrinae orthodoxiam tutari;

b) Providere ut praescripta Sanctae Sedis fideliter observentur [19];

c) Professionem fidei Rectoris, secundum formulam a Sancta Sede approbatam, ad normam can. 1406 § I, 8°, C. I. C. et decreti Sacrae Congregationis S. Officii die 22 martii 1918 dati [20], accipere [21];

---

[13] Const., P. IV, c. 12, n. 1.
[14] Cf. Const., P. IV, c. 12, n. 3.
[15] Cf. *RS*, Reg. Prov., 1.
[16] Cf. Reg. Prov., 39-47.
[17] Cf. Reg. Prov., 40.
[18] Cf. Stat., n. 5; supra, n. 19 § 2.
[19] Cf. Ord., a. 5, 1°-2°.
[20] Cf. *AAS*, X (1918), p. 136.
[21] Cf. Ord., a. 5, 4°.

d) Nomine Magni Cancellarii examinibus ad Lauream consequendam de iure praesidere atque documentis authenticis de collata Laurea vel Licentia primo loco subscribere [22];

e) Magnum Cancellarium de rebus gravioribus quae ad Facultatem pertinent, quotannis statuto tempore certiorem facere; eidem acta mittere Sacrae Congregationi exhibenda, quae sunt: singulis annis, summaria statistica, cura Rectoris confecta, tertio quoque anno, accurata relatio de statu tam academico quam oeconomico Facultatis [23];

f) Ad Praepositum Generalem referre de Philosophis, quos a lege de obtinendis gradibus academicis dispensaverit [24], eique exeunte anno scholastico indicem Scholasticorum, qui inter annum ad gradus academicos fuerint promoti, mittere.

23. — Auctoritates et munera, pro personarum et Collegii condicionibus, ita distribuat, ut et convenienti moderationi et progressui in studiis efficaciter consulatur.

24. — § 1. Rectori adiungat Praefectum studiorum, virum in studiis egregie versatum, zelo et bono iudicio pollentem, aliisque negotiis satis vacuum, « cuius sit munus, generale Rectoris instrumentum esse ad studia bene ordinanda » [25].

§ 2. « Si autem Rector is fuerit qui praeter suum etiam Praefecti studiorum munus obire possit, in eandem personam haec duo officia possunt convenire » [26].

25. — § 1. In Collegiis, in quibus plures Facultates sunt, unicuique earum unum ex Professoribus ordinariis Facultatis praeficiat Decanum, rerum ad illam Facultatem pertinentium vere peritum, cuius sit bono Facultatis consulere [27].

§ 2. Nihil tamen obstat quominus in aliqua ex Facultatibus ipse Praefectus studiorum officio Decani fungatur.

26. — Provincialis quoque est nominare Officiales maiores et Consilia: alterum ad disciplinam domesticam et rerum tempo-

---

22 Cf. Ord., a. 5, 6°-7°; Stat., n. 74 § 1, *b*, *c*.

23 Cf. supra, n. 20, *b*, *c*.

24 Cf. *CG* XXVIII, d. 39, 3°; supra, n. 5, 3°.

25 Const., P. IV, c. 17, n. 2; cf. Stat., n. 8 § 1; *RS*, Reg. Prov., 2.

26 Stat., n. 8 § 2; cf. Const., P. IV, c. 17 *C*.

27 Cf. *CA*, a. 13 § 1; a. 15; Ord., a. 7; Consta., P. IV, c. 17, n. 5; Stat., nn. 7, 9.

ralium administrationem, alterum ad studiorum gubernationem [28].

27. — Etiam in Collegiis quae Facultatibus nondum fuerunt annumerata, Auctoritates, Officiales maiores, Consilia omnia, non secus atque in ceteris constituat [29].

28. — § 1. Ipse Professores omnes designabit (ordinariorum approbatione a Generali prius obtenta), eisque, cum de Facultatibus agitur, postquam Sanctae Sedis responsum « Nihil obstat » per Magnum Cancellarium impetraverit, missionem canonicam docendi conferet [30]. Potest etiam Professores ad normam art. 22 Constitutionis Apostolicae hac missione privare.

§ 2. Quamquam, secundum Litteras Apostolicas [31], Professores non minus quam ceteri religiosi « ad nutum Superiorum amovibiles » sunt, eos tamen a munere docendi ne removeat nisi iusta de causa [32].

§ 3. Curet ut quos constituat Professores, sint « docti, diligentes et assidui, et profectus studentium, tam in lectionibus quam in aliis... exercitationibus studiosi » [33], in disciplinis quas tradunt, quantum fieri potest, insignes; quibus recentes non minus quam veteres adhuc vigentes errores et scientiae progressus bene perspecti sint, ita ut discipulorum plenam fiduciam sibi concilient, eosque erudite simul et solide instituant [34].

§ 4. Ad hoc vero in primis necessarium est ut accurate seligantur Professores apteque informentur, non solum qui ad Philosophiam scholasticam et sacram Theologiam docendam, sed etiam qui ad alias disciplinas tradendas destinantur. Illi enim soli, qui suae disciplinae vere periti sunt, necessaria ab utilibus, utilia a supervacaneis ita discernere sciunt, ut paucis etiam lectionibus accuratam et plenam rerum notitiam cum discipulis communicent.

§ 5. In hoc autem Professorum delectu non scientiae tantum

---

[28] Cf. Stat., nn. 10-12; infra, n. 43.

[29] Cf. *CG* XXVIII, d. 39, 1°.

[30] Cf. *CA*, a. 21, 5°; Ord., a. 5, 5°; Stat., n. 19.

[31] Cf. Iulius III, *Exposcit debitum;* Gregorius XIV, *Ecclesiae Catholicae.*

[32] Cf. Stat., n. 22.

[33] Const., P. IV, c. 6, n. 6; cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 20.

[34] Cf. *CD*, d. 108; Stat., n. 18 § 1.

sed etiam virtutis rationem maxime habeat; eorum enim exempla et dicta plurimum ad rectam Scholasticorum institutionem valent [35].

§ 6. Praeterea in Facultatum Professoribus designandis meminerit:

1° Ad mentem art. 21 Constitutionis Apostolicae, ut quis in Professorum Collegium legitime cooptetur, inter alia requiri: *a*) ut Laurea congruenti praeditus sit; *b*) ut certis documentis, praesertim libris vel dissertationibus scriptis, se ad docendum idoneum probaverit [36].

2° Ut quis Professor ordinarius renuntiari possit, requiri praeterea ut aut aliquamdiu apte docendo satisfecerit, aut aliis modis se ad hoc munus idoneum probaverit [37].

§ 7. Mature provideat ut cuique Facultati sui praesto sint Professores [38]; itaque, ex Scholasticis acrioris ingenii et pròbatae virtutis eos qui ad hoc munus docendi praeparentur, tempestive seligat [39].

29. — § 1. Caveat ne cui ex Professoribus munus concredatur tradendi disciplinas inter se dispares, neve quisquam numero scholarum ita oneretur, ut a debita earum praeparatione et a labore scientifico prohibeatur; minime vero permittat ut Professores iis oneribus vel officiis distineantur, quibus a munere docendi rite implendo impediantur [40].

§ 2. Singulis disciplinis eum designabit Professorum numerum, qui earum gravitati atque excellentiae respondeat. In Facultate autem Theologica debent esse octo minimum Professores, e quibus quinque saltem sint ordinarii; in Philosophica vero minimum sex, e quibus sint ordinarii saltem quattuor [41].

§ 3. Poterit etiam, cum necessarium vel utile ei videbitur, alios Professores ad certum tempus assumere, qui aut aliquam materiam cuius singulariter periti sint exponant, aut loco ali-

---

35 Cf. R. P. Beckx, *De fructu e BB. P. Canisii et I. Berchmans exemplis colligendo,* 1865: *Epist. Praep. Gen.*, t. 3, pp. 156-159.

36 Cf. *CA*, a. 21, 2°-3°.

37 Cf. Stat., n. 18 § 2.

38 Cf. *RS*, Reg. Prov., 4; infra, n. 295 § 1.

39 Cf. *CD*, d. 97 § 3; Reg. Prov., 43.

40 Cf. Ord., aa. 10-11; Stat., n. 21 § 1.

41 Cf. *CA*, aa. 19-20; Stat., n. 21.

cuius ex Professoribus sive ordinariis sive extraordinariis doceant [42].

30. — § 1. Neminem ad Philosophiam vel Theologiam docendam constituat, qui doctrinae S. Thomae non sit vere studiosus. Si quis vero erga S. Doctorem minus bene affectum se prodat, vel a doctrina in Societate probata recedat, vel probatos et eximios Societatis doctores parvi pendat, vel immoderate suas opiniones defendat, eum serio moneat, et si non resipiscat, a docendi munere removeat [43].

§ 2. Diligenter invigilet ne Professores aut docendo, aut scribendo, aut etiam privatis colloquiis, aut alio quocumque modo aliquid peccent contra ea, quae ad mentem Ecclesiae [44], Institutum Societatis de doctrinae securitate praecipit. Si quos autem reppererit ad periculosas novitates propensos, eos serio moneat; et, si non emendentur, loco, cathedra, officio amoveat, immo aliis etiam poenis pro ratione culpae in eos animadvertere ne cunctetur [45].

31. — Quae in Instituto de censura et editione librorum praescribuntur, diligenter observet; memineritque censurae praeviae subicienda esse non solum quae in publicum, sed etiam quae in privatum aliquorum usum eduntur [46].

32. — § 1. Solius Provincialis est dare facultatem legendi libros prohibitos, sive pro singulis libris, in casibus urgentioribus, ex iure communi [47], sive ampliore forma, ex privilegio Societatis [48]. Illi autem, quibus haec potestas facta fuerit, « gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant » [49].

§ 2. Invigilet praesertim ne Scholasticis permittantur libri et folia periodica periculosa, nisi gravi de causa et adhibitis debitis cautelis [50].

---

[42] Cf. *CA*, a. 19 § 3; Stat., n. 20.

[43] Cf. *CD*, d. 101; *RS*, Reg. Prov., 9 § 3.

[44] Cf. *CA*, a. 22.

[45] Cf. Exam., c. 3, n. 11; Const., P. III, c. 1, *O*; P. IV, c. 5, n. 4; *CD*, dd. 98, 104; Stat., n. 23.

[46] Cf. *CD*, dd. 295-296; Epit., n. 881.

[47] Cf. *IC*, 1402 § 1.

[48] Cf. Epit., n. 323 § 1; *AR*, VII (1933), p. 528-530.

[49] *IC*, 1403 § 2.

[50] Cf. *CD*, d. 106; *CG* XXVIII, d. 27, 6°; Epit., n. 461 § 1.

33. — Sollerti animo provideat, ut cum Superiores tum Professores singulorum Scholasticorum, e manifesta S. P. Ignatii voluntate, diligentem paternamque curam habeant, et singulos, pro peculiari cuiusque indole et necessitate, in toto studiorum labore assidue dirigant atque adiuvent [51].

34. — A magisterio, seu munere Magistri vel Subpraefecti disciplinae, Scholasticos generatim haud facile eximet, praeterquam quod regulariter quotannis ex iis, qui plus ceteris profecturi videantur, unum vel etiam plures statim post Philosophiam ad Theologiam applicabit; nullum vero nisi gravi de causa et cum consensu Generalis, neque ante absolutum Philosophiae cursum ad illud munus mittat, neque ultra duos tresve annos in eo retineat. Magisterium autem ita instituatur, ut Scholasticorum virtus perficiatur, indoles formetur, dotes manifestentur, et ipsi quoque in studiis proficiant [52].

35. — Ad viros excellentes suae Provinciae ex praescripto Instituti comparandos, memoria teneat cum regulas sui officii (a. 42 ad 47), tum quae in hac Ratione Studiorum de studiis specialibus et de praeparatione ad futura ministeria definiuntur [53].

36. — In Collegiis quae Facultatibus annumerantur, poterunt ad Lauream promoveri ii Scholastici, quos ipsorum Provincialis, auditis suae Provinciae Consultoribus et Rectore Collegii, designaverit; salvis praescriptis n. 296 de studiis specialibus alibi peragendis. Immo et Facultati et Provinciae conducit non deesse Scholasticos, qui non solum studia ad Licentiam, sed etiam ad Lauream praescripta perficiant.

37. — § 1. Curet ut Scholastici qui in Facultatibus omnia ad Licentiam vel ad Lauream praescripta feliciter expleverint, ad hos gradus, omisso quidem externo apparatu, promoveantur, et de obtento gradu certiores fiant.

§ 2. Cum necessarium sit, documenta authentica de collatis gradibus academicis ad normam n. 73 Statutorum conficiantur. Quodsi quando aliquis ex designatis subscribere documentis non

---

[51] Cf. Const., P. IV, c. 5, n. 2, *C;* c. 6, n. 6, *E;* c. 13, n. 4; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 20.

[52] Cf. *CD,* d. 84; Epit., n. 295 §§ 1-2.

[53] Cf. *CD,* d. 97; infra, nn. 284-306.

potest, Provincialis provideat ut alius ad normam n. 74 § 2 eorundem Statutorum pro illo substituatur.

38. — § 1. Ipse Examinatores omnes designabit; Examinatores tamen ad gradum Societatis a Generali sunt approbandi [54].

§ 2. Suffragia examinis ad gradum Societatis referat in librum, cuius solus curam habeat; itemque Examinatorum nomina inscribat, ita tamen ut nemo sciat quod quisque suffragium tulerit; litteras autem, quibus suffragia ei ab Examinatoribus indicantur, destruat [55].

Curet similiter ut ad se ipsum mittantur suffragia examinis de universa Theologia ad Licentiam consequendam; postquam vero ea pariter a nominibus Examinatorum separata scriptis mandaverit, litteras item destruat, et de suffragiorum punctis certiorem faciat Rectorem, cuius est inde summam subducere.

§ 3. Alium quoque librum habeat, in quem referre curet suffragia reliquorum omnium examinum, exeunte anno scholastico sibi a Rectore mittenda, et collationem graduum academicorum.

39. – Quibus annis habendae sint in Facultatibus praelectiones certo anno in Statutis non assignatae, et quomodo in semestria distribuendae, Praeposito Generali definiendum proponat [56].

TITULUS III

De munere Rectoris

40. — § 1. Cura et gubernatio Collegii penes Rectorem est, qui, ex Litteris Apostolicis et Societatis Constitutionibus, simul est totius domus religiosae Superior [57].

§ 2. Rector ad gubernationem sibi commissam animum fideliter et diligenter applicet; et, post religiosarum et solidarum virtutum curam, quae praecipua esse debet, in illud maxime incumbat, ut philosophicam et theologicam Scholasticorum institutionem, ad normas praescriptas, pro viribus foveat, quo ple-

[54] Cf. *CD*, d. 111 § 3.
[55] Cf. *CD*, d. 122.
[56] Cf. Stat., n. 49; cf. supra, n. 21 *c*; infra, 50.
[57] Cf. Const., P. IV, c. 17, n. 1; Stat., n. 6.

nius finis apostolicus quem Societas in studiis superioribus sibi proposuit, Deo iuvante, obtineatur [58].

41. — Rectoris est:

a) Praescripta Sanctae Sedis et Statuta Facultatum in Collegio exsequi [59];

b) Accipere, ad normam can. 1406 § 1, 8°, C.I.C. et decreti Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 martii 1918, professionem fidei omnium Professorum, secundum formulam a Sancta Sede approbatam [60];

c) Consilia convocare eisque praesidere [61];

d) Examinibus, si intersit, praeesse [62];

e) Ad Praepositum Generalem et etiam ad Provincialem statis temporibus de studiis, de disciplina, de administratione oeconomica referre [63].

Si autem Collegium Facultatibus annumeretur, ipse etiam:

f) Accipit professionem fidei, secundum formulam modo commemoratam, eorum qui examine superato academicis gradibus donandi sunt [64];

g) Documentis Baccalaureatus primo loco, ceterorum vero graduum secundo loco, subscribit [65];

h) Curat ut summaria statistica, secundum schema Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, quotannis conficiantur, eaque per Provincialem ad Magnum Cancellarium mittit [66].

42. — Secundum normam nn. 24 et 25 ad studia ordinanda adiutores habebit Praefectum studiorum et, ubi plures Facultates sunt, etiam Decanos Facultatum [67].

43. — § 1. In Collegio gubernando duo ei aderunt Consiliorum genera:

---

[58] Cf. Reg. Sup. loc., 5, 93; *RS*, Reg. Rect., 1.
[59] Cf. Ord., a. 6, 1°.
[60] Cf. Ord., a. 6, 2°; *AAS*, X (1918), p. 136.
[61] Cf. Ord., a. 6, 4°.
[62] Cf. Ord., a. 6, 6°.
[63] Cf. Ord., a. 6, 8°; *AR*, IX (1939), pp. 386-391.
[64] Cf. Ord., a. 6, 2°.
[65] Cf. Ord., a. 6, 7°; Stat., n. 74.
[66] Cf. Ord., a. 6, 9°.
[67] Cf. Const., P. IV, c. 17, nn. 2, 5; Stat., n. 7; *RS*, Reg. Rect., 2.

1° Ad disciplinam domesticam et rerum temporalium administrationem quattuor Consultores a Provinciali, secundum Societatis Constitutiones, nominati;

2° In iis quae ad studia pertinent alterum Consilium quod constabit: si agendum erit de rebus unius Facultatis, ex Praefecto studiorum et Decano (ad normam n. 25 § 1) et duobus Professoribus ordinariis a Provinciali ex illa Facultate designatis: si vero agendum erit de rebus omnium Facultatum, ex Praefecto studiorum, omnibus Decanis, duobus illis Professoribus ex unaquaque Facultate designatis [68].

§ 2. Pro rei autem natura vel difficultate poterit Rector praeter Consultores designatos, alios quoque prae ceteris peritos in consultationem arcessere [69].

44. — § 1. Cum suis Consiliis deliberet de rebus omnibus gravioribus, praesertim vero de illis, quae in hac Ratione Studiorum suis locis significantur. Has autem iam ante consultationem cum Consultoribus communicet, ut sententiam aptius ferre possint [70].

§ 2. Quamquam Consultorum suffragium, ex Litteris Apostolicis et Societatis Constitutionibus, non est deliberativum sed consultivum tantum [71], contra omnium tamen sententiam ne agat nisi approbante Provinciali [72].

§ 3. Unum ex Consultoribus designet, ut in librum referat quid deliberatum et constitutum sit [73].

45. — Interdum omnes Professores convocare debet, ut praesentibus Praefecto studiorum et Decanis cum eis agitet quae pro rerum condicionibus ad progressum in studiis magis conducere videbuntur [74].

46. — De studiis cursus minoris agat cum Praefecto studio-

---

[68] Cf. Const., P. IV, c. 10, n. 7; c. 17, nn. 1, 5, 6; Stat., n. 11.

[69] Cf. Const., P. IV, c. 17, n. 6; Stat., n. 13.

[70] Cf. Ord., a. 9; Const., P. IX, c. 6, n. 14; Stat., n. 13; Epit., n. 773 § 1.

[71] Cf. Gregorius XIV, *Ecclesiae Catholicae;* Com. Cod., 29 iun. 1918; *AR,* II (1918), p. 608; Const., P. IX, c. 6, n. 14; Stat., n. 14.

[72] Cf. Const., P. IV, c. 17, *H*; Stat., n. 14.

[73] Cf. Epit., n. 773 § 3.

[74] Cf. Stat., n. 15; Epit., n. 334; *RS,* Reg. Rect., 17.

rum et, si opus fuerit, cum aliis Professoribus, quos convocandos censuerit.

47. — § 1. Curet ut Praefectus studiorum, Decani, Professores, Scholastici, suum in Domino officium expleant. Quare cum Praefecto studiorum et Decanis saepius agat, disputationibus frequenter intersit, omnibus subsidia ad studium comparet, et progressui scientifico consulat [75].

§ 2. Studeat etiam diligenter Professorum in laborando alacritatem caritate religiosa fovere, nulloque modo permittat quae eos a debita scholarum praeparatione et a labore scientifico prohibeant [76].

§ 3. Meminerit Auditores frequentare debere scholas omnes disciplinarum, prout suis locis praescribitur (nn. 130-134 et 162-165); si quis autem ab iis ita afuerit (cum vel sine causa), ut omnes absentiae simul sumptae tertiam partem anni aut semestris academici adaequent, annum illum aut semestre numero scholarum ad gradus academicos praescripto computari non posse [77].

§ 4. Neque ferat Auditorum quempiam a praescriptis disputationibus aut repetitionibus abesse, ut omnes eam rem magnae sibi curae esse intellegant [78].

§ 5. Scholasticis in studiis, pro tempore et re, stimulum, frenum, animum addat omnesque eorum occupationes quae studiis impedimento esse possint, etiamsi ad auxilium animarum pertineant, ante quadriennium theologicum expletum praecidat: exceptis — prout antiquo Societatis usui consonum est — minoribus quibusdam zeli apostolici exercitiis, quae studia potius iuvant quam impediunt et iuvenes ad futuros labores praeparant [79].

48. — Quae de usu linguae latinae n. 98 praescribuntur, a Professoribus diligenter servari curet.

---

[75] Cf. Ord., a. 6, 3°; Const., P. IV, c. 6, nn. 9, 15; c. 10, n. 5; Stat., n. 16; Reg. Sup. loc., 96, 98; *RS*, Reg. Rect., 3.

[76] Cf. Ord., aa. 10-11; Stat., n. 16; Reg. Sup. loc., 96; *RS*, Reg. Rect., 19.

[77] Cf. *CA*, a. 33 § 3; a. 37; Ord., a. 29 § 1; Stat., n. 64, 1°; n. 66.

[78] Cf. *RS*, Reg. Rect., 4.

[79] Cf. *IC*, 589 § 2; S. C. de Rel., 27 oct. 1923: *AAS*, XV (1923), p. 549; Const., P. IV, c. 6 nn. 3, 9, 15; Reg. Sup. loc., 94, 98; *AR*, V (1925), pp. 377-378; (1927), p. 690; VI (1930), pp. 591-592, 596; *RS*, Reg. Rect., 4.

49. — Provideat ut Scholastici suum habeant privatum studium et quietum, quo melius ea quae in scholis tractata sunt, intellegant et addiscant [80]. Proinde horae scholarum aliarumque exercitationum ita ordinentur, ut singulis hebdomadis generatim non amplius viginti habeantur, et duae saltem horae nulla schola nullove alio exercitio communiter praescripto intermittendae ad studium privatum cotidie serventur.

50. — Cum Facultatis Consilio deliberet: quaenam disciplinae speciales tradendae sint, aut quinam cursus peculiares pro regionis condicionibus et necessitatibus instituendi; item, quibus annis habendae sint praelectiones certo anno in Statutis (atque adeo in hac Ratione Studiorum) non assignatae, et quomodo in semestria distribuendae. Quae omnia per Provincialem definitioni Generalis subiciat [81].

51. — Ordinem scholarum et scholasticorum exercitiorum a Provinciali approbatum sine eiusdem consensu ne mutet, nisi in casibus singularibus iustaque de causa [82].

52. — § 1. Materiam examinis ad gradum Societatis cum Praefecto studiorum determinet et cum Generali tempestive communicet [83]; ceterorum autem examinum materia, simul cum Examinatorum ordine, ut sibi a Praefecto studiorum exhibeatur curet.

§ 2. Scripta lithographica vel « ad modum manuscripti » ad usum Auditorum multiplicata accurate recognosci faciat; quorum duo exemplaria, aeque ac thesium omnium quae examinibus aut disputationibus publicis proponuntur, atque Kalendariorum, ad Generalem mittat.

53. — Provideat ut Auditores, qui ab alia Facultate vel Universitate vel Seminario vel Collegio, sive intra sive extra Societatem, ad suum Collegium transeunt, authentica testimonia, de quibus n. 28 Statutorum, afferant, et audito (si opus fuerit) Facultatis Consilio eorum studia ita ordinet, ut praescriptis art. 17 Ordinationum fiat satis [84].

---

[80] Cf. Ord., a. 30; Const., P. IV, c. 6, n. 14, *M*; *RS*, Reg. Praef. stud., 27.

[81] Cf. *CA*, a. 33 § 2; Ord., a. 28; Stat., nn. 41 § 3; 46 § 3; 49; supra, nn. 21 *c*, 39.

[82] Cf. *RS*, Reg. Rect., 23.

[83] Cf. *CD*, d. 116; infra, n. 224.

[84] Cf. *CA*, a. 32; Ord., aa. 17, 26, 1° et 3°; Stat., n. 28.

54. — § 1. Curae ei sit ut bibliotheca domus ordinate disponatur, libris apte instruatur, novisque selectis operibus augeatur, certa ad id pecuniae summa assignata, quam alios in usus convertere non liceat. Museis quoque et laboratoriis consulere ne neglegat [85].

§ 2. In regionibus Missionum atque in illis Nostrorum Collegiis in quibus futuri Missionarii instituuntur, videat ne in bibliotheca desint libri quibus historia, litterae, systemata philosophica ac religiosa illarum regionum quarum interest, apte illustrentur.

55. — § 1. Codicem habeat, in quem quotannis referat nomina Auditorum et suffragia de singulis lata:

a) In examine de universa Theologia ad Licentiam consequendam, de quibus a Provinciali certior fiet;

b) In ceteris omnibus examinibus, uno excepto examine ad gradum Societatis;

c) In Exercitationibus, quibus ad normam nn. 246 § 1 2° et 249 operam dederint.

§ 2. His addatur qualitas approbationis ad normam n. 238 et elenchus graduum collatorum.

§ 3. In suffragiis colligendis atque conscribendis et in computatione facienda, aliorum opera uti poterit. Generatim curandum est ut omnes computationes suffragiorum quae ad gradus academicos requiruntur, a duobus fiant.

56. — Habeat praeterea tabularium seu archivum, in quo diligenter et ordinatim conserventur:

a) Litterae ac documenta omnia de studiis, quae a Sancta Sede et praesertim a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus proferuntur;

b) Ordinationes Generalium quae ad rem pertinent;

c) Testimonia authentica, de quibus in Statutis n. 28;

d) Codices, de quibus n. superiore;

e) Cetera omnia scripta quae studia spectant, ut acta Consultationum de studiis etc.

---

[85] Cf. *CA*, aa. 48-49; Ord., aa. 45-46; Stat., nn. 75-77; Epit., n. 341 § 2; Reg. Sup. loc., 96; *RS*, Reg. Prov., 33.

TITULUS IV

De Praefecto studiorum

57. — Praefecti studiorum munus est generale Rectoris instrumentum esse ad studia bene ordinanda, pro potestate ab ipso accepta [86]. Ei autem, ad mentem Constitutionum, obtemperent Facultatum Decani, Professores et Scholastici, in rebus ipsi a Rectore commissis [87].

58. — § 1. Sanctae Sedis et Societatis praescripta de studiis probe cognoscat; librum quoque de Ratione Studiorum familiarem habeat eiusque normas a Decanis et Professoribus et Auditoribus observandas sedulo curet [88].

§ 2. Nihil immutet ex iis quae habentur in ordine studiorum, neque ab illis, nisi secundum normas a Rectore acceptas, dispenset; sed, ubi opus est, ad eum referat [89].

59. — § 1. In Collegiis, in quibus una est Facultas, Praefectus studiorum omnia quae ad studia pertinent, Rectore duce, moderabitur, iis non omissis quae, ubi plures sunt Facultates, Decanis committuntur.

§ 2. In Collegiis, in quibus plures sunt Facultates, ipse de rebus omnium Facultatum communibus providebit, ut in studiis aptus ordo, necessaria concordia, recta continuatio vigeat. Quae vero studia in singulis Facultatibus moderanda spectant, curare et exsequi Decanorum erit [90].

60. — § 1. Saepius cum Decanis agat de rebus ad eorum Facultatem et ad Scholasticorum in studiis progressum pertinentibus.

§ 2. Cum sibi opportunum visum fuerit, Professores in scholis audire atque disputationibus privatis et Exercitationibus interesse poterit.

---

[86] Cf. Const., P. IV, c. 17, n. 2; Stat., n. 8 § 1; *RS*, Reg. Rect., 2 et Praef. stud., 1; supra, n. 24.

[87] Cf. Epit., n. 336 § 1; *RS*, Reg. Prov., 2 et Reg. Prof. sup. Fac., 4.

[88] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 4.

[89] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 3.

[90] Cf. P. Natalis, Scholia in Const., P. IV, c. 17: *Erit et Cancellarius; Sit decanus.*

61. — Ineunte anno scholastico cum Decano et Professoribus constituet dies disputationum publicarum et repetitionum, ne in eadem Facultate plures simul habeantur.

62. — Materiam omnium examinum et theses publice defendendas a Decanis accipiet, et postquam ea, maxime si imprimenda sint, diligenter recognoverit, approbationi Rectoris subiciet [91].

63. — Examinatorum et examinum determinet ordinem et Rectori approbandum proponat.

64. — Bibliothecae Scholasticorum ad normam Statutorum n. 75 provideat [92].

65. — In Kalendario, praeter mutationes in ordine usitato faciendas, ascribat etiam dies quibus publice disputandum sit, et quibus examina, exeunte sive anno scholastico sive semestri, incipiantur. Addantur Kalendario:

a) Index Professorum et disciplinarum, quas quisque docet;

b) Conspectus scholarum et Exercitationum;

c) Ordo scholarum singulis hebdomadae diebus servandus.

66. — § 1. Nisi Rector intersit, Praefectus studiorum omnibus, si ipse adest, conventibus Professorum itemque examinibus praeest.

§ 2. Documentis authenticis de obtentis gradibus academicis post Rectorem subscribit [93].

§ 3. Statis temporibus ad Generalem et ad Provincialem de rebus ad studia pertinentibus scribere debet [94].

TITULUS V

De Decanis

67. — Decani munus est suae Facultatis bono consulere in iis quae ad studia pertinent [95]. In eo obeundo Superiores in omnibus duces sequatur, prout in Statutis, in Constitutionibus et in hac Ratione Studiorum praescribitur [96].

---

[91] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 4; Reg. Prof. sup. Fac., 4.

[92] Cf. Stat., n. 75 § 1; Epit., n. 341 §§ 1, 3; *RS*, Reg. Praef. stud., 29-30.

[93] Cf. Stat., n. 74.

[94] Cf. *AR*, IX (1939), pp. 386-391; Wernz, Ord., n. 10.

[95] Cf. Ord., a. 7; Stat., n. 9.

[96] Cf. Const., P. IV, c. 17, nn. 1, 2, 5, 6; Stat., nn. 6, 16.

68. — Singillatim Decanus:

a) Vigilanter custodit doctrinam in propria Facultate tradendam [97];

b) Praeest conventibus et examinibus suae Facultatis, nisi Rector vel Praefectus studiorum intersit [98].

c) Moderatur publicas suae Facultatis disputationes, signumque dat finiendi iis qui disputant; ac tempus sic distribuit, ut omnibus suus sit disputandi locus [99];

d) Ad Auctoritates superiores refert quae ei a Professoribus Facultatis proponuntur, vel quae ipse putat ad bonum Facultatis conducere [100].

e) Quae ab Auctoritatibus superioribus statuuntur, in Facultate exsequenda curat [101];

f) Documentis authenticis graduum academicorum post Praefectum studiorum subscribit [102].

69. — § 1. In rebus quae sunt maioris momenti, Consultores Facultatis interrogare debet [103]. Cum ei opportunum videbitur, poterit, approbante Rectore et certiore facto Praefecto studiorum, convocare omnes Facultatis Professores, ut ab eis discat quae ad bonum Facultatis proponenda habeant.

§ 2. Praeterea crebro cum Professoribus agat, sive de rebus quae disciplinae cuique propriae prodesse possunt, sive de scientificis eorum laboribus.

§ 3. Interdum, certiore facto Praefecto studiorum, Professores singulos in scholis audiat atque disputationibus privatis et Exercitationibus intersit. Si quid animadversione dignum vel ipse observaverit, vel audierit ab aliis, ubi id certo compererit, Professori perquam benigne et comiter, aperte tamen, indicare ne vereatur; remque totam, prout magis expedire censuerit, Praefecto studiorum vel Rectori deferat [104].

§ 4. Unicuique ex Professoribus, praesertim si quem paulo

---

[97] Cf. Ord., a. 7, 1°.

[98] Cf. Ord., a. 7, 2° et 5°.

[99] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 6.

[100] Cf. Ord. a. 7, 3°.

[101] Cf. Ord., a. 7, 4°.

[102] Cf. Stat., n. 74.

[103] Cf. Ord., a. 9.

[104] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 17.

lentius procedere compererit, necessitatem progrediendi in memoriam redigat, ita ut singulis annis vel semestribus materias sibi assignatas absolvat [105].

§ 5. Curet ut Professores sibi exhibeant materiam examinum et theses quae publice defendendae sint; et postquam ea recognoverit, Praefecto studiorum tradat.

70. — § 1. Ingenium et progressum singulorum Scholasticorum perspectum habeat, et provideat quae ad hunc progressum necessaria sibi videantur. Ipse, sive per se sive per alium, illos doceat, quomodo lectiones praevidere, audire, repetere, disputationes instituere, examina praeparare, tempus studio privato assignatum utiliter impendere debeant.

§ 2. Quibus disciplinis specialibus operam dare quosve cursus peculiares frequentare, et quibus Exercitationibus interesse singuli debeant, re cum ipsis collata, pro cuiusque ingenio, voluntatis inclinatione, futura destinatione, approbante Rectore determinabit.

71. — § 1. Curet ut Scholastici Sacram Scripturam sibi frequenti usu notam faciant et congruens tempus Libris Sacris legendis insumant; e documentis autem Ecclesiae, ex operibus S. Thomae et clarorum Societatis doctorum, eas in primis Professoribus moderantibus partes legant, quae cum quaestionibus in scholis tractatis artius cohaerent.

§ 2. Provideat quoque ut Scholasticis praesto sint libri quibus studium linguarum classicarum, praesertim latinae, excolere possint [106].

TITULUS VI

De studiorum Consultoribus

72. — Consultores sint viri prudentia, probitate, experientia praediti [107], quibus progressus studiorum suae Facultatis vel Collegii cordi sit.

73. — Etiam non interrogati possunt Rectori vel Praefecto studiorum vel Decano proponere quae sibi venerint in mentem

---

105 Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 5.

106 Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 30.

107 Cf. Const., P. IV, c. 10, n. 7; Stat., n. 12.

ad bonum, sive Facultatis, sive Professorum vel Scholasticorum singulorum [108].

74. — Generatim, quae de modo sese gerendi in Consultationibus Institutum nostrum praescribit, sibi pro portione dicta existiment [109].

PARS TERTIA

De Professorum munere in universum

TITULUS I

Normae generales

75. — Professores vocatos se sentiant ad nobilissimum scientiae apostolatum, quo et Scholasticos nostros divina aspirante gratia ea doctrina instruant, ut ad munera Societatis propria cum fructu obeunda idonei reddantur, et alios in vera fide magis cognoscenda et amanda efficaciter adiuvare valeant [1].

76. — § 1. Eo feratur peculiaris Professorum intentio, ut doctrinam cum pietate coniungant et huic in primis illa inserviat. Proinde cum se occasio obtulerit, Auditores moveant ad obsequium et amorem Dei ac virtutum quibus Ei placere oportet, utque omnia sua studia in hunc finem referant [2]. Crebris praeterea discipulos adiuvent apud Deum precibus ac religiosis suae vitae exemplis [3].

§ 2. Ante singulas lectiones iisque finitis dicatur brevis oratio, quam omnes religiose et attente persolvant [4].

77. — § 1. Studeant Professores insignes esse in sua quisque disciplina, perfecte cognitis eius principiis, fontibus, subsidiis,

---

[108] Cf. Const., P. IV, c. 17, n. 5; Reg. Cons. dom., 8.

[109] Cf. Reg. Cons. dom., 1-10, 14, 16.

[1] Cf. Const., P. IV, Prooem.; *AR*, VII (1934), pp. 645-646, 779, n. 5.

[2] Cf. Const., P. IV, c. 16, n. 4; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 1; Reg. Prof. Theol., 1 et 5; infra, n. 95 § 2.

[3] Cf. Epit., n. 337 § 2; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 3.

[4] Cf. Const., P. IV, c. 16, n. 4, *C*; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 2.

methodo, auctoribus praecipuis, quaestionibus quoque recentioribus. Neque aptam disciplinarum affinium cognitionem sibi comparare omittant.

§ 2. In regionibus vero Missionum, praesertim proximi atque extremi Orientis, peculiari ratione systemata philosophica et religiosa quae illic vigent, perspecta habere curent.

§ 3. In laborem scientificum impense incumbant, et discipliplinam quam profitentur, etiam editis libris et commentationibus excolere studeant [5].

§ 4. Rationem quoque docendi secundum sanae paedagogiae leges probe noverint, eaque ita utantur, ut eorum exemplo et ipsi Auditores eam addiscant.

§ 5. Eis non licet onera vel officia obire, quibus a munere docendi rite implendo impediantur. Feriarum vero tempore, praesertim aestivarum, aliqua ministeria apostolica approbantibus Superioribus utiliter suscipere poterunt, ea sane moderatione, ut refectis ex aequo viribus aptum ad scholas parandas atque investigationes scientificas peragendas otium habeant [6].

78. — Praecipuum munus suum id Professores existiment, ut Auditores omnes et singulos iis quas docent disciplinis solide instituant eorumque profectui tam in lectionibus, quam in aliis scholasticis exercitiis atque adeo in privatis colloquiis studiose provideant [7]. Ad Superiores autem de singulorum ingenio et progressu opportuno tempore referant.

79. — Caveant ne suam disciplinam ita urgeant, ut ceterarum rationem non satis habere videantur; sed potius ad singularum disciplinarum dignitatem, necessitatem, mutuam inter se coniunctionem, ut decet, attendant.

80. — In munere suo explendo Superiorum normas sequantur; et memores sint Praefecto studiorum et Decano in rebus, quae ad studia et scholarum ordinem pertinent, sibi esse obtemperandum [8].

81. — Probe intellegant se non suo, sed Societatis nomine docere, ideoque discipulorum animos non suis privatis opinioni-

---

[5] Cf. *CA*, a. 21, 3º.

[6] Cf. *IC*, 589 § 2; Ord., a. 11; *AR*, VI (1931), pp. 837-839.

[7] Cf. Const., P. IV, c. 6, n. 6; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 20.

[8] Cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 4; supra, n. 57.

bus, sed ea doctrina, quae cum legibus Ecclesiae et Societatis plene concordat, imbuere debere [9].

82. — Meminerint Nostros omnes esse fratres et unius familiae filios, ac proinde in iis quae dicunt vel scribunt, semper bono communi atque Societatis fratrumque omnium, maxime vero aliorum Professorum, existimationi modeste et benevole consulant [10], atque in omnibus sive docendi sive scribendi laboribus fraternae caritatis vinculis atque officiis mutuo se adiuvent.

TITULUS II

De doctrina tenenda

83. — § 1. In Constitutionibus Societatis praescribitur, ut Professores « sequantur in quavis Facultate securiorem et magis approbatam doctrinam et eos auctores qui eam docent » [11]. Quare Societas secundum Sanctae Sedis leges [12], voluntati quoque S. P. Ignatii obsecundans [13], complurium Congregationum Generalium decretis « tamquam solidiorem, securiorem, magis approbatam, Constitutionibusque consentaneam... tam in Theologia scholastica quam in Philosophia, doctrinam elegit S. Thomae; statuitque eam esse a Nostris sequendam, S. Thomam ut proprium Doctorem habendum, et eos eligendos esse Professores, qui, erga S. Doctorem bene affecti, operam in eo posituri sint, ut Auditores quoque erga eum quam optime afficiantur » [14].

§ 2. Professores igitur tam Theologiae quam Philosophiae:

1° « Doctorem Angelicum suorum sequantur studiorum Ducem ac Principem, eius opera penitus perspecta habeant, eius doctrinam secundum rationes scientificas intime penetrent ac familiarem sibi reddant » [15].

2° Scholasticorum in Philosophia rationali et Theologia institutionem omnino pertractent ad huius Doctoris nostri proprii

---

[9] Cf. *CD*, d. 100 § 1.
[10] Cf. *CD*, d. 110 § 2; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 5.
[11] Const., P. IV, c. 5, n. 4.
[12] Cf. *CA*, a. 29 *a, c;* Ord., a. 18 § 1.
[13] Cf. Const., P. IV, c. 14, n. 1.
[14] *CD*, d. 99 § 1; cf. Stat., n. 29 § 1; *RS*, Reg. Prof. Theol., 2.
[15] *CD*, d. 99 § 2, 1°; Stat., n. 29 § 2, 1°.

rationem et doctrinam et principia, eaque sancte teneant, ad normam Litterarum Encyclicarum Leonis PP. XIII *Aeterni Patris* d. d. 4 augusti 1879 [16] et Pii PP. XI *Studiorum Ducem* d. d. 29 iunii 1923 [17], servatis etiam normis Societati a Praeposito Generali Wlodimiro Ledóchowski iussu Congregationis XXVI, per litteras *De doctrina S. Thomae magis magisque in Societate fovenda,* anno 1916 propositis et a Benedicto PP. XV auctoritate apostolica confirmatis [18].

3° Scholasticos in studium accuratum recteque ordinatum operum S. Doctoris, in primis Summae Theologicae, et ad mentem eius magis magisque intellegendam atque amore vere singulari amplectendam omni cura inducant [19].

84. — « Magni etiam faciant atque diligenter consulant probatos illos et eximios Societatis doctores, quorum laus est in Ecclesia, quique, utpote S. Thomae discipuli addictissimi sapientesque interpretes, immo Ecclesiae luminaria, a Romanis Pontificibus et ab eruditissimis viris commendari meruerunt » [20].

85. — § 1. In iis quae libere inter Nostros controvertuntur, nemo sententiam suam ita defendat, ut alteri notam inurat; sed potius caritati, veritati, Auditorum profectui consulens, satis habeat varias opiniones earumque argumenta praecipua, non diutius in iis commorando, sincere exponere, atque suam modeste propugnare.

§ 2. Quaestionibus his liberis ea minime annumeratur quae de divinis auxiliis et scientia media dicitur; quamquam in hac etiam ab omni animorum contentione, in publicis praesertim disputationibus, temperandum est [21].

86. — « In universum sedulo et constanter invigilandum est, ut Nostri ab intemperanti novitatum studio et periculosa opinandi licentia incolumes serventur; quare haec ob oculos habeantur:

1° Ut libere possit aliqua sententia proferri, non satis est eam adhuc non esse damnatam; sed sedulo etiam attendatur num

---

16 Cf. *ASS,* XII (1879), pp. 108-115 (Ench. cler., nn. 416-430).

17 Cf. *AAS,* XV (1923), pp. 309-329 (Ench. cler., nn. 1174-1179).

18 Cf. *AR,* II (1917), pp. 318-363; *CD,* d. 99 § 2, 2°; Stat., n. 29 § 2, 2°.

19 Cf. *CD,* d. 99 § 2, 3°; Stat., n 29 § 2, 3°.

20 *CD,* d. 99 § 4.

21 Cf. *CD,* d. 100; *RS,* Reg. Prof. sup. Fac., 5.

sit conformis menti Ecclesiae Sedisque Apostolicae satis clare iam manifestatae, SS. Patrum doctrinae, sententiis Doctorum catholicorum communi consensu probatis.

2° Nihil novi proponatur quod fidei pietative christianae non prorsus congruat, vel quod fideles merito possit offendere, vel quod rationibus pro re vere gravibus non probetur. Immo, etiamsi nullum fidei pietatisve periculum subsit, in rebus alicuius momenti nemo inconsultis Superioribus novas introducat quaestiones neque opinionem ullam quae nullius idonei sit auctoris.

3° Nostri SS. Patribus et catholicae Traditionis documentis praecipuam operam dent; acatholicorum vero commentariis et libris cautissime utantur, caventes ne eorum exemplo atque consuetudine illecti, paulatim eo deflectant ut a supernaturali ratione factorum et inspiratione Sacrae Scripturae praescindere videantur »[22].

87. — Etiam in re morali Professores securitati doctrinae prospiciant et ab omni laxitatis specie caveant, neque quidquam promant quod vulgari minime velint[23].

88. — « Nullo tamen modo intendit Societas aequam in rebus dubiis libertatem minuere; ac multo minus improbare rectum usum eruditionis et criticae, omniumque subsidiorum quae ex progressu scientiae utilissime accesserunt; immo valde laudandi sunt qui in eas disciplinas incumbentes strenuo labore pro fide antiqua novis armis propugnare student »[24].

TITULUS III

De modo lectiones habendi

89. — § 1. In tractanda materia singuli Professores ad ea attendant, quae de sua cuique disciplina in hac Ratione Studiorum praescribuntur.

§ 2. Intra materiam sibi assignatam se contineant eamque tempore constituto integram absolvant[25]; da quod proficiet singu-

---

[22] *CD*, d. 102, 1°, 2°, 4°.
[23] Cf. *CD*, dd. 70, 103.
[24] *CD*, d. 105.
[25] Cf. *CD*, d. 109; Ord., a. 20; *RS*, Reg. Praef. stud., 5.

los iam ante initium anni scholastici pro momento et amplitudine maiorum suae disciplinae partium definire, quantum fere temporis iis tractandis insumere velint, idque Praefecto studiorum vel Decano indicare.

90. — § 1. Ex praescripto n. 16 in tradenda Theologia et Philosophia methodum scholasticam adhibeant. Singillatim vero haec praestanda curent:

a) In maioribus quaestionibus ne longo continuoque procedant tractu, sed praemisso brevi totius argumenti conspectu eas logice distribuant in theses, quarum singulae tamquam ad veritatem sint gradus.

b) In unaquaque thesi, definitis et explicatis terminis, clare ponatur status quaestionis eiusque cum cognatis thesibus coniunctio ostendatur.

c) Argumenta proponantur, quantum materia permittit, forma syllogistica [26], eaque ita brevi, ut facile memoria retineri possint, et terminis adeo claris, ut consequentia appareat. Conclusiones autem non tam probare studeant argumentorum numero quam pondere [27].

d) Etiam ad difficultates afferendas et solvendas formam syllogisticam adhibeant [28]; eas difficultates in primis afferant, quae sive notiones in thesi occurrentes, sive statum quaestionis, sive argumenta illustrent; non quidem coacervantes quae obici possent, sed ex iis diligenter breviterque referentes potissima [29].

e) Maiore quadam quaestione absoluta diversarum thesium ostendatur coniunctio earumque cohaerens synthesis conficiatur, unde appareat quaenam sint principia, e quibus reliqua pendeant. Neque singulae tantum quaestiones ita sunt explicandae, sed etiam dilucidandum est, quomodo inter se et cum aliis conectantur, quo Auditores non solum rerum particularium cognitionem percipiant, sed totius disciplinae veram scientiam [30].

§ 2. Hac autem methodo discipulorum mentes ita excolantur, ut assuescant et definire terminos quibus utuntur, et voces aequi-

---

[26] Cf. Ord., a. 18 § 3; *CD*, d. 88 § 2; d. 92.

[27] Cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 7.

[28] Cf. Ord., a. 18 § 3.

[29] Cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 7.

[30] Cf. Leo XIII, *Aeterni Patris*: *ASS*, XII (1879), p. 101 (Ench. cler., n. 404).

vocas ad vitandas confusiones distinguere, et argumentationem ordine certo proponere, et subtiliores conclusiones ad prima principia redigere. Unde apti efficientur non tantum ad diiudicandos et refellendos errores antehac exortos, sed etiam ad discernendas et ex veritate aestimandas sententias novas, quae forte in disciplinis theologicis vel philosophicis et cum iis conexis exoriantur [31].

91. — § 1. Pars disciplinarum positiva ita tractetur, ut Auditores « non solum ipsam doctrinam probe addiscant, sed etiam fontes singulis disciplinis proprios legesque eosdem interpretandi cognoscant atque laboris scientifici subsidia et adiumenta cum fructu adhibere assuescant » [32].

§ 2. In iis thesibus vel argumentis, quae pendent ex factis vel textibus recte cognitis et explicatis, primum haec ipsa facta, sive naturae sive historiae, vel textus accurate statuantur; deinde in eorum sensum inquiratur, et quid manifestent, secundum principia singulis scientiis propria ostendatur, ea semper servata distinctione, quae inter ipsa facta vel textus eorumque interpretationem intercedit.

§ 3. In rebus positivis tradendis aequam mensuram invenire et inventam servare studeant, ne ullum Philosophia et Theologia scholastica detrimentum exinde, sed veram utilitatem capiant.

§ 4. In afferendis doctorum auctoritatibus ne sint nimii; si tamen habeant insigniorum auctorum testimonia ad sententiam suam confirmandam, verba ipsa fideliter recitent; multo magis Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, SS. Patrum.

E dignitate autem Professorum est, nullum fere textum adhibere, cuius verum sensum ex fontibus non ipsi hauserint [33].

92. — Quae in aliis disciplinis tractata iam fuerint, absque ratione ne repetantur. Quaestiones vero quae et philosophice et theologice tractari solent, si in utraque Facultate proponendae videantur, ita explicentur ut in Philosophia ab argumentis theologicis abstineatur, in Theologia rationes theologicae in primis

---

[31] Cf. Ord., a. 18 § 3.
[32] Ord., a. 18 § 2.
[33] Cf. *RS,* Reg. Prof. sup. Fac., 8.

afferantur, breviterque tantum renovetur memoria eorum quae in Philosophia tradita sint.

93. — § 1. Ad mentem Constitutionum [34] in omnibus disciplinis principalibus et, quoad eius fieri potest, in auxiliaribus quoque, textus praelegatur typis expressus atque in publicum editus, a Provinciali cum Generalis approbatione designandus [35], qui textus semel designatus ne facile immutetur.

In disciplinis autem specialibus et cursibus peculiaribus uti licebit textibus manuscripti instar multiplicatis, atque ex praescripto nn. 31 et 52 § 2 censurae subiectis et ad censorum animadversiones emendatis.

§ 2. Praelectionum textus talis adhibeatur, in quo substantia rerum solide, presse, clare tractetur, apte disponatur, perspicuo sermone exprimatur, ita ut, licet Professoris explicatione indigeat, explicata tamen facile intellegi atque adeo memoria retineri possit [36].

§ 3. Professores a praelectionum textu ne facile recedant, abstineantque ab illo modo docendi, qui dictando continetur; nec tamen prohibentur quominus interdum pauca dictent, aut quavis ratione multiplicata Auditoribus complementi gratia praebeant.

94.— § 1. Praelectio sit in primis accurata et cohaerens explicatio textus, qui commentariis solidis, bene ordinatis atque Auditorum captui accommodatis opportune illustretur.

§ 2. Ea diligentius explicentur quae sunt difficiliora et capita doctrinae praecipua, quibus recte perceptis cetera facilius et plenius intelleguntur. Quae autem Auditores facile per se ipsi discere possunt, in summam redigantur eorumque privato studio committantur.

95. — § 1. Ratio rem exponendi talis sit, ut Auditores verba Professoris attente et cum fructu subsequi atque ex eo quo proferuntur modo discernere possint, quae maioris sint momenti, quaeque potius explicandi seu illustrandi gratia addantur. Quod ut recte fiat, necesse est ut res exponendas et proponendi mo-

---

[34] Cf. Const., P. IV, c. 14, *B*.

[35] Cf. *CD*, d. 91.

[36] Cf. Wernz, Ordin., n. 12.

dum diligenter praeparent et in scholis clare et sine festinatione loquantur.

§ 2. Cum occasio se obtulerit, ostendat Professor quam apta sint quae traduntur, cum ad vitam christianam in Auditoribus ipsis et in aliis nutriendam, tum ad praedicationem et ad quaelibet alia ministeria sacra, ita ut non solum formentur futuri doctores et Professores, sed etiam, ex fine nobis in acquirenda scientia proposito, homines ad munus apostolicus parati, qui « proximos ad cognitionem et amorem Dei et salutem suarum animarum iuvare » possint [37].

§ 3. Tales etiam sint praelectiones, ut Auditores percipiant quae sit mens, quaenam propensiones et necessitates hominum suae aetatis atque illius ragionis in qua laborare debent. Quare Professores ostendant, quibus illi viis verum quaerant et quibus de causis a vero aberrent; atque, omissis obsoletis quaestionibus. doctrinam sive naturalem sive revelatam ita nitantur exponere, ut ostendant quidquid veri alibi fortasse inveniatur, id plenius in illa contineri, et dubia quorum solutio frustra in aliis opinionibus exquiratur, per eam solvi.

§ 4. Hoc in primis ante oculos habeant Professores qui in regionibus Missionum docent, ut Scholastici peculiares condiciones religiosas, philosophicas, morales, sociales suae Missionis perspiciant et recte aestimare discant.

96. — § 1. In erroribus refutandis ne sint nimii; meminerint enim in veritate solide exposita maiorem inveniri fructum, quam in adversariis impugnatis. Contra eos vero potissimum insistant errores, qui temporum ac regionum necessitates magis spectant.

§ 2. Caveant ne Auditores erga scriptores rationalistas infensosve Ecclesiae vel doctrinae suspectae favore afficiantur, magnoque cum delectu illos quoque eorum libros qui erroribus vacent, in scholis proferant [38].

97. — § 1. Cum repetitiones aliaque scholastica exercitia, de quibus nn. 99 ssq., valde proficiant, ut materia tractata plenius

---

[37] Cf. Const., P. IV, c. 8, *A;* c. 12, n. 1; *RS,* Reg. Prof. sup. Fac., 1; supra, n. 14 § 3; n. 76 § 1.

[38] Cf. Const., P. IV, c. 5 *E;* c. 14, *A; CD,* d. 102, 5°; *RS,* Reg. Prof. Phil., 6; *AR,* II (1917), p. 360.

cognoscatur ipsamque mentem altius penetret, examinum quoque praeparatio facilior reddatur, Professores singulari sollicitudine curent, ut haec exercitia serio praeparentur ac peragantur.

§ 2. Etiam in praelectionibus cum coniunctum Professoris atque Auditorum studium ad uberiores fructus capiendos multum conducat, Professor aptis interrogationibus cognoscere studeat, quomodo res intellecta sit; atque Auditoribus suas difficultates proponendi copiam faciat [39].

98. — In docendis Theologia fundamentali, dogmatica, morali, Sacra Scriptura, Iure canonico, Philosophia scholastica, etiam ex Sanctae Sedis praescripto, lingua latina utendum esse ne obliviscantur, curentque ut linguae latinae promptum usum inter Scholasticos promoveant [40].

TITULUS IV

De exercitiis scholasticis

Caput I

De repetitionibus

99. — § 1. Praeter lectiones instituendae sunt in scholis diebus praestitutis repetitiones pro Auditorum condicione, materiae momento et indole [41].

§ 2. Ad has repetitiones Scholastici omnes praeparati accedant, neque antea designentur qui respondere debeant, sed Professor quos voluerit interroget, nisi quando iusta ratio aliud suaserit. Neque vero ex scripto res proferant, sed ex memoria, sicut in examinibus oralibus fieri solet.

100. — Loco lectionis habenda est repetitio materiae superioribus lectionibus explicatae: *a*) in Philosophia scholastica, singulis hebdomadis; *b*) Theologia fundamentali ac dogmatica,

---

[39] Cf. Const., P. IV, c. 13, n. 3; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 11.

[40] Cf. Ord., a. 21; Stat., n. 35; *CD*, dd. 88 § 2; 92.

[41] Cf. Const., P. IV, c. 13, *D*; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 11.

alternis hebdomadis. De ceteris disciplinis repetendis Rector, audito Facultatis Consilio ac disciplinae Professore, statuat, quid magis expedire iudicaverit. Repetitio autem disciplinae praecipuae die Sabbati plerumque fiat [42].

101. — Praeterea in Theologia fundamentali et dogmatica et in Philosophia scholastica ultimo mense anni scholastici habeatur repetitio totius materiae examini annuo assignatae [43].

Caput II

De disputationibus

Art. I - *De disputationibus in universum*

102. — § 1. Habeantur disputationes scholasticae in Facultate Theologica de Theologia fundamentali et dogmatica, in Facultate Philosophica de omnibus partibus Philosophiae rationalis.

§ 2. Professores sibi et Auditoribus persuadeant disputationes scholasticas, si quidem recte instituantur, non minus fructuosas quam ipsas lectiones, immo instrumentum e valentissimis esse, quo « Auditores doctrinam penitus cognoscere, dilucide exponere, efficaciter tueri assuescant » [44].

§ 3. Quare ab ipso Logicae initio Scholastici ita instituantur, ut leges et formam disputandi recte addiscant et crebro in disputando exerceantur [45]. Ut autem singuli Auditores theses exponendi et contra argumentandi saepius in anno copiam habeant, ubi eorum numerus maior est, in complures disputantium turmas distribui poterunt.

103. — § 1. Disputationes scholasticae aliae sunt privatae (hebdomadales), quibus Auditores unius eiusdemque scholae, praeside suo Professore aliove ad id designato, inter se concer-

---

[42] Cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 14; Reg. Prof. Theol. mor., 6; Reg. Prof. Hist. eccl., 11; Reg. Prof. Iur. can., 5; Reg. Prof. Phil. mor., 28.

[43] Cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 13.

[44] *CA*, a. 30 § 2; cf. Const., P. IV, c. 6, nn. 10, 11; c. 13, n. 3; Stat., n. 36.

[45] Cf. *RS*, Reg. Prof. Phil., 13.

tant; aliae sollemniores et publicae, quae coram totius Facultatis Professoribus et Auditoribus fiunt [46].

§ 2. Quoties habendae sint disputationes, sive privatae sive publicae, nn. 135, 1° et 166, 1° definitur.

Art. II - *De disputationibus privatis*

104. — Hic erit private disputandi modus: Auditorum aliquis opportune praemonitus thesim a Professore designatam exponat et probet (nec tamen ultra quadrantem), dein a difficultatibus vindicet, quas condiscipulus unus alterve (pro Auditorum numero et natura thesis), item ante designatus, forma syllogistica obiecerit [47]. Professor vero rem totam ita dirigat, ut in fine aliquid temporis ad difficultates et dubia a ceteris Auditoribus proponenda supersit.

105. — § 1. Qui in disputatione partes agit defendentis, thesim designatam breviter et concinne exponat et probet, ita ut proprii laboris specimen quoddam dare conetur.

Qui autem contra thesim argumentantur, ne opponant nisi seria et solida, eaque syllogismis rectis ac brevibus, verbis claris et accuratis. Minime contenti, si defendens obiter et verbis tantum responderit, difficultates tamdiu urgeant, donec, prout res patiatur, plene explicentur atque solvantur.

Opponentibus responsurus, defendens repetat primum totam eorum argumentationem, nihil ad singulas propositiones addens; dein unamquamque propositionem iteret, eidem subiciens *concedo* vel *nego maiorem, minorem, consequentiam,* interdum pro re distinguens; denique, si opus sit, declarationes vel rationes presse afferat [48].

§ 2. Si ex auctoritatibus argumentandum est, primum locus auctoris afferatur et, si opus sit, paucis clare explicetur, unde argumentum forma syllogistica conficiatur.

106. — § 1. Professor existimet utilitatem et fervorem disputationis magnam partem ex se pendere. Cui ita praesit, ut ipse videatur esse qui in utroque concertatore concertet: sub-

---

46 Cf. Stat., n. 36; *RS*, Reg. Praef. stud., 16; Reg. Prof. Theol., 14.

47 Cf. Ord. a. 24; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 12.

48 Cf. *RS*, Reg. Prof. Phil., 13-14.

iciat interdum breve aliquid, quo vel fulciat defendentem vel opponenti viam demonstret, et quod ipsi de se prompserint, emendet aut expoliat. Dum difficultas vim obtinet, disputantes progredi iubeat; immo ipse difficultatem augeat, nec dissimulet, si is qui argumentatur ad aliud argumentum prorepserit. Contra, ne permittat argumentum bene solutum longius urgeri, sed cum nihil iam novi affertur, argumentationem praecidat. Nec patiatur aut responsionem non bene constantem diu sustineri, aut difficultatem ullam in utramque partem sic agitari, ut non minus quam antea incomprehensa permaneat; quare, posteaquam de re quapiam fuerit concertatum, si quid etiamtum superfuerit obscurum, id diligenter explicandum curet et quae doctrina tenenda sit declaret [49].

§ 2. Argumentandi formam severe tueatur et si disputantes ab ea declinaverint, illos revocet. Etenim sibi persuadeat magnum disputationis fructum in hac severitate atque accuratione formae positum esse; qua neglecta nec difficultatum vis apparet satisque urgetur, nec respondentis acumen ac sollertia agnoscitur.

107. — § 1. Scholastici quibus disputandi munus obtigerit, diligenter se praeparent, cum inde maxime pendeat disputandi fructus. Quin, ipsa erga fratres caritas hanc diligentiam exigit, ne tempus eorum frustra et cum fastidio teratur. Etiam ii qui non disputant designatas theses sedulo praeparent, ut omnes suam operam in disputationem utiliter impendant.

§ 2. Professor autem omne studium conferat ad discipulos in hac praeparatione iuvandos. Itaque opponentes doceat quomodo ex ipsa thesi, diligenter perpensa et cum aliis collata atque ex argumentorum vi accurate cognita, aptas difficultates haurire possint, ne in illis conquirendis temporis iacturam faciant. Difficultas enim quae penitus in ipsam thesis naturam intrat, scienter urgetur, recte solvitur, multum proficit et ad quaestionem clarius intellegendam et ad disputationem totam fructuosam reddendam [50].

Philosophi igitur ante disputationem difficultates Professori,

---

[49] Cf. Const., P. IV, c. 6, nn. 10,11; *RS*, Reg. Praef. stud., 6; Reg. Prof. sup. Fac., 18.

[50] Cf Wernz, Ordin., n. 9.

tempore ab ipso constituto, exhibeant; num vero idem Theologis faciendum sit, Rector re cum Decano collata definiat.

Art. III - *De disputationibus publicis*

108. — § 1. Quae supra, nn. 104-107 dicta sunt, maiore etiam diligentia in disputationibus publicis observentur. Opponentes tempore statuto iis Professoribus qui disputationem dirigent, scriptas exhibeant difficultates, quas tamen cum defensuro communicare non licet.

§ 2. Si Scholasticorum numerus sufficiat, disputationes publicae habeantur tam ante quam post meridiem; si minus, saltem ante meridiem [51]. Singulis defendentibus duo minimum assignentur opponentes. Intersint autem his disputationibus, praeter Rectorem et Praefectum studiorum et Facultatis Decanum, omnes Professores atque Auditores Facultatis, et invitentur ceterarum Facultatum Professores. Invitari quoque possunt praeter Auctoritates ecclesiasticas alii viri docti externi, quibus etiam argumentandi copia praebeatur [52].

§ 3. Ex Auditoribus publice ne disputent nisi aptiores; ceteri privatim exerceantur, quoad ita instructi sint, ut eo loco non putentur indigni [53].

Art. IV - *De actibus publicis*

109. — § 1. Praeter disputationes supra commemoratas, interdum aliae quaedam maiore apparatu externo instituantur, qui actus publici appellari solent. Eorum duo sunt genera: « *Actus generales* », in quibus de universa Philosophia vel Theologia scholastica, et « *Actus peculiares* », in quibus de quadam parte longiore earundem disciplinarum disputatur [54].

§ 2. Ad actus, praesertim generales, habendos deligantur pauci atque egregie instructi, quique ingenio et disputandi peritia praestent [55].

---

[51] Cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 15.
[52] Cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 16.
[53] Cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac. 17.
[54] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., nn. 8-9, 19.
[55] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., nn. 7, 19.

110. — § 1. Materia actuum generalium omnes Philosophiae scholasticae vel sacrae Theologiae partes comprehendat; et si videatur, potest esse ea quae Nostris omnibus ultimo Philosophiae vel Theologiae anno examinis materia proponitur.

§ 2. Ad actus peculiares materia definiatur paulo longior ea quae in disputationibus publicis proponi solet, atque ea esse potest quae Nostris omnibus in examine annuo assignatur.

§ 3. Actus generales habeantur et mane et vespere; peculiares vero aut mane aut vespere tantum, sed ad duas saltem horas producantur[56].

111. — § 1. Ubi una tantum est Facultas, actibus publicis moderabitur Praefectus studiorum, alias Facultatis Decanus. Adsint praeterea Professores, qui defendentem atque opponentes in sua quisque materia dirigant[57].

§ 2. Defensurus exordiatur actum ab una alterave thesi, quam paulo quidem ornatius, scholastico tamen modo, exponat atque confirmet[58].

§ 3. Opponentes sint saltem quattuor, sive e Nostris sive e viris doctis externis designati.

112. — Interesse debent actibus publicis Auctoritates, Professores atque Auditores omnium Facultatum. Invitandae etiam sunt Auctoritates ecclesiasticae aliique externi eruditi, quibus etiam opponere et interrogare liceat[59].

113. — § 1. Actus generalis de universa sacra Theologia mane et vespere habitus, ei qui theses defendit, pro examine ad gradum Societatis valet. Ad suffragia ferenda designantur quattuor e Nostris qui ad examinandum ad gradum a Generali approbati sunt[60].

§ 2. Actus generalis de universa Philosophia pro examine de universa Philosophia valet. Suffragia ferent quattuor ex designatis Examinatoribus.

§ 3. Actus peculiaris de materia examinis annui, pro examine eiusdem anni valet. Suffragia pariter ferent quattuor ex designatis Examinatoribus.

---

[56] Cf. *CD*, d. 161 § 1, 3°; *RS*, Reg. Praef. stud., nn. 8-9.
[57] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 13.
[58] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 15.
[59] Cf. *RS*, Reg. Praef. stud., 25.

Caput III

De Exercitationibus

114. — In singulis Facultatibus, praeter lectiones, repetitiones et disputationes fiant Exercitationes, quibus Auditores scientificam investigandi methodum et artem proponendi etiam scriptis ea quae studio assecuti sunt, Professoribus addiscant ducibus; non quidem ut iam ante Licentiam alicuius disciplinae singulariter periti evadant, sed ut principiis methodicis singularum scientiarum eorumque recto usu instituantur[61].

115. — Exercitationes fieri possunt in disciplinis tam principalibus quam auxiliaribus et specialibus. Rectoris est singulis annis cum Consilio Facultatis, ascitis etiam Professoribus quorum interest, deliberare, in quibus disciplinis Exercitationes utilius habeantur.

116. — § 1. Exercitationum themata et discipulorum progressui sint accommodata, et apta, quibus plures communi studio occupentur quibusque illius disciplinae leges et normae cognoscantur et exerceantur. Ratio etiam habeatur necessitatum regionis et peculiarium temporis condicionum.

§ 2. Singulis Scholasticorum cursibus unum proponatur thema, cuius partes singulis discipulis assignentur, nisi forte peculiares discipulorum condiciones aliud postulare videantur. At etiam tunc curandum est sedulo, ut ad Exercitationis fructum omnes viritim conferant.

§ 3. Si unum fuerit thema, pro variis quaestionis partibus vel pro diversis considerandi rationibus apte dividatur.

Ita quidem gravis quaestio aliqua speculativa analysi subicitur, et cuius in diversis tractatibus et disciplinis theologicis vel philosophicis momenti sit, ostenditur. Eiusdem quaestionis investigatur origo, historia, modus quo a diversis scholis proponitur et defenditur;

Vel textus quidam Sacrae Scripturae, SS. Patrum, Iuris canonici methodice explicantur et ad doctrinam probandam vel illustrandam adhibentur;

---

[60] Cf. *CD*, d. 161.

[61] *CA*, a. 30 § 1; Ord., a. 22; Stat., n. 37.

Vel discipuli secundum leges hermeneuticas librum aut partem libri interpretantur praestantissimi cuiusdam auctoris (velut S. Augustini, S. Thomae, Aristotelis, Platonis etc.), ut doctrinam in eo contentam anquirant; aut simili modo variorum scriptorum, qui de eadem re agunt, locos selectos examinant;

Vel investigant et critice iudicant fontes singulos, e quibus caput aliquod doctrinae vel factum quoddam historicum traditur et confirmatur;

Vel exquirunt, qua ratione sententia aliqua moralis vel institutum canonicum tempore quodam satis definito evoluta sint, aut examinant Litteras quasdam Encyclicas de moribus christianis datas et cum aliis documentis ecclesiasticis conferunt;

Vel inquirunt in experimenta scientifica de naturae et vitae humanae phaenomenis.

§ 4. Variis modis a discipulis tractari possunt tales quaestiones. Nam, aut aliquis eorum thema a se investigatum breviter proponit, ut omnes de eo disceptent; aut idem thema praelectionis instar explanat, quam sequitur ceterorum de modo argumentoque iudicium; aut plures quae de eadem re exploraverint, proferunt, conferunt, iudicant; aut communi studio sive locus alicuius scriptoris explicatur, sive de libro vel scripto fit iudicium. Commendatur, ut, quoad argumenta ferant, diversi modi in Exercitationum cursibus locum habeant [62].

117. — § 1. Sibi persuadeant Professores Exercitationum fructum ex modo quo regantur, magnam partem pendere. Quare unumquodque exercitium accurate praeparent; discipulorum mentibus principia methodica laboris scientifici assidue inculcent; sicubi contra peccaverint, moneant eos et corrigant, eorumque sensum criticum acuant; aptis eos interrogationibus et obiectis difficultatibus iuvent; privatis etiam colloquis et consiliis studia eorum et investigationes foveant [63].

§ 2. Ut Scholastici quae didicerint, ea etiam patrio sermone recte exprimere assuescant, Exercitationes facere licet vulgari quoque lingua, cuius rectum et accuratum usum, sive in loquendo, sive in scribendo, Professor exigat [64].

---

62 Cf. Stat., n. 37.

63 Cf. Ord., a. 22.

64 Cf. Ord., a. 22; *RS*, Reg. Acad. Phil. et Theol., 7.

118. — § 1. Auditores qui gradus academicos parant, Exercitationibus non solum quomodocumque interesse, sed communi cum sodalibus labore et propriis commentationibus operam dare debent [65]; sive eo quod argumenta a se relata vel explicata ceteris disputanda proponunt, sive sententiam de operibus sodalium ferunt, sive obiectis animadversionibus et difficultatibus communem disceptationem alunt.

§ 2. Scholastici, ut omnibus et singulis suae mentis proprio labore excolendae copia sit, apte distribuantur, neque eidem cursui iusto plures ascribantur.

§ 3. Ipsis, quem Exercitationum cursum sequi velint, licet proponere, sed Praefecti studiorum vel Decani erit ad normam n. 70 § 2, et ratione habita praescripti § 2, rem decernere.

§ 4. Generatim singuli Scholastici al unum tantum cursum quotannis admittantur, neque eis licet, nisi consentiente Rectore et de sententia Professoris ad quem res pertinet, pluribus interesse Exercitationibus aut eas anticipare.

119. — § 1. Ut satis faciant praescripto Ordinationum a. 37 de experimento scripto in aliqua schola Exercitationum ante Licentiam dando, Scholastici quaestionem aliquam approbante Professore eligant, quam eo duce diligenter elaborent, non neglectis illis normis, quas periti de modo scripta scientifica edendi statuere solent.

§ 2. Hoc experimento Auditor aptum se demonstrare debet ad laborem scientificum; neque vero necesse est ut eius scriptum ad progressum scientiae conducat [66]; nec tantae sit amplitudinis ut ob tempus in eo conficiendo consumptum ceteris studiis detrimentum inferat.

§ 3. Suffragium de experimento scripto fertur a Professore, in cuius Esercitationum cursu compositum est, secundum normam n. 220 § 1 *d*.

120. — Etiam antequam ad Exercitationes proprie dictas accedant, providendum est ut Scholastici methodo laboris scientifici apte initientur. Itaque discant libros, periodica, encyclopaedias consulere, editionum criticarum annotationes interpretari, rectas normas in afferendis scriptorum verbis adhibere, ex eis

[65] Cf. Ord., a. 29 § 2.

[66] Cf. Ord., a. 37 § 1; Stat., n. 64, 2º.

quae legerint excerpere excerptaque digerere, examinare modum quo iudicium de libro vel de libello fertur, ceteris laboris scientifici praeambulis exercitari. In his Exercitationum tirociniis, cum Professor praecipuas necessario partes habeat, cunctos eiusdem anni Scholasticos dirigere, si opportunum videatur, unus potest Professor, qui tamen in exemplis et exercitiis rationem omnium disciplinarum, saltem principalium, habeat.

TITULUS V

De Examinatoribus ac de examinandi ratione

121. — Examinatores munere suo ita fungantur, ut et ipsi scientiam candidati recte iudicare possint, et Scholasticis praebeatur facultas ostendendi, num doctrinam requisitam possideant.

122. — Cuiusvis disciplinae examina, tam oralia quam scripta, ea lingua habeantur qua disciplina tradita est.

123. — § 1. In examinibus Philosophiae scholasticae et Theologiae fundamentalis ac dogmaticae, Examinatores, antequam ad difficultates veniant, thesim a candidato exponi et probari generatim faciant.

§ 2. Difficultates vero proponantur eiusmodi, quarum solutione ostendere in primis possit candidatus, num doctrinam expositam et vim argumentorum bene perspexerit, eamque ab adversariorum impugnationibus defendere possit. Examinatores, cum locum alicuius auctoris contrarium afferunt, in eius loci doctrinam potius quam in verba insistant, nisi difficultatis solutio pendeat ex ipsis verbis.

§ 3. Quae de forma syllogistica Professoribus praescribuntur (n. 90, *c-d*), eadem Examinatores, prout patiatur materia, observent. Ne multa simul obiciant, aut eidem difficultati nimis insistant, sed si candidatus eam solvere non possit, ad aliam transeant. Nec certos aliquos dicendi modos nimium exigant, dum difficultas vere solvatur.

§ 4. In afferendis autem difficultatibus earumque solutione exigenda ante oculos habeant, qui gradus doctrinae et progressus respondeat curriculi anno, in quo candidatus versatur.

124. — In rebus positivis examen ita instituatur, ut appareat.

num candidatus materiam bene intellexerit, ordinem et coniunctionem rerum perceperit, quae ad quaestiones recte cognoscendas atque exponendas necessaria sunt, memoria teneat. Diligenter vero cavendum est, ne examen ad experimentum memoriae potius quam intellectus redigatur.

PARS QUARTA

De ordinatione studiorum

SECTIO I

De Cursu Philosophiae et Cursu Theologiae Maiore

TITULUS I

De cursu Philosophiae

Caput I

De studiis praeviis et de cursus tempore

125. — Ut quis ad cursum Philosophiae admittatur, requiritur praevium curriculum studiorum classicorum medium rite absolutum [1]. Hoc autem curriculum, praeter convenientem institutionem religiosam et linguas litterasque latinas, graecas, patrias, quae disciplinae praecipuae sunt, complecti debet etiam Historiam naturalem, Mathesim, Physicam, Chimicam, Geographiam, Historiam civilem, et quidem tantum quantum in eo qui ad studia academica accedit requiri solet, secundum normas Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, atque eas quae in Ratione Studiorum Societatis de scholis mediis praescribuntur [2].

126. — § 1. Si quis Scholasticus e schola media venerit, in

[1] Cf. *CA*, a. 25, 1°; Stat., n. 26, 1°.
[2] Cf. Ord., a. 13; *CD*, d. 85 § 1; *CG* XXVIII, d. 41.

qua una vel plures disciplinae, de quibus n. 125, omnino non sint aut saltem non sint satis traditae, Superiores curent, ut secundum normas a Praeposito Generali datas, illarum disciplinarum studium suppleat superetque examen, generatim antequam ad Facultatem vel saltem prius quam ad eiusdem examina admittatur [3]. Nemo vero ad Philosophiam mittatur, quin sufficientem latine loquendi scribendique peritiam probaverit, qua et Professorum doctrinam plene intellegere et scholasticis exercitiis interesse possit. Curandum etiam est ut omnes Philosophiae operam daturi in lingua graeca eam saltem peritiam acquisierint, quam Sancta Sedes a Facultatis Philosophicae Auditoribus exigit [4].

§ 2. Si quando alicui Scholastico ex singulari ratione, vel etiam omnibus alicuius Collegii aut regionis Auditoribus ob peculiares condiciones concedatur, ut quaedam eorum quae § 1 praescribuntur, iis tradantur iam in Facultatem admissis, cavendum semper est, ne ullum inde Philosophia scholastica detrimentum capiat.

127. — § 1. Nostris triennale Philosophiae studium praescribitur [5], quod ad normam n. 5, 2° peragendum est.

§ 2. Scholastici omnes ea aggrediuntur studia philosophica, quae ad professionem quattuor votorum et gradus academicos requiruntur. Quare, si examina superant, usque ad quadriennium theologicum expletum in eodem ordine progredi debent, nisi eorum aliquis ad normam n. 5, 3° a gradu academico obtinendo dispensatus fuerit [6].

128. — § 1. Si Provincialis, gravi de causa et monito Generali ad normam n. 5, 3° aliquem Scholasticum dispensaverit, etiam definiat quatenus ab iis quoque liberandus sit disciplinis et experimentis, quae, vel Ecclesia ad studia academica in Facultate Theologica inchoanda, vel Societas ad examen de universa Philosophia scholastica subeundum, non requirunt.

§ 2. Qui hanc dispensationem obtinuerit, sive triennio sive

---

[3] Cf. Ord., a. 15; Stat., n. 27.

[4] Cf. Pius XI, *Officiorum omnium*: *AAS*, XIV (1922), pp. 452-454 (Ench. cler., n. 1154); *Unigenitus Dei Filius*: *AAS*, XVI (1924), pp. 141-142 (Ench. cler., n. 1189); *CG* XXVIII, d. 41, 2°-3°.

[5] Cf, *CD*, d. 87 § 1; *CG* XXVIII, d. 39, 2°.

[6] Cf. *CG* XXVIII, d. 39, 2°-3°; supra, n. 5, 2°-3°.

ex gravi ratione et consentiente Generali biennio, cursum philosophicum peragit, omnibus scholis Philosophiae scholasticae et Historiae Philosophiae interesse et examen de universa Philosophia scholastica et de Historia Philosophiae superare debet, ut ad cursum maiorem admitti possit[7].

129. — Qui intra curriculum philosophicum, quacumque de causa, studia tam ad professionem quattuor votorum quam ad gradus academicos requisita continuare desierit, ad cursum Theologiae minorem admitti nequit, nisi universam Philosophiam rationalem, saltem per biennium, absolverit et in examinibus, ad normam nn. 273 ssq. institutis, suffragia ad hunc cursum requisita obtinuerit[8]; nec tamen opus est eum examen de universa Philosophia subiisse[9].

Caput II

De scholarum ordine et ratione

Art. I — *Disciplinae tradendae*

130. — *Disciplinae principales*:

a) Philosophia scholastica, exponenda secundum omnes suas partes, quae sunt Logica, Critica seu Criteriologia (Epistemologia), Ontologia, Cosmologia, Psychologia, Theologia naturalis, Ethica et Ius naturale, praemissa Introductione generali: horis * circiter 10 utroque semestri annorum I et II, horis 6 vel 8 utroque semestri anni III.

b) Historia Philosophiae: horis circiter 3 duobus semestribus[10].

131. — § 1. In exponenda Philosophia scholastica materia in tre annos ita distribuatur, ut singulis annis hac vel simili ratione diversae partes tradantur: anno I Logica, Critica seu Criteriologia (Epistémologia), Ontologia; anno II Cosmologia et Psy-

---

* Horarum numerus, nisi notetur, de singulis hebdomadis intellegitur.

7 Cf. Ord., a. 16 § 1; *CD*, d. 124.

8 Cf. *IC*, 589 § 1; 1365 § 1; *CD*, d. 87 § 3.

9 Cf. *CD*, d. 124.

10 Cf. Ord., a. 27, III, 1; Stat., n. 44.

chologia; anno III Theologia naturalis et Ethica cum Iure naturali [11].

§ 2. Approbante Praeposito Generali Philosophiae materia etiam ita disponi potest, ut primis duobus annis omnes eius partes tradantur, servatis ad tertium annum difficilioribus quaestionibus, sive ex omnibus sive ex quibusdam partibus. Quae tamen distributio, ubi legitime introducta est, sine nova Generalis approbatione ne immutetur.

132. — *Disciplinae auxiliares*:

a) Psychologia experimentalis: saltem 2 horis duobus semestribus;

b) Quaestiones scientificae cum Philosophia coniunctae, ex Biologia, Anthropologia, Mathesi, Physica, Chimia: horis 5 duobus semestribus.

1° Quaestiones scientificae cum Philosophia coniunctae vel omnes eodem anno, e. g. anno primo tractari possunt vel in duos aut tres annos distribui; sed ita disponantur, ut melius eas partes Philosophiae iuvent, quibuscum sunt coniunctae.

2° In singulis Collegiis determinetur, quot horae ex toto tempore huic disciplinae assignato singulis illis scientiis pro rerum tractandarum amplitudine et momento sint tribuendae.

c) Interpretatio textuum selectorum ex Aristotele et S. Thoma Aquinate: horis 2 semestribus duobus [12].

133. — § 1. Ex *disciplinis specialibus* aut cursibus peculiaribus singuli Auditores ante Licentiam unam saltem disciplinam specialem hora 1 uno anno, vel horis 2 uno semestri, aut aliquot *cursus peculiares* per tantundem temporis, frequentare debent [13].

§ 2. Commendantur praesertim eae disciplinae speciales iique cursus peculiares, qui ad aliquam Philosophiae scholasticae partem seu maioris momenti quaestionem plenius intellegendam plurimum conducere atque adeo disciplinam praecipuam corroborare atque complere possunt. Itaque ad complendam Philosophiam naturalem tradi potest Philosophia scientiarum; ad Ethicam, Moralis socialis et Sociologia; ad Psychologiam, Paedago-

---

[11] Cf. R. P. Beckx, *De triennali Phil. stud.* (Epist. select., p. 234); Wernz, Ordin., nn. 38-47.

[12] Cf. Ord., a. 27, III, 2; Stat., n. 45.

[13] Cf. *CA*, a. 33 § 3; Stat., n. 46 § 1.

gia [14]. Instituere etiam licet cursus peculiares, quibus recentiora quaedam vel vetera adhuc vigentia systemata philosophica illustrentur et ex Philosophia scholastica iudicentur.

134. — Ut examen de universa Philosophia scholastica in ordine ad cursum Theologiae maiorem et gradum Licentiae (nisi quis a Licentia secundum n. 5, 3° dispensatus fuerit) in fine tertii anni subeundum, solide et ea diligentia quam huius disciplinae momentum et excellentia postulat, praeparari possit, ultimo triennii semestri scholae pauciores erunt, id est non plures duabus horis cotidianis, salvo praescripto n. 128 § 2. Immo quindecim diebus antequam inchoentur examina, si Rector id opportunum censuerit, omnes scholae omitti poterunt [15].

Art. II — *Exercitia scholastica instituenda*

135. — § 1. Disputationes privatae habentur plerumque bis in hebdomada per horam, toto cursus triennio. Praeterea ter quotannis fit disputatio sollemnior et publica [16].

§ 2. Repetitiones loco lectionum iis diebus fiant, quos ad normam nn. 61 et 100 Praefectus studiorum consulto Decano constituerit.

136. — Exercitationes initium sumere debent a tertio saltem anno, et habentur aut uno semestri singulis hebdomadis per unam circiter horam, vel alternis hebdomadis per duas circiter horas, aut toto anno alternis hebdomadis per unam circiter horam. Auditores ad normam n. 120 etiam primo vel altero Philosophiae anno ad laborem scientificum methodice instituuntur [17].

137. — Semel in hebdomada per semihoram fit exercitium Eloquentiae sacrae quod « Toni » vocari solet [18].

---

[14] Cf. Stat., n. 46 § 2.
[15] Cf. Ord., a. 30; Stat., n. 38.
[16] Cf. *CA*, a. 30 § 2; Stat., n. 47.
[17] Cf. *CA*, a. 30 § 1; Ord., a. 23; Stat., n. 48.
[18] Cf. Const., P. III, c. 1, n. 21; P. IV, c. 8, n. 3; *CG* XXVIII, d. 41, 4°.

Caput III

De singulis disciplinis philosophicis

Art. I — *De Philosophia scholastica in universum*

138. — § 1. Philosophiae scholasticae munus est naturali rationis lumine ultimas rerum causas investigare, principia universalia quae etiam reliquas scientias pervadunt statuere, illasque generaliores stabilire veritates quae in ordine naturali totius vitae humanae, tam privatae quam socialis, sunt fundamentum [19].

§ 2. Quodsi suo munere rite fungitur, ad intellectum excolendum mentisque aciem exacuendam, atque ad perficiendam voluntatem multum conducit; contra neglectio et corruptio principiorum eius malorum omnium origo fiat necesse est: « cum enim insitum homini natura sit ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intellegentia peccat, in id et voluntas facile labitur » [20].

§ 3. Praeterea cum errores, qui huius aetatis homines ab Ecclesiae doctrina avertunt, plerumque a philosophica ratione repetantur, haec item disciplina recte solideque tradita, multum proficit, ut Scholastici ad futura ministeria apostolica apte praeparentur atque instruantur.

139. — Philosophia scholastica ad hoc porro necessaria est, ut sacrae Theologiae inserviat. Quod quidem officium triplici ratione praestat; nam:

1° Ad veram fidem iter quodammodo parat animosque praeambulis fidei demonstratis ad veram revelationem accipiendam disponit.

2° Mentem expedit ad rectam dogmatum fidei catholicae notionem capiendam; ad ipsa fidei mysteria, quoad eius fieri potest, clarius intellegenda altiusque penetranda iuvat; subministrat ea quibus sacra Theologia naturam, habitum, indolem verae scientiae induit.

---

[19] Cf. Pius X, *Doctoris Angelici*: *AAS*, VI (1914), pp. 337-338 (Ench. cler., n. 890); *AR*, II (1917), p. 341.

[20] Leo XIII, *Aeterni Patris*: *ASS*, XII (1879), p. 98 (Ench. cler., n. 398).

3° Veritates divinitus revelatas religiose tuetur et errores iis oppositos refellit ac redarguit [21].

140. — Quapropter Philosophiae scholasticae studium maximi ab omnibus fiat. Quam Professores docere curent ea qua par est diligentia, Dei gloriam atque honorem sincere quaerentes, et maxime Auditorum animos ad cognitionem et amorem sui Creatoris incitantes [22].

141. — Quae et de methodo scholastica adhibenda et de doctrina ac principiis S. Thomae Aquinatis sequendis nn. 83 et 90 praescripta sunt, in Philosophia scholastica tractanda sedulo ac fideliter observentur.

142. — § 1. Cum Philosophia ad eum cognitionis ordinem pertineat, qui et cognoscendi principiis et obiecto a Theologia differt [23], proficiscantur Professores a principiis, quorum evidentia naturali rationis lumine intellectui patet, et a factis certis, quae disquirendo dant locum; conclusiones autem, quae exinde deduci possunt, argumentis rationis roborent atque perficiant.

§ 2. In explicandis quaestionibus accurate ostendant, quaenam Philosophiae scholasticae capita sint certa, quaenam vero libere inter catholicos disputentur. Sed in opinionum delectu meminerint Theologiam facem praeferre debere [24].

143. — § 1. Philosophia cum ultra sensibiles corporum apparentias legesque progrediatur et argumentis utatur inquisitioni philosophicae propriis, a reliquis scientiis naturalibus differt. Nec tamen haec differentia ullo modo impediat, quominus ostendantur arta eiusmodi scientiarum cum Philosophia vincula, sive quatenus certae illarum conclusiones fundamentum praebent philosophicae argumentationi, sive quod rectae utrimque conclusiones inter se conveniunt.

§ 2. Ideo discerni omnino debent quae in his naturalibus scientiis certo probata sunt ab iis quae, etiamsi interdum a quibusdam scientiarum cultoribus pro certis proferantur sententiis, meras tamen hypotheses continent [25].

---

21 Cf. Leo XIII, *Aeterni Patris*: *ASS*, XII (1879), pp. 99-103 (Ench. cler., nn. 400-405).

22 Cf. *RS*, Reg. Prof. Phil., 1.

23 Cf. Conc. Vatic., De fide catholica, c. 4.

24 Cf. *RS*, Reg. Prof. Phil., 5.

25 *AR*, II (1917), p. 360.

144. — § 1. Quaestiones praecipuae Philosophiae scholasticae omnes tractandae sunt peculiari ratione habita praesentis temporis condicionum et progressus et errorum, omissis obsoletis illis et nimis subtilibus, quae neque ad verum scientiae progressum, neque ad solidam Auditorum institutionem conducunt.

§ 2. Eae potissimum ordinis naturalis illustrentur veritates, quibus cognitis sacrae Theologiae studium ad normam n. 139 magis iuvatur quibusque magis apparet, quae sit dogmatum inter se et cum philosophicis sententiis certo probatis concordia.

§ 3. In materia explicanda cohaerens rerum synthesis Professoribus cordi sit, ut intellegatur totius Philosophiae partes in unam conspirare scientiam eiusque generaliora principia in singulis quaestionibus aequa ratione adhiberi.

Art. II — *De singulis Philosophiae scholasticae partibus*

145. — Quicumque explicandae materiae ordo secundum n. 131 eligitur, in singulis Philosophiae partibus ad haec in primis respiciatur:

1° Auditores a primo curriculi philosophici anno praeceptis Dialecticae et methodi scholasticae principiis solide informentur; nec solum ea probe cognoscant, sed etiam in iisdem usu servandis plurimum exerceantur [26]. In universum meminerint omnes, quantum intersit primam institutionem quam maxime solidam et tutam esse, cum ab hac omnis in posterum progressus dependeat, et si quid in ea peccatum sit, id postmodum aegerrime emendetur [27].

2° Clare et solide exponantur leges quibus verum a falso discerni potest, atque criteria veritatis eorumque fontes et characteres, ut valor obiectivus qui dicitur, cum omnis humanae cognitionis, tum notionum transcendentalium conceptuumque universalium firmiter stabiliatur, et manifestetur quorundam placitorum, veluti scepticismi, idealismi, relativismi inanitas. Omnia denique pertractentur, quae ad veritatem cognoscendam tuendamque conducunt [28].

---

[26] Cf. *RS*, Reg. Prof. Phil., 13, 18; R. P. Beckx, *De triennali Phil. stud.*, VIII (Epist. select., p. 236).

[27] Cf. R. P. Beckx, *De triennali Phil. stud.*, XV (Epist. select., p. 253).

[28] Cf. *RS*, Reg. Prof. Phil., 19, 20.

3° Cum Ontologia ipsum ens in quantum est ens attingat et illas generaliores veritates exponat quae totam Metaphysicam pervadunt, Professores in his quaestionibus abstractis ita progrediantur, ut Auditores ad subtiliora gradatim introducantur eaque congruenter penetrare addiscant. Apprime explicandae sunt notiones de proprietatibus et analogia entis, quae in cognitione Dei naturali adhiberi debent, principia de actu et potentia, doctrina de substantia et accidentibus, et prima illa principia, veluti causalitatis, quorum recta cognitio inquisitionem omnium scientiarum tuto dirigere ac mentem ab erroribus munire valeat.

4° In Cosmologia quae est de natura generalibusque proprietatibus corporum, diversitas illa maxime attendatur, qua Philosophia, etsi cum scientiis naturalibus conectitur, tamen easdem longe trascendit. Sic enim plane constabit, et qua ratione Philosophia a Physica experimentali distinguatur, et quomodo in quaestionibus de corporum compositione ac proprietatibus argumenta philosophica cum certis Physicae conclusionibus conveniant. Quaestiones autem de spatio, de tempore, de legum naturalium immutabilitate accurate explicentur, prout ex earum cum aliis doctrinis philosophicis et theologicis coniunctione requiritur.

5° In Psychologia notiones principii vitalis et diversorum vitae graduum clare determinandae sunt, ut exinde de corporibus viventibus, praesertim de homine, tuto tractari possit. De animae vero humanae natura et facultatibus, de natura cognitionis, de essentiali inter animam et corpus discrimine, de animae spiritualitate atque immortalitate perspicue et plene agatur [29]. De humana libertate denique ita tractetur, ut firmum praebeatur fundamentum Philosophiae morali.

6° In Theologia naturali clare contra cuiusvis generis errores comprobetur rationem humanam posse ad certam cognitionem exsistentiae Dei personalis pervenire. Affirmanda est efficacitas argumentorum ad Dei exsistentiam demonstrandam antiquitus traditorum; atque alia quae afferuntur argumenta, scite examinentur. Neque vero rationibus e systemate quod dicunt immanentiae depromptis, vis argumenti validi tribuatur. Ostendatur porro posse intellectum humanum naturaliter pervenire ad quandam notitiam, imperfectam quidem, sed veram et cer-

[29] Cf. *RS*, Reg. Prof. Phil., 23.

tam, essentiae divinae ac divinorum attributorum et operationum. In quibus omnibus explanandis argumenta theologica non sunt afferenda nisi ut illustretur, qua harmonia ratio coniugatur cum revelatione.

7° Cum Philosophiae moralis proprium sit doctrinam morum argumentis rationis explicare, ad quaestiones mere theologicas ne fiat digressio; nec tamen alienum fuerit aliquid ex revelatione opportune et breviter confirmare [30].

De supremis moralitatis principiis seu elementis ita tractetur, ut solide refutentur errores autonomiae cuiusdam humanae rationis ac moralitatis a Deo seiunctae. Finis autem hominis et beatitudinis vera notio eo modo exponatur, quo ordinis supernaturalis naturalisque distinctio manifestetur. Stabiliatur praestantia personae humanae, et accurate declarentur eius cum Deo, familia, societate relationes, ac proinde eius iura et officia, et in se et in societate humana. Pariter exponantur iura et officia societatis, quibusque finibus contineantur. Quae ad nationum seu statuum mutua iura et officia pertinent, debita tractentur aequanimitate, ut cum iustitiae suus sit locus tum caritati.

Art. III — *De Historia Philosophiae*

146. — Historiae Philosophiae munus est dilucide exponere praecipua Philosophiae systemata, prout cursu temporum alia aliis successerunt, atque eorum inter se coniunctionem ita ostendere, ut manifestetur quibus viis mens humana labentibus saeculis conata sit veritati appropinquare, adeoque momentum ac pondus Philosophiae christianae clarius et plenius patefiat.

147. — § 1. Professor igitur praecipuarum scholarum ac doctrinarum systemata, methodo historico-critica, solide et succincte exponat; ut et ipsa systemata in se pateant, et appareat, quae sit eorum cum ceteris cohaerentia quaeque uniuscuisque propria evolutio, ratione semper habita praestantiorum antiquitatis, medii aevi, recentioris ac praesentis aetatis Philosophorum, potissimum Philosophiae christianae propugnatorum.

§ 2. Tractentur in primis illae doctrinae, quae vel ipsae in se maximi sunt momenti, vel apud homines valere nondum desie-

---

[30] Cf. *RS*, Reg. Prof. Phil., 25.

runt, vel ad intellegenda diversa Philosophorum systemata multum conducunt.

148. — Auctores qui discipulis periculo esse possunt, ita proponantur ut, licet Historiae Philosophiae non sit refellere eorum opiniones, tamen vel parum eas sufficere vel falsas esse ex ipsa tractatione clare appareat.

149. — Adiumenta suppeditentur ad plenius inellegendam doctrinam maiorum Philosophorum, de quibus in cursu non satis tractatum fuerit.

Art. IV — *De Psychologia experimentali*

150. — Cursus Psychologiae experimentalis eo spectat, ut studium Psychologiae rationalis vel praeparet vel compleat, propositis iis quae de phaenomenis vitae cognoscitivae, appetitivae, affectivae in diversis condicionibus observata vel experimento sunt explorata.

151. — Eius materia sunt facta psychica: perceptiones sensuum, phantasmata, memoria, temperamenta quae dicuntur, anomaliae operationum animae eiusque actiones inconsciae. Haec facta non solum describenda et, quoad eius fieri possit, observanda sunt, sed etiam in eorum leges, causas, effectus est inquirendum.

152. — Cum ad normam n. 150 haec disciplina non tam propter se ipsam sit tractanda quam ut Psychologiae rationali emolumento sit, Professor materiam ad hunc finem appositam eligat; peculiarem autem curam iis rebus adhibeat, quae ad prudentem puerorum et adolescentium institutionem et generatim ad spiritualem animarum moderationem proficiunt.

Art. V — *De Quaestionibus scientificis cum Philosophia coniunctis*

153. — Finis huius disciplinae non est tradere cursus diversarum scientiarum completos, sive elementarios sive superiores, sed pleniore cognitione selectarum quaestionum scientificarum earumque cum Philosophia scholastica coniunctionis. Auditores in Philosophiae studio atque intellegentia peculiari quodam modo iuvare.

154. — Ex singulis scientiis in Ordinationibus praescriptis:

Biologia, Anthropologia, Mathesi, Physica, Chimia [31], eae seligendae sunt quaestiones, quae proxime cum Philosophia, praesertim cum Critica (Epistemologia), Cosmologia, Psychologia, coniunguntur.

155. — § 1. Hac quaestiones tractentur methodo cuiusque scientiae propria simul ac philosophica. Professores ergo facta doctrinasque scientiarum clare et accurate exponant atque critice iudicent ostendantque quam rationem cum doctrinis philosophicis habeant; nec tamen dedita opera theses ipsas philosophicas probare vel defendere intendant.

§ 2. In lectionibus Professores eo apparatu scientifico utantur et novas notiones ita inducant, ut Auditores ad res intellegendas non maiore indigeant scientia quam ea quae studiis mediis rite peractis acquiri solet. Si qui forte Scholastici in his scientiis iam longius progressi sint, is, ubi commode fieri potest, proprius huius disciplinae cursus tradatur.

§ 3. Opportunum erit habere pro variis scientiis laboratoria instrumentis satis instructa, ut Professores experimentis lectiones illustrare resque manifestius explanare possint [32].

§ 4. Ut haec disciplina vero sit adiumento Philosophiae arteque conexa cum ea permaneat, Professores sint cum suae scientiae periti, tum in Philosophia scholastica versati et erga eam bene affecti. Ad eundem finem obtinendum atque etiam ad repetitiones evitandas utile erit Professoribus, ad quos pertinet, consilia de rebus tractandis inter se communicare.

Art. VI — *De Interpretatione textuum selectorum ex Aristotele et S. Thoma Aquinate*

156. — Eo spectat hic cursus ut Auditores non solum opera Aristotelis et S. Thomae legere assuescant, sed etiam rationem interpretandi ipsos eorum textus ita addiscant, ut neque in verborum cortice consistant nec suas notiones auctoribus supponant, sed ad veram eorum sententiam penetrare conentur.

157. — § 1. Professores, de natura et momento librorum unde textus sumuntur pauca praefati, adhibitis opportunis subsidiis

---

[31] Cf. Ord., a. 27, III, 2 *b*.

[32] Cf. *CA*, a. 49; Ord., a. 46; Stat., nn. 76-77.

et contextus ratione habita, in primis sensum verborum plane investigent.

§ 2. Cum nullus sit auctore ipso melior auctoris interpres, conferantur obscura cum illis quae vel in eodem libro vel in aliis eiusdem auctoris operibus sunt magis perspicua. Quodsi auctorem mutasse sententiam aut perfecisse appareat, id manifestetur, nec taceatur, si forte investigatione facta textus remaneat obscurus.

§ 3. Utile etiam erit auctorem comparare cum iis, a quibus certo dependet, ut appareat in qua conveniant et quid sit ipsius auctoris vere proprium. Haec comparatio praesertim inter S. Thomam et Aristotelem magno cum fructu fiet.

§ 4. Ipsi quoque Auditores dirigente Professore in textibus interpretandis interdum sese exerceant.

158. — Ad finem huius cursus melius obtinendum eiusmodi seligantur textus, qui de veritatibus philosophicis maioris momenti agant et ad illustrandas graviores quaestiones scholasticas haud parum conducant. Textus legantur continui potius quam disiuncti atque inter se dispares.

TITULUS II

De cursu Theologiae maiore

Caput I

De studiis praeviis et de cursus tempore

159. — Cursus Theologiae maior dicitur is, qui ad gradus academicos et ad gradum Societatis ordinatus est.

160. — Ut quis ad cursum Theologiae maiorem admitti possit, requiritur praevius cursus Philosophiae ad normam nn. 126-128 rite peractus.

161. — § 1. Cursus Theologiae maior quadriennio absolvitur [33], qui ad normam n. 5, 2° est peragendus.

§ 2. Si quando Generalis gravi de causa ad normam n. 5, 3° aliquem Scholasticum a gradu academico obtinendo dispensa-

---

[33] Cf. *IC,* 589 § 1; 1365 § 2; *CD,* d. 89 § 1; *CG* XXVIII, d. 39, 2° *RS,* Reg. Prof. Theol., 7.

verit, Provincialis erit ultra definire, quatenus ille etiam a disciplinis et experimentis ad gradum Societatis non necessariis liberandus sit.

Caput II

De scholarum ordine et ratione

Art. I - *Disciplinae tradendae*

162. — *Disciplinae principales*:

a) Theologia fundamentalis quaestionesque conexae de Introductione in Scripturam Sacram: horis * circiter 8 utroque semestri anni primi.

b) Theologia dogmatica: horis circiter 8 utroque semestri annorum secundi, tertii, quarti; salvo tamen n. 165 de secundo semestri anni quarti.

c) Theologia moralis cum pastorali: horis 5 semestribus quattuor biennii primi.

d) Introductio in Scripturam Sacram et Exegesis Veteris ac Novi Testamenti: horis 5 semestribus quattuor. Cum haec disciplina tanti momenti sit, apte provideatur, ne ultima eius pars in secundum quarti anni semestre differatur.

e) Historia ecclesiastica: vel horis 2 semestribus quattuor, vel horis 4 semestribus duobus. His addatur una hora singulis hebdomadis uno saltem semestri, ad tradendam Patrologiam et Archaeologiam christianam.

f) Institutiones Iuris canonici: horis 3 semestribus duobus [34].

163. — *Disciplinae auxiliares*:

a) Lingua hebraica: horis saltem 2 uno semestri, et hora saltem 1 altero semestri. — Lingua graeca biblica: hora 1 uno semestri.

b) Institutiones systematico-historicae Liturgiae: hora saltem 1 uno semestri.

---

* Horarum numerus, nisi aliud notetur, de singulis hebdomadis intellegitur.

[34] Cf. Ord., a. 27, I, 1; Stat., n. 39.

c) Ascetica: hora saltem 1 uno semestri.

d) Quaestiones theologicae ad Orientales maxime pertinentes: hora saltem 1 uno semestri [35].

164. — § 1. Praescribitur singulis Auditoribus ante Licentiam una saltem *disciplina specialis* hora 1 uno anno vel horis 2 uno semestri, aut aliquot *cursus peculiares* per tantundem temporis [36].

§ 2. Commendantur praesertim eae disciplinae speciales iique cursus peculiares, qui ad aliquam Theologiae fundamentalis ac dogmaticae partem seu maioris momenti quaestionem plenius intellegendam plurimum conducere atque adeo disciplinam praecipuam corroborare atque complere possunt, ut sunt: Theologia biblica, Historia dogmatum, Historia Theologiae primaevae, Historia religionis, quaestiones recentiores Apologeticae; iis vero qui ad Missiones destinantur, aliquot capita ex Missiologia [37].

§ 3. Quaestiones Theologiae pastoralis, quae in Theologia morali non tractantur, atque Catechetica, sive in disciplinis specialibus sive in cursibus peculiaribus proponi possunt, salvis tamen iis quae nn. 288 et 289 opportuno tempore omnibus tradenda praescribuntur [38].

165. — Ut examen ad gradum Societatis una cum examine de universa sacra Theologia ad Licentiam (nisi quis a Licentia secundum normam n. 5, 3° dispensatus fuerit) in fine quarti anni subeundum, solide et ea diligentia quam rei gravitas ac momentum postulat, praeparari possit, ultimo ante examen semestri scholae pauciores erunt; immo duobus ultimis mensibus omitti poterunt, quo facilius singuli Auditores in repetenda materia examinis a Professoribus dirigi atque iuvari possint [39].

---

[35] Cf. Ord., a. 27, I, 2; Stat., n. 40.

[36] Cf. *CA*, a. 33 § 3; Stat., n. 41 § 1.

[37] Cf. Ord., a. 28; Stat., n. 41 § 2.

[38] Cf. *IC*, 1365 § 3; Pius XI, *Officiorum omnium*: *AAS*, XIV (1922), p. 456 (Ench. cler., n. 1157); *SCSU*, *Ordinamento dei Seminari*, 1920 (Ench. cler., n. 1111); Const., P. IV, c. 8; P. X, n. 3.

[39] Cf. Ord., a. 30; Stat., n. 38; *CD*, d. 117.

Art. II - *Exercitia scholastica instituenda*

166. — § 1. Disputationes scholasticae habentur plerumque bis in hebdomada per horam, toto curriculi quadriennio, salvo n. 165 de secundo semestri anni quarti. Praeterea ter quotannis fit disputatio sollemnior et publica [40].

§ 2. Repetitiones loco lectionum iis diebus fiant, quos ad normam nn. 61 et 100 Praefectus studiorum consulto Decano constituerit.

167. — Exercitationes initium sumere debent a tertio saltem curriculi anno, et habentur per duos annos, idque aut uno semestri singulis hebdomadis 1 circiter hora vel alternis hebdomadis 2 circiter horis, aut toto anno alternis hebdomadis 1 circiter hora, servata tamen norma n. 165. Curetur praeterea ad normam n. 120, ut Auditores etiam primo aut secundo Theologiae anno methodum res theologicas scientifice tractandi et subsidiis Theologiae propriis recte utendi addiscant [41]

168. — Collatio casuum conscientiae, cui omnes Theologi interesse debent, habetur singulis hebdomadis per semihoram [42].

169. — Semel in hebdomada per semihoram fit exercitium Eloquentia sacrae quod « Toni » vocari solet [43].

Caput III

De singulis disciplinis theologicis

Art. I - *De Theologia fundamentali*

170. — § 1. Theologiae fundamentalis finis est, positis iis quae in Philosophia probata sunt, fundamenta fidei divinae et catholicae ac principia theologicae cognitionis exponere ac tueri [44].

§ 2. Quare praemissa Introductione generali de natura et partibus Theologiae, agendum est de possibilitate, de cognosci-

---

[40] Cf. *CA*, a. 30 § 2; Stat., n. 42.

[41] Cf. Ord., a. 23; Stat., n. 43.

[42] Cf. *IC*, 591; *CD*, d. 129; *RS*, Reg. Prov., 14.

[43] Cf. Const., P. III, c. 1, n. 21; P. IV, c. 8, n. 3; *CG* XXVIII, d. 41, 6°.

[44] Cf. Stat., n. 30 § 2.

bilitate et de facto divinae revelationis; de Ecclesia a Christo condita, de eius capite Romano Pontifice et de auctoritate magisterii ecclesiastici infallibiliter proponendi veritatem revelatam; de Scriptura et Traditione ut fontibus revelationis.

§ 3. Ex Introductione in Sacram Scripturam eae quaestiones pertractentur, quae cum Theologia fundamentali conectuntur, ut inter alias sunt: de textus biblici historia et critica; de authentia et fide historica quorundam Librorum Sacrorum, praesertim Evangeliorum. Quae tractari possunt a Professore sive Theologiae fundamentalis sive Sacrae Scripturae, qui eas exponent solide simul ac synthetice, omissis longioribus disquisitionibus historicis et criticis, quae Theologiae tironibus tractationem obscurant potius quam illustrant.

§ 4. Si Theologia fundamentalis non ab uno Professore tradatur, quaestiones tractandae ita distribuantur inter plures, ut neque turbetur logica partium coniunctio, et repetitiones eiusdem materiae vitentur.

171. — § 1. Ostendant Professores iis doctrinis quae in Philosophia scholastica ab omnibus communiter admittuntur omnes illas contineri veritates, quae ad praeambula fidei statuenda abunde sufficiant, neque ad id opus esse opiniones philosophicas adhibere inter catholicos controversas.

§ 2. In probanda credibilitate divinae revelationis sedulo observent, quae a Concilio Vaticano decreta sunt et quae iureiurando contra modernismi errores profitenda praecipiuntur: externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, atque in primis miracula et prophetias, signa esse certissima divinitus ortae christianae religionis, eademque temporum omnium atque hominum etiam huius aetatis intellegentiae esse maxime accommodata; ideoque non sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere [45].

§ 3. Neque omittant Professores, sive de revelatione sive de notis Ecclesiae tractantes, exponere ad solam catholicam Ecclesiam ea pertinere omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita, atque adeo Ecclesiam per se ipsam magnum quoddam et per-

[45] Cf. Conc. Vatic., *De fide catholica*, can. 3; Pius X, *Pascendi*: *ASS*, XL (1907), pp. 627-630; *Iusiur. contra modern.*: *AAS*, II (1910), pp. 669-670.

petuum esse motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile [46].

172. — Doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici primatus, « in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit » [47] accurate exponant, confirment, ab impugnationibus adversariorum, nominatim Orientis separati, tueantur.

173. — § 1. Etsi in Theologia fundamentali argumentis potissimum historico-criticis et philosophicis utendum est, Professores tamen, maxime cum de interna Ecclesiae constitutione, de vi ac ratione primatus Romani Pontificis, de Corpore Christi mystico, de aliis ad dogmata Ecclesiae pertinentibus agitur, tractationem dogmaticam atque scholasticam ne omittant, immo peculiari cura adhibeant [48], iis ante oculos habitis quae articulo sequenti de Theologia dogmatica statuuntur.

§ 2. Doceantur Auditores methodum dogmaticam ab ea, quam historico-criticam vel apologeticam dicunt, recte discernere ac fines utriusque accurate determinare.

§ 3. In illis Theologiae fundamentalis quaestionibus, quae methodo historico-critica seu apologetica tractantur, Professores praecipua documenta ecclesiastica quae ad rem pertinent, Auditoribus exponant, adiecta etiam, prout res postulaverit, nota theologica.

Art. II - *De Theologia dogmatica*

174. — Theologiae dogmaticae Professores « in id potissimum incumbant, ut fidei dogmata doctrinamque communiter receptam accurate exponant, confirment, tueantur... » [49].

175. — Quae in singulis Theologiae tractatibus tradenda sunt, thesibus seu propositionibus ea ratione ordinari oportet « ut multae ac diversae caelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quaeque locis convenienter dispositae et ex propriis principiis derivatae apto inter se nexu cohaereant;

---

[46] Cf. Conc. Vatic., *De fide catholica*, c. 3.
[47] Conc. Vatic., *De Ecclesia Christi*.
[48] Cf. Stat., n. 30, § 2.
[49] *CD*, d. 94, 1°; Stat., n. 30 § 3, 1°.

demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur » [50].

176. — § 1. Doctrinam ab Ecclesiae magisterio propositam accurate declarent, et verum eius sensum ex textu et contextu documentorum, adhibitis, cum opus est, adiumentis historicis, diligenter exquirant. Exinde patebit, quo certitudinis gradu veritates de quibus agitur, secundum doctrinam Ecclesiae sint tenendae. Unde etiam singulis thesibus suus cuique certitudinis aut probabilitatis gradus, itemque sententiis contrariis censura theologica conveniens assignentur [51].

§ 2. Ita quoque explicentur veritates ab Ecclesiae magisterio non propositae, ut in singulis thesibus diiudicetur, utrum agatur de veritatibus revelatis vel cum revelatis conexis, an de doctrinis communiter a Theologis admissis, an de quaestionibus inter catholicos controversis.

177. — Doctrina, expositione praemissa, argumentis e fontibus revelationis sobrie ac solide probetur [52].

178. — § 1. Secum reputent Professores, « tam insignem locum inter revelationis fontes Divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat Theologia rite et pro dignitate tractari » [53]. Quare in argumento ex Sacra Scriptura conficiendo magna cura procedant.

§ 2. Nec tamen plures quam oportet textus coacervent, sed praecipuos seligant eosque diligenter perpendant, ut inde appareat, quemadmodum doctrina proposita vel in Sacris Litteris contineatur, vel ex eisdem legitime concludatur. Quandoque autem, si ex rei momento et quaestionis indole postulabitur, Sacrorum Librorum doctrinam uberius explicent atque ostendant, quinam forte progressus in revelatione, maxime a Vetere Testamento ad Novum factus sit.

§ 3. In interpretandis Sacrae Scripturae testimoniis Ecclesiae doctrinam et Traditionis sententiam ante oculos habeant.

---

[50] Leo XIII, *Aeterni Patris*: *ASS*, XII (1879), p. 101 (Ench. cler., n. 404).

[51] Cf. Stat., n. 30 § 3, 1°; *CD*, d. 94, 1°.

[52] Cf. *CA*, a. 29 *a;* Stat., n. 30 § 3, 2°; *CD*, d. 94, 2°.

[53] Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 283 (Ench. bibl., n.99).

Illos igitur textus, quorum sensus sive per ipsos inspiratos Auctores in Sacris Libris, sive per Ecclesiam authentice declaratus est, eadem ipsi ratione interpretentur [54]. In ceteris explanandis analogiam fidei sequantur [55], et SS. Patrum vestigiis reverenter insistant, non solum quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes, sed etiam cum de hisce rebus munere doctorum quasi privatim funguntur [56]. Si quod ergo est fidei dogma, quod fere plurimi Patres ex Scripturis probari contendunt, ne id negent inde probari [57]; quodsi Patres inter se non conveniant, ex variis eorum interpretationibus eam praeferant, in quam iamdudum Ecclesia magno consensu videtur propensior [58]. Meminerint simul Sacram Scripturam non esse unicum revelationis fontem nec supremum fidei iudicem [59]; ideoque si quando accidat ut veritas aliqua ex Sacris Litteris aut aegre aut nulla ratione possit probari, id manifestare ne omittant atque argumentum ex Traditione qua par est diligentia conficiant.

179. — § 1. In exquirenda ac proponenda doctrina SS. Patrum, in primis pro rebus maioris momenti, ea testimonia eaque ratione afferantur, quibus verum Traditionis argumentum efficiatur. Nonnumquam etiam, pro rei natura, ampliorem e Patribus probationem speciminis gratia conficient, semper tamen ut debitae moderationi consulatur; doctrina enim theologica « scientiis..., quas positivas vocant, et argumentis e positivis fontibus deductis, iuvanda est, non autem obruenda » [60].

Praecipue vero, cum de re agitur in Sacris Litteris clare contenta, testimonia Patrum pauciora sufficere poterunt.

§ 2. Testimonia SS. Patrum debita cum reverentia tractentur, neque eorum scripta solis scientiae principiis sunt interpretanda, sed ratione semper habita supernaturalis originis catho-

---

[54] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), pp. 280-281 (Ench. bibl., n. 94).

[55] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: ib.

[56] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: pp. 281-282 (Ench. bibl., n. 96); *RS*, Reg. Prof. S. Script., 7.

[57] Cf. *RS*, Reg. Prof. S. Script., 8.

[58] Cf. *RS*, Reg. Prof. S. Script., 7.

[59] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 277 (Ench. bibl., n. 85).

[60] *CD*, d. 94, 2°; Stat., n. 30 § 3, 2°; cf. *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 8.

licae Traditionis, atque promissae divinitus opis ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri [61]. Unde sicuti contendi nequit quamlibet doctrinam revelatam ab ipsis Ecclesiae initiis fuisse in explicita Traditionis professione, ita antiquiora et obscuriora documenta in eiusdem Traditionis luce investigari oportet.

180. — § 1. « Veritatibus fidei expositis et ex Sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S, Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur » [62]. Instent Professores ut Auditores intellectum et scientiam doctrinae catholicae secundum methodum scholasticam assequantur [63], atque mysteriorum aliquam intellegentiam acquirant, tum ex eorum quae naturaliter ratio cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo [64].

§ 2. Ex naturalis rationis ambitu ad veritates fidei tuendas et illustrandas non assumantur, quoad eius fieri potest, nisi quae sunt certa et communiter admissa. Quodsi forte aliquid adhibeant inter catholicos controversum, id aperte declarent. Ab investigationibus vero, quae potius sunt nimiae subtilitatis quam verae utilitatis, abstineant, et in quaestionibus obsoletis ne immorentur [65].

§ 3. In veritatum revelatarum natura illustranda rationes quae dicuntur convenientiae ne omittantur, quippe quae sollerter propositae, et manifestent quam consentanea rationi sint fidei nostrae dogmata, et viam aperiant ad difficultates solvendas, atque adeo ad exponendam populo christiano doctrinam revelatam sint aptissimae.

181. — § 1. Quamquam accuratior et peculiaris tractatio quaestionum de Ecclesia Orientis separati ad disciplinam auxiliarem pertinet, suis tamen locis exponat Professor, quibus doctrinis Ecclesia catholica et separata inter se discrepent, ita ut,

---

[61] Cf. Pius X, *Iusiur. contra modern.*: *AAS*, II (1910), p. 671.

[62] *CA*, a. 29, *a*.

[63] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 283 (Ench. bibl., n. 99).

[64] Cf. Conc. Vatic., *De fide catholica*, c. 4.

[65] Cf. Stat., n. 30 § 3, 1°; *CD*, d. 94, 1°; *RS*, Reg. Prof. sup. Fac., 7.

quod spectat dogmaticam earum rationem, Auditores clare et plene has differentias cognoscant.

§ 2. Ratio quoque habeatur errorum, quibus haeretici aliique praecipui Ecclesiae adversarii sunt obnoxii, ut Auditores brevem de iis et succinctum, attamen completum quendam et clarum assequantur conspectum.

§ 3. Praecipue examinandi sunt ii errores, qui fidelibus periculo esse haud desierunt[66], aut quibus cognitis doctrina Ecclesiae melius intellegitur, quales generatim sunt illi, qui definitionibus Ecclesiae ansam dederunt.

§ 4. Errorum atque haeresum refutatio pro quaestionum natura et momento duplex adhiberi potest: aut illa qua veritas dilucide exposita argumentisque confirmata per se ipsa sufficit, aut illa qua ipsi errores refelluntur.

Art. III — *De Theologia morali cum pastorali*

182. — § 1. Duplex praelectionum Theologiae moralis finis est: et scientifica principiorum vitae christianae traditio et formatio peritorum confessariorum animarumque moderatorum; quorum finium neuter ita praeferendus est, ut alter neglegatur.

§ 2. Quare omnis proponatur doctrina de vita christiana et de hominis a Christo redempti atque ad finem supernaturalem tendentis officiis. Praecipua quoque capita doctrinae socialis Ecclesiae rite explicentur[67].

183. — § 1. Exponantur et in aptum ordinem redigantur veritates ab Ecclesiae magisterio propositae, quibus actus humani ad finem supernaturalem diriguntur. Quaecumque in his doctrinis via eligitur, sive decalogi et praeceptorum Ecclesiae, sive scholastici virtutum systematis, sive alia, certe Professor officia vitae christianae eorumque rationes moventes prius accurate exponat, quam peccatorum denotet species, quibus illa violantur. Clare quoque definiat ea officia, quae stricte et sub gravi reatu imponuntur.

§ 2. Theologia moralis accurate et solide tradatur[68], non iuris naturalis tantum principiis nisa, sed praecipue bene sele-

---

[66] Cf. Stat., n. 30 § 3, 1°; *CD*, d. 94, 1°.

[67] Cf. *CG* XXVIII, d. 29, n. 10.

[68] Cf. Stat., n. 30 § 4; *CD*. d. 95.

ctis testimonii Sacrae Scripturae et praestantium auctorum sententiis. Ad explicanda autem officia quae legibus humanis imponuntur, scientiae iuris principia sedulo serventur.

§ 3. Discant in primis Auditores, quomodo e principiis, remotis et proximis, ad ipsas et singulas deveniatur vitae moralis conclusiones. Exinde difficultates clare exponantur, excutiantur, solvantur.

§ 4. Ubi diversae sunt opiniones catholicorum, Professor suam sententiam argumentis ita confirmet, ut si qua alia solidis nitatur rationibus vel bonis auctoribus fulciatur, eam probabilem esse concedat[69].

§ 5. In opinionibus seligendis, iis praesertim quae ad solvendas novas quaestiones morales proponuntur, Professores potissimum principia S. Thomae, S. Alfonsi de Ligorio, clarissimorum Theologiae moralis doctorum Societatis sequantur, nimiam sive severitatem sive benignitatem pariter evitantes.

§ 6. E Magisterii ecclesiastici documentis ostendant, quemadmodum principia scholasticae Philosophiae et Theologiae ad tractandas ac solvendas quaestiones morales sint adhibenda.

184. — § 1. Instruant Auditores, quomodo fideles cuiusvis aetatis et condicionis adducantur ad doctrinam christianam de moribus et de usu Sacramentorum cognoscendam ac vita observandam. Quae quidem pastoralis institutio in repetitionibus quoque et in collationibus casuum conscientiae colatur; complebitur vero ad normam n. 164 § 3.

§ 2. Cum de sexto decalogi praecepto agitur, magna moderatione utantur et e S. Alfonsi consilio[70] animarum salutem intendentes hanc materiam clare quidem, sed quam castissime proponant, neque pertractent nisi quae ad formandos confessarios et conscientiarum moderatores vere conducunt et necessaria sunt[71].

185. — Quaestiones quae tam ad Ethicam quam ad Theologiam moralem spectant, inter utramque disciplinam accurate sic dividantur, ut nulla cuiusdam momenti quaestio omittatur et inutiles vitentur repetitiones.

---

[69] Cf. *RS*, Reg. Prof. Theol. mor., 5.

[70] Cf. S. Alfonsus, *Theol. mor.*, l. 3, tr. 4, c. 2, n. 413.

[71] Cf. *CG* XXVIII, d. 27, 3º; *AR*, VI (1931), p. 819.

186. — Collationes casuum conscientiae ad hunc modum habeantur:

1° Casus unus vel plures, sive ex Theologia morali sive ex Iure canonico deprompti, uni vel pluribus Auditoribus tempestive assignentur et proximo ante collationem die suo loco affigantur.

2° In casu solvendo primum notiones et principia clare, sed breviter explicentur, deinde ad rem ipsam adhibeantur.

3° Interdum loco casus solvendi aliquid quod ad confessarii usum pertineat proponi potest, ut de modo interrogandi paenitentem, remedia ac paenitentias imponendi, vel similia.

4° Casibus moralibus et canonicis casus liturgicis aliquando adiungatur.

5° Sub finem collationis concedatur tempus solvendis quaestionibus vel difficultatibus e corona propositis aptum [72].

Art. IV — *De Sacra Scriptura*

187. — Cum Sacra Scriptura Deum ipsum habeat auctorem, et altissima Eius mysteria, consilia, opera complectatur, illum semper in scholis teneat locum, qui eius excellentiae et utilitati debetur [73]. Quamobrem « eiusdem Divinae Scripturae usus in universum Theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima » [74], summique etiam momenti habeatur ad propria Societatis ministeria rite obeunda [75].

188. — § 1. Professores igitur Divinas Litteras pie, docte, graviter explicent [76], ut in Auditoribus quoque sensum reverentiae et pietatis erga oracula et eloquia divina per sacros scriptores nobiscum communicata foveant ac nutriant [77].

§ 2. Omnem Theologiam egregie teneant oportet, atque in

---

[72] Cf. *RS*, Reg. Prof. Theol. mor., 8-11.

[73] Cf. *CD*, d. 93 § 1.

[74] Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 283 (Ench. bibl., 99).

[75] Cf. *CD*, d. 93 § 1.

[76] Cf. *RS*, Reg. Prof. S. Script., 1.

[77] Cf. *SCSU*, *Suprema Sacra Congregatio* (Ench. cler., n. 1182).

commentariis SS. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum versati sint [78].

§ 3. In primis autem sint solliciti « ut Sacrarum Litterarum auctoritas cum humana tum divina vindicetur, atque sensus verbi divinitus inspirati ad mentem Ecclesiae indagetur et explicetur » [79]. Quare catholicam de Sacrorum Librorum inspiratione atque inerrantia doctrinam fideliter sequantur et normas a Magisterio Ecclesiae, sive auctoritate ordinaria sive modo extraordinario propositas, filiali oboedientia observent. SS. Patrum studiis reverenter inhaerentes ex aliorum quoque catholicorum interpretum egregiis operibus ea opportune petant, quibus refellantur contraria, difficiliora enodentur [80]. Meminerint tamen Ecclesiae esse iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sacrarum [81], neque incorruptum verborum sacrorum sensum repeti posse ab iis, qui verae fidei expertes sint [82].

189. — Introductio in Sacram Scripturam ita tradatur, ut Sacrorum Librorum Exegesin praeparet, iuvet, compleat [83].

1° In Introductione generali, omissis illis de quibus iam in Theologia fundamentali ad normam n. 170 § 3 actum est, ea potissimum tractentur, quae ad artem criticam textuum et ad leges hermeneuticas pertinent.

2° In Introductione speciali Professor dilucide exponat, qui sit Sacrorum Librorum finis, quae eorum origo, structura, fides historica, vis theologica. In rebus autem minutis, quae potius studiorum specialium sunt, ne plus aequo immoretur, sed peculiari cura illos tractet libros et textus, qui sive in Historia sacra sive in Theologia maioris momenti sunt [84].

---

[78] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 281 (Ench. bibl., n. 95).

[79] *CA*, a. 29 *d*.

[80] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 282 (Ench. bibl., n. 98).

[81] Cf. Conc. Trid., sessio IV (Ench. bibl., n. 47); Conc. Vatic., *De fide catholica*, c. 2 (Ench. bibl., n. 63); Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 280 (Ench. bibl., n. 93).

[82] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: ib., p. 282 (Ench. bibl., n. 98).

[83] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: ib., p. 278 (Ench. bibl., n. 89).

[84] Cf. Pius X, *Quoniam in re biblica*, IV: *ASS*, XXXIX (1906), p. 78 (Ench. bibl., n. 159).

Hae vero quaestiones introductoriae quae dicuntur, pro natura rei vel simul cum singulorum librorum interpretatione, vel post eam tractari poterunt, aut etiam coniungi cum lectione cursim facienda eorum librorum, qui fusius tractari nequeunt.

190. — § 1. Exegesis ipsius munus duplex est: specimina quaedam accuratioris interpretationis praebere et eam tradere totius Sacrae Scripturae cognitionem, qua Societatis sacerdotes in sacris ministeriis indigent. Quare graviores aliqui libri vel librorum selectae partes penitius explicentur; apte autem ceterorum quoque librorum cognitio diligenter curetur, sive eo quod dirigente Professore cursim saltem leguntur, sive quod Scholastici ad eos privatim legendos instituuntur et opportunis auxiliis iuvantur.

§ 2. Professor Novi Testamenti, expositis singulorum Evangeliorum proprio fine, rerum ordine, dictione, difficiliores explicet pericopas, tam ex Evangeliis synopticis quam ex Evangelio S. Ioannis, atque totius vitae Christi Domini conspectum ordinate proponat.

Ex S. Pauli Epistolis unam alteramve fusius explanet, reliquarum difficiliores saltem pericopas. Simili ratione, quantum per tempus licet, exegesis ceterorum Novi Testamenti librorum tradatur.

§ 3. Professor Veteris Testamenti in libris historicis exponendis revelationis progressum et fata populi electi breviter et ex ordine ostendat. Inter partes autem accuratius explicandas primum locum teneant capita selecta ex Pentateucho, Prophetis praecipuis, Psalmis, pericopis de Sapientia agentibus, maxime autem vaticinia messianica. Denique in toto Vetere Testamento explicando respiciat rationem qua cum Novo coniungitur et, ubi occurrat, sensum eius typicum diligenter explanet.

191. — § 1. Studeant Professores ita Sacros Libros interpretari, ut in primis appareat, quodnam fuerit sacrorum Auctorum in iis scribendis consilium et quemadmodum singulae partes ad illud dirigantur, dein ad singulas sententias earumque inter se coniunctionem interpretatio convertatur. Quaestiones textus criticas eatenus in locis maioris momenti tractent, quatenus ad veram lectionem statuendam conducunt.

§ 2. In expositione, ut subsidia linguarum aliarumque scientiarum neglegenda non sunt, ita maxime ad doctrinam dog-

maticam et moralem eruendam et exponendam attendatur, ut Auditores ex Divinis Litteris et ea haurire addiscant, quae ad dogmata intellegenda et confirmanda proficiunt et, quomodo divini verbi divitias convertere possint in progressum religionis et pietatis, intellegant[85]. Neque omittat Professor ostendere, quantopere etiam dicendi arte non raro excellant sacri scriptores.

§ 3. Videant, ne illi Sacrae Scripturae loci qui in tractatibus theologicis adhiberi solent, saepius fuse explicentur.

192. — Disciplinae Exegesi cognatae, ut Historia antiqua, Geographia et Archaeologia biblica, Chronologia, Theologia biblica, aliae, in communi Auditorum cursu dedita opera ne tradantur, sed Professor fructum capiens ex recentiorum investigationibus ea proferat, quae ad Sacros Libros interpretandos et ad historiam populi electi ac Iesu Christi illustrandam conducere videantur. Caveat tamen ne his rebus ipsa sacri textus interpretatio ac doctrinae expositio obruatur aut obscuretur[86].

Hae autem scientiae earumve selectae partes opportune in disciplinis specialibus et cursibus peculiaribus explicantur[87].

Art. V — *De Historia ecclesiastica, Patrologia, Archaeologia*

A) *De Historia ecclesiastica*

193. — In Historia ecclesiastica explanari debent quae pertinent ad vitam Ecclesiae visibilis munere suo inter homines fungentis. Cum autem Ecclesia societas sit supernaturalis, ipsa rerum gestarum expositione elucebunt et eius divina origo et illa vis, quam ipsa Ecclesia eiusque caput, Romanus Pontifex, assistente Spiritu Sancto, non modo in religione firmanda ac promovenda, sed in humano etiam civilique cultu amplificando, superatis omnibus cum domesticis tum externis difficultatibus manifestarunt[88].

194. — § 1. Ad hunc finem obtinendum, non satis est Profes-

---

[85] Cf. *SCSU, Vixdum haec Sacra Congregatio* (Ench. cler., n. 1137).

[86] Cf. *RS*, Reg. Prof. S. Script., 14.

[87] Cf. Pius X, *Quoniam in re biblica*, XI: *ASS*, XXXIX (1906), p. 79 (Ench. bibl., n. 166); Ord., Append. I, 1.

[88] Cf. Stat., n. 32.

sorem aliquas tantum Historiae partes tractare, sed omissa minuta eventuum narratione, singularum aetatum usque ad nostra tempora coniunctionem intimasque causas perspicue ac succincte explicet; illas autem potissimum quaestiones tractandas seligat, quae ob suum ipsarum momentum et mutuam inter se complexionem, universaliorem quendam vitae Ecclesiae praebeant conspectum meliusque ad pernoscendum eius statum praesentem conducant [89].

§ 2. Eiusmodi quaestiones sunt: vita religiosa populi christiani, mutua officia Ecclesiam inter et Statum, medii aevi christiani proprietates, causae schismatum et haeresum ac fructus, quos forte ex eis Ecclesia ceperit; Missiones ad infideles, Ordines religiosi, laicismus hodiernus, recentioris Ecclesiae condiciones et necessitates [90]. Ubi opus sit, significentur auctores qui de his capitibus solide copioseque disseruerunt.

195. — Quae peculiaris cuiusdam regionis propria sunt, pro temporum locorumque condicionibus, opportune tradantur [91]. In regionibus autem Missionum historia religiosa propriae Missionis inde ab eius initiis accuratius exponatur.

196. — § 1. Ob oculos Professoris illud in primis versetur: « primam esse historiae legem ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat » [92]. Quare etiam quae humana sunt, candide proferat, ea tamen ratione, ut quae divina et supernaturalia sunt, clare perluceant [93].

§ 2. In examinandis Historiae fontibus artem criticam adhibeat, opinionibus praeiudicatis liberam, aequam tamen ac moderatam [94].

§ 3. Doceantur praeterea Scholastici in lectionibus, uberius etiam in Exercitationibus, artis criticae normas in Historiae quaestionibus cum dogmate coniunctis, sub magisterio Ecclesiae recte adhibere [95].

---

[89] Cf. Stat., n. 32.

[90] Cf. Pius XII, *Sollemnis conventus*: *ASS*, XXXI (1939), p. 248.

[91] Cf. *RS*, Reg. Prof. Hist. eccl., 9.

[92] Leo XIII. *Saepenumero considerantes*: *ASS*, XVI (1883), p. 54; cf. Leo XIII, *Depuis le jour*: *ASS*, XXXII (1899), p. 202-203 (Ench. cler., n. 605); Stat., n. 32.

[93] Cf. Stat., n. 32.

[94] Cf. *RS*, Reg. Prof. Hist. eccl., 6.

[95] Cf. Stat., n. 32.

§ 4. Ita fiet ut Historiae ecclesiasticae institutio et auxilium sit Theologiae et complementum [96].

B) *De Patrologia*

197. — § 1. Historiae ecclesiasticae addatur Patrologia, quae, cum magno adiumento sit Theologis ad argumenta patristica rite afferenda, diligenter tradenda est.

§ 2. Professor ne unius vel paucorum tantum Patrum doctrinam, sed, ut in litterarum historia fieri solet, generalem quendam eorum conspectum proponere studeat. Quare significatis libris, qui de Patrum atque ecclesiasticorum scriptorum vita et operibus latius agunt, singulos Patres temporum locorumque varietate distinctos ad usque fere saeculum VII recenseat; maioris momenti scripta iudicet, praestantiorum saltem indolem et in doctrina auctoritatem describat.

198. — Patrologia commode anno primo Theologiae tradetur; tradi autem potest, sive ab ipso Historiae ecclesiasticae sive ab alio Professore. Quodsi in ipsis Theologiae fundamentalis lectionibus tractanda videatur, huic addatur tempus Patrologiae assignatum.

C) *De Archaeologia christiana*

199. — Adiungatur praeterea Historiae ecclesiasticae Archaeologia christiana, qua Auditores veram quandam monumentorum antiquitatis christianae, praesertim Romanae, notitiam assequantur, unde priscae Ecclesiae fides, pietas, vita illustrentur.

200. — Ad hunc finem obtinendum quaedam selecta Archaeologiae capita methodo huius disciplinae propria tradantur, adhibitis etiam, quoad eius fieri possit, idoneis imaginibus photographicis et perlucidis.

---

[96] Cf. Stat., n. 32.

Art. VI — *De Institutionibus Iuris canonici*

201. — § 1. Is est finis Institutionum Iuris canonici, ut Auditores et principia scientiae Iuris ecclesiastici cognoscant, atque disciplinae in iure Ecclesiae cum publico tum privato vigentis notitiam succinctam sed sufficientem acquirant, eamque debita prosequantur aestimatione [97].

§ 2. Ad pleniorem Iuris ecclesiastici intellegentiam Professor etiam disciplinae vigentis originem et progressum breviter ex historia iuris illustret.

202. — § 1. Exponentur plerumque quaestiones non forma scholastica [98], sed methodo positiva seu exegetica ita ut leges Ecclesiae ex ipsis fontibus deducantur atque ex iuris principiis accurata interpretatione cognoscantur et explanentur. Quae ad unum idemque iuris institutum pertinent, eo ordine proferantur, declarentur et confirmentur, ut in unum quoddam doctrinae corpus coalescant.

§ 2. Finita singulorum tractatuum expositione, Professor Auditoribus ostendere ne praetermittat, qua ratione leges canonicas pro singulis casibus interpretari et recte adhibere possint.

203. — Cum quaestiones Iuris canonici haud paucae etiam ad Theologiam moralem pertineant, Professor Iuris canonici de actibus fidelium in primis agat, prout forum externum et sociale Ecclesiae spectant atque ideo in foro externo legibus praecipiuntur, prohibentur, sanciantur.

204. — In collatione casuum aliquando proponantur etiam casus ex Iure canonico ad normam n. 186.

Art. VII — *De Lingua hebraica et graeca biblica*

A) *De Lingua hebraica*

205. — Scholae linguae hebraicae finis est Scholasticos cognitione huius linguae, qua plerique Veteris Testamenti libri

---

[97] Cf. *RS*, Reg. Prof. Iur. can., 1.
[98] Cf. *RS*, Reg. Prof. Iur. can., 4.

canonici primitus scripti sunt, in eis melius intellegendis et explicandis adiuvare [99].

206. — § 1. Discant Auditores legum grammaticarum elementa, quandam vocabulorum copiam sibi comparent, modum illum peculiarem cognoscant, quo in linguis semiticis sensa exprimi et enuntiata construi solent [100].

§ 2. Ut Scholastici in huius linguae studio apte iuventur, Professor in legibus grammaticis explicandis ne diu immoretur; sed primis rudimentis clare explanatis, mox ad legendos textus veniat, quibus praecepta linguae doceat atque illustret. Textus autem sint discipulorum condicioni accommodati et, quoad eius fieri possit, ex iis quorum maior in Theologia usus est [101].

B) *De Lingua graeca biblica*

207. — Eo spectant scholae linguae graecae biblicae, ut Scholastici genuinum Sacrorum Librorum, praesertim Novi Testamenti, textum expeditius legere eoque in Exegesi aliisque cursus theologici disciplinis facilius uti discant [102].

208. — § 1. Professor praecipua exponat capita, cum morphologica tum syntactica, quibus lingua biblica differt a classica, quippe cuius cognitio ad studia in Facultatibus ecclesiasticis peragenda tam a Sancta Sede quam a Societate praescribatur [103]. In disquisitionibus philologicis minutisve regulis ne immoretur, sed ea praecepta, quae maioris sunt momenti ipsis potissimum Novi Testamenti textibus illustret. Illos vero locos, quoad eius facere possit, legendos eligat, qui ad studia theologica utiliores sint.

§ 2. Lingua graeca biblica ita tradatur, ut discipulorum labor Professoris sollertia atque usu sublevetur, et memoriae onus, quantum in eiusmodi rebus fieri potest, minuatur.

---

[99] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 285 (Ench. bibl., n. 103).

[100] Cf. *RS*, Reg. Prof. Ling. hebr., 3.

[101] Cf. *RS*, Reg. Prof. Ling. hebr., 3-5.

[102] Cf. Leo XIII, *Providentissimus*: *ASS*, XXVI (1893), p. 285 (Ench. bibl., n. 103).

[103] Cf. supra, nn. 125, 126.

Art. VIII — *De Institutionibus systematico-historicis Liturgiae*

209. — § 1. In huius disciplinae scholis, quantum per tempus liceat, methodo historica et theologica exponantur origo, progressus, significatio rituum et formularum, quibus publicus Ecclesiae cultus regitur.

§ 2. Pauca praefatus de scientiae liturgicae notione, methodo, fontibus, historia, Professor breviter, omissis minutis disquisitionibus ac rebus minoris momenti, praecipuas alipuas tractet quaestiones, veluti de natura cultus liturgici theologica ratione spectati (nisi de his iam in scholis Theologiae dogmaticae actum sit), de sancto Missae Sacrificio, de Breviario et Missali Romano, de anno ecclesiastico.

210. — Expositio ea sit, quae conducat ad illustranda dogmata fidei, quacum cultus christianus intima necessitudine coniungitur, et in Scholasticis solidam foveat pietatem eosque iuvet ad Ecclesiae ritus altius pernoscendos et postmodum in doctrina christiana et praedicationibus bene explicandos [104].

Art. IX — *De Theologia ascetica*

211. — Finis huius disciplinae est naturam perfectionis spiritualis, media ad eam assequandam, impedimenta quae eidem obesse possunt, scientifica et systematica ratione exponere.

212. — Selectae tractentur maioris momenti quaestiones, veluti de Spiritus Sancti actione et de cooperatione humanae voluntatis, de erroribus ab Ecclesia damnatis, de iis potissimum qui praesentis aetatis magis proprii sunt, de oratione mentali eiusque methodis communius usitatis, de variis spiritualitatis scholis, de gradibus vitae spiritualis. Breviter etiam notiones Theologiae mysticae explanentur.

213. — Proponantur illa doctrinae spiritualis principia toties a Summis Pontificibus commendata, quae in Exercitiis S. P. Ignatii continentur, servata tamen eorum pleniore tractatione ad tertium Probationis annum [105].

---

[104] Epit., n. 643 § 3.

[105] Cf. Paulus III, *Pastoralis officii*; Benedictus XIV, *Quantum secessus;* Leo XIII, *Ignatianae commentationes;* Pius XI, *Summorum Pontifi-*

214. — Ita Professor hanc disciplinam doceat, ut praetermissis quae in Theologia dogmatica ac morali tractari solent, in primis e fontibus theologicis hauriat, iis haud neglectis, quae ex moderationis animorum usu, ex scriptis Sanctorum ac virorum spiritualium, ex Sanctorum vitis, e Psychologia utiliter afferuntur.

Art. X — *De Quaestionibus theologicis ad Orientales maxime pertinentibus*

215. — Etsi quae ad Orientales pertinent in aliis quibusdam Theologiae disciplinis ex parte saltem tractantur, tamen haec disciplina auxiliaris ideo praescribitur, ut accuratior tradatur ac synthetica quaedam de statu, de doctrina ac mente Orientis christiani separati cognitio.

216. — § 1. Proponatur, introductionis instar, conspectus coetuum rituumque Ecclesiarum orientalium, ac summa quaestionum dogmaticarum, quae inter catholicos et separatos praecipue controvertuntur, veluti de notione « Ecclesiae Christi », de primatu Romani Pontificis, de processione Spiritus Sancti, de Immaculata Virginis Deiparae Conceptione, de Sacramentis, de Purgatorio.

§ 2. Deinde tractanda seligatur una alterave singularis quaestio, qua separatorum vera mens eorumque placita, causae separationis, unionis impedimenta, commode illustrentur.

§ 3. In Orientalium regionibus, vel in iis quae sunt Orientalibus vicinae, ubi in ipso studiorum curriculo maior separatorum ratio haberi debet, amplius in hac disciplina exponantur ea, quae magis locorum condicionibus exigi et ad unionis apostolatum valentius videantur conducere.

217. — Materia tractetur, prout argumenti natura fert, sive theologice sive historice, adhibitis propriis Orientalium fontibus et scriptis, praesertim Traditione patristica et Liturgia.

218. — Nostri in studiis orientalibus illius sincerae caritatis, qua Ecclesia erga fratres separatos tantopere excellit, semper

---

cum: *AAS*, XIV (1922), pp. 420-422; *Meditantibus Nobis*: *AAS*, XIV (1922), pp. 629-632; *Mens Nostra*: *AAS*, XXI (1929), pp. 697, 703-705; Pius XII, *Nosti profecto*: *AAS*, XXXII (1940), pp. 291-292; Const., P. IV, c. 8, n. 5; *CG* XXVIII, d. 21, 2; d. 30, 1.

memores, magni faciant opus unionis et debita prosequantur aestimatione Orientalium linguas liturgicas et ritus[106], quorum studio Ecclesiae Christi unitas et pulchritudo in ipsa varietate « splendidiore quodam modo effulgens » conspicitur[107].

TITULUS III

De examinibus

Caput I

De examinibus in universum

219. — § 1. Examina subeunda sunt de omnibus disciplinis Ratione Studiorum praescriptis[108].

§ 2. Ordinarie quotannis examina habeantur singula tantum de singulis disciplinis, quae supra nn. 130-133 et 162-164 distinctae enumerantur, etsi earum aliquae (ut Lingua hebraica et graeca biblica, Quaestiones scientificae cum Philosophia coniunctae) ex partibus inter se disparibus constent[109].

§ 3. De Philosophia scholastica, de Theologia fundamentali ac dogmatica, de parte annua Theologiae moralis examina subeunda sunt sub finem anni scholastici, de universa autem Theologia morali vel exeunte anno scholastico quo tota disciplinae materia absoluta est, vel ineunte proximo anno scholastico[110].

§ 4. De ceteris disciplinis habentur post absolutam in scholis materiam sive annuam sive semestrem, eo tempore quo Rectori, audito Consilio, opportunius videatur[111].

---

[106] Cf. Pius XI, *Ecclesiam Dei*: *AAS*, XV (1923), pp. 573-582; *Rerum Orientalium*: *AAS*, XX (1928), pp. 277-288; *SCSU, Quod catholicis*: *AAS*, XXII (1930), pp. 146-148 (Ench. cler., nn. 1274-1277); *Orientis Christiani*, 27 ian. 1935 (Ench. cler., nn. 1345-1346); *AR*, V (1924), pp. 103-105; VIII (1935), pp. 131-132.

[107] Cf. Pius XI, *Rerum Orientalium*: *AAS*, XX (1928), pp. 284-285 (Ench. cler., n. 1266).

[108] Cf. *CA*, a. 34; Const., P. IV, c. 6, *L;* Stat., n. 52 § 1; *CD*, d. 111 §§ 1-2.

[109] Cf. Ord., a. 31 § 1.

[110] Cf. Stat., n. 52 § 2; *CD*, d. 111 § 1.

[111] Cf. Stat., n. 52 § 3.

§ 5. Examina de Philosophia scholastica, de Theologia fundamentali ac dogmatica, de Theologia morali (tam annua quam universa), sunt oralia tantum. Reliqua possunt esse aut oralia tantum, salvo examine scripto ad Licentiam necessario, aut et oralia et scripta, aut scripta tantum [112].

§ 6. Ad omnia examina oralia Professoribus et Auditoribus liber patet aditus [113]. Habeantur ergo in loco, ad quem omnes accedere possunt, adeoque locus et tempus in publicum proponantur.

220. — § 1. Examinatores, qui omnes de singulis iudicium ferre debent, licet in aliquibus examinibus (secundum probatam quarumdam Provinciarum consuetudinem) non omnes interrogent singulos Auditores, debent esse:

a) Quattuor in examine ad gradum Societatis, in examinibus de Theologia fundamentali ac dogmatica, de Philosophia scholastica, de Theologia morali universa;

b) Tres in examine de parte annua Theologiae moralis;

c) Duo in reliquis examinibus oralibus, in quibus tamen potest esse etiam unus, cautelis secundum Collegii normas et consuetudines adhibitis, ut examen sit ad normam n. 219 § 6 vere publicum et obnoxium inspectioni alicuius ex Collegii Auctoritatibus vel ab iisdem delegati;

d) Unus in examinibus scriptis et in Exercitationibus, isque sit disciplinae vel cursus Professor; in dubiis autem, si Rectori videatur, consuli possunt etiam plures cum iure suffragi [114].

§ 2. Si examina, de quibus § 1, *c* et *d*, repetenda fuerint, in repetitione duo semper Examinatores suffragium ferant.

221. — § 1. Tempus examinibus oralibus tribuendum erit hoc:

a) Duae horae integrae, ad normam n. 226 § 2 examini ad gradum Societatis;

b) Hora integra examini de universa Philosophia et de Theologia dogmatica tertii anni;

c) Semihora reliquis omnibus examinibus de Philosophia

---

[112] Cf. Ord., a. 31 § 2; Stat., n. 52 § 4.

[113] Cf. Ord., a. 34; Stat., n. 52 § 5.

[114] Cf. Stat., n. 54; n. 64, 2°-3°; *CD*, d. 112.

scholastica, de Theologia fundamentali ac dogmatica, de Theologia morali universa;

d) Quarta horae pars examinibus de parte annua Theologiae moralis et de aliis disciplinis principalibus, specialibus, cursibus peculiaribus;

e) Decem momenta examinibus de disciplinis auxiliaribus.

§ 2. Examinibus quae scripto fiunt, tantum temporis conceditur, quantum singularum disciplinarum natura et momento exigitur [115].

222. — § 1. Examinatores de eo gradu doctrinae qui in singulis examinibus requiritur, iudicium ferant, non comparative ad alios qui forte amplius in studiis progressi sunt, sed absolute, ita tamen ut respiciant illum doctrinae et progressus gradum, qui anno curriculi, in quo candidatus versatur, respondet. Possunt autem iudicare, sed in examinati favorem tantum, ex scientia aliunde habita, dummodo iis certo constet, idque per se, non per alios [116].

§ 2. Si plures sunt Examinatores, unusquisque iudicium ferre debet de toto examine, non tantum de parte de qua ipse interrogaverit.

§ 3. Tam Examinatores ipsi, quam ii qui suffragia colligunt et computant, necnon reliqui omnes, quibus suffragia innotuerint, secreti lege tenentur [117].

§ 4. Qui examinum suffragia aliis, praeterquam illis, ad quos pertinet ex officio, patefecerint, pro gravitate rei et culpae puniantur, etiam usque ad muneris privationem [118].

§ 5. Examinatorum nomina et suffragia ab iis lata in libro ad hoc destinato accurate inscribantur; ubi autem plures sint Examinatores, eorum nomina a suffragiis latis ita separentur, ut non appareat quod quisque suffragium tulerit [119].

223. — Manuscripta omnium examinum et Exercitationum postquam a Professore examinata erunt, apud Praefectum studiorum deponantur, qui ea usque adeo servabit, donec annua computatio facta erit.

---

[115] Cf. Stat., n. 53; *CD*, d. 113.

[116] Cf. *CD*, d. 115 § 1.

[117] Cf. Epit., n. 346 § 2; *RS*, Reg. Prov., 19 § 7.

[118] Cf. *CD*, d. 115 § 2.

[119] Cf. *CD*, d. 115 § 3.

Caput II

De examine ad gradum Societatis

224. — § 1. Materia examinis ad gradum Societatis a Rectore cum Praefecto studiorum determinanda et cum Generali tempestive communicanda, complectatur praecipua universae sacrae Theologiae et Philosophiae scholasticae capita, in quattuor enuntiationes ex sacra Theologia et duas ex Philosophia scholastica ita distributa, ut singulae enuntiationes tria membra seu puncta habeant [120].

§ 2. In enuntiationibus ex Philosohia scholastica ea potissimum eligantur capita, quae ad enuntiationes theologicas referuntur et cum quaestionibus ibidem contentis conectuntur.

225. — § 1. Quattuor menses concedantur ad examen praeparandum, quo tempore examinandi paucioribus intererunt scholis; immo duobus ultimis ante examen mensibus eis adesse ne cogantur [121].

§ 2. Quattuor autem menses ita intellegantur, ut ob causam gravem, ex improviso paucis ante examen diebus ortam, possit Provincialis hoc tempus prorogare, non tamen ultra decem dies.

226. — § 1. In examine ad gradum Societatis quod sub finem quadriennii theologici fit, singuli candidati a singulis Examinatoribus examinandi sunt in Theologia, non autem necessario a singulis in Philosophia [122].

§ 2. In examine ad gradum, quippe quod ordinarie simul ad obtinendam Licentiam fiat, 80 momenta tribuantur soli parti theologicae, reliqua 40 soli parti philosophicae.

§ 3. Examini praesit aut Provincialis, aut Rector, vel alius ab alterutro substitutus [123].

227. — Examinatores ad gradum Societatis, antequam hoc officium primum exerceant, legant decreta 118 et 121 Collectionis Decretorum, cum mutationibus a Congregatione Generali XXVIII decreto 37 factis (hic nn. 229 et 230), et iurent secundum

---

120 Cf. *CD*, d. 116; Epit., n. 347.

121 Cf. Ord., a. 30; Stat., n. 38; *CD*, d. 117; supra, n. 165.

122 Cf. *CG* XXVIII, d. 39, 5°.

123 Cf. Ord., a. 6, 6°; Epit., n. 351 § 2.

formulam quae sequitur, qua se astringant ad fidelitatem in suffragio ferendo et ad secretum cum omnibus, praeterquam cum Generali ac Provinciali, servandum: « Ego N. testem invoco Deum, cuius oculis nuda et aperta sunt omnia, me in examine praestiturum esse fideliter quae praescribuntur in decreto 118 secundum propriam eius vim, ac proinde me, suffragium utrum candidatus mediocritatem in Philosophia et Theologia scholastica certo superaverit necne, laturum esse non comparative ad alios quosdam ante promotos, sed absolute, nec habita solum ingenii ratione, sed etiam doctrinae, quam quis actu habet, meque praeterea nemini revelaturum esse suffragium, praeterquam iis, ad quos pertinet ex officio. Ita iuratus promitto »[124].

228. — § 1. Ab Examinatoribus duplex suffragium ferendum est: alterum, *ratione gradus academici,* de sola parte theologica et ad normas Statutorum nn. 64, 4° et 55, ante oculos habitis Ordinationum art. 38 § 1 et Constitutionis Apostolicae art. 44 et 9; alterum, *ratione professionis quattuor votorum,* de toto examine et ad normas Collectionis Decretorum (dd. 118, 119, 121) cum mutationibus a Congregatione Generali XXVIII decreto 37 factis[125].

§ 2. Duplex suffragium, de quo § 1, ferendum est etiam cum candidatus, ad normam n. 5, 3°, fuerit legitime a Licentia obtinenda dispensatus.

229. — § 1. « Examinatores declarare debent num examinatus certo superaverit mediocritatem in Philosophia et Theologia scholastica, ideoque actu habeat eam doctrinam conspicuam et selectam, quae in Bullis Pontificiis et Societatis Constitutionibus et Congregationum Generalium decretis ad professionem quattuor votorum requiritur.

§ 2. Superare autem certo mediocritatem dicitur ille, qui theses seu materiam pro examine propositam bene intellegit et cum satisfactione exponere ac tueri valet; idque non tantum vix aut aegre, sed clare et sine dubitatione.

§ 3. Hac doctrina praeditus, aptus censetur ad Philosophiam ac Theologiam scholasticam cum satisfactione docendam.

---

[124] Cf. *CD,* d. 119; *AR,* IX (1938), pp. 212-213, nn. 82-83; *RS.* Reg. Prov., 19 § 12.

[125] Cf. *CG* XXVIII, d. 39, 4°.

adhibitis congruentibus praeparationibus et servatis de iure servandis.

§ 4. Iudicium de doctrina ferendum est non relative ad alios ad gradum iam promotos, sed absolute; et quidem habita ratione non ingenii solum, sed etiam doctrinae quam actu habet dum examinatur »[126].

230. — § 1. « Examinatores iudicium ferant secundum hanc formulam: « Ego N. examinavi de more (vel, si agatur de actu Theologiae ad normam Collectionis Decretorum d. 161 § 1, 3°, dicatur: audivi defendentem theses de universa Theologia) N., et iuratus censeo eum certo (vel: non certo) superare mediocritatem in Philosophia et Theologia scholastica, ideoque actu habere (vel: non habere) eam doctrinam conspicuam et selectam, quam Collectio Decretorum d. 118 et formula iuramenti ad professionem quattuor votorum requirunt »[127].

§ 2. « Ut quis censeatur habere doctrinam praescriptam, requiruntur tria suffragia positiva et clara; particulae *vix* et *aegre*, aliaeque similes, in hoc examine relate ad professionem suffragium reddunt negativum; suffragium vero dubium pro nullo habeatur »[128].

§ 3. Suffragium ut pro positivo habeatur, necesse est vocabulum *certo* prae se ferat. Inter suffragium quod est *certo superare* non est tertium medium.

§ 4. Quodsi tantam doctrinam non habeat candidatus, ut eum certo superare mediocritatem iudicari possit, diserte addatur unum ex hisce suffragiis: *vix superare, attigisse, vix attigisse, non attigisse* (mediocritatem), neque ulla alia suffragandi formula adhibeatur[129].

§ 5. Suffragio positivo addi possunt, prout res postulaverit, haec verba quibus modus ulterius significetur: *bene, cum laude, magna cum laude, summa cum laude*; haec tamen verba sub iuramento non sunt[130].

231. — « Suffragia mittantur directe ad ipsum Generalem, et praeterea ad Praepositum tam Provinciae, in qua examen fa-

---

[126] *CG* XXVIII, d. 37, I.

[127] *CG* XXVIII, d. 37, II § 1.

[128] *CG* XXVIII, d. 37, II § 2; *AR*, IX (1938), p. 213, n. 84 § 2.

[129] Cf. *CG* XXVIII, d. 37, II § 3.

[130] Cf. *AR*, IX (1938), p. 214, annotatio (2).

ctum est, quam ipsius examinati, et quidem ad Provincialem litteris *soli* inscriptis »[131]. Praeses quoque examinis ad Generalem et ad Provincialem scribat, num omnia rite peracta sint[132].

232. — « Examen ad gradum Societatis repeti nequit, nisi ex facultate Generalis, raro nec sine gravibus causis concedenda, et vix unquam si in priore examine duo suffragia positiva lata non sint. Tertium autem examen numquam concedatur »[133].

Caput III

De ceteris examinibus

233. — § 1. Materia examinis annui de Philosophia, de Theologia fundamentali ac dogmatica, de Theologia morali, ea fere omnis sit, quam Professores toto currentis anni spatio tradiderunt. Examen autem ultimi anni Philosophiae universam materiam Philosophiae scholasticae complecti debet, si ad cursum maiorem Theologiae inchoandum dirigitur[134].

§ 2. Ante singula examina conspectus materiae Auditoribus scripto dandus est secundum has normas:

a) Materia de universa Philosophia duobus circiter mensibus ante initium examinis;

b) Materia examinis scripti ad Licentiam subeundi quattuor saltem hebdomadis ante diem examinis;

c) Materia annua de reliquis disciplinis principalibus sex circiter hebdomadis ante initium examinis;

d) Materia annua de disciplinis auxiliaribus et specialibus vel cursibus peculiaribus quattuor circiter hebdomadis ante examen;

e) Materia examinum semestrium tribus circiter hebdomadis ante examen.

234. — § 1. Iudicium Examinatoris fit per suffragium quo declaret, num candidatus in ea disciplina de qua examen subiit, tantum doctrinae specimen dederit, ut idoneus censeatur aut ad obtinendum gradum academicum ad quem contendit, aut ad

---

[131] *CD*, d. 122; cf. *RS*, Reg. Prov., 19 § 13; supra, n. 38 § 2.
[132] Cf. Epit., n. 353.
[133] *CD*, d. 123.
[134] Cf. *CD*, d. 124; *RS*, Reg. Prov., 19 § 6.

progrediendum in curriculo studiorum tam ad illum gradum academicum quam ad gradum Societatis requisitorum. Qui si hac ratione idoneus censeatur, probatus dicitur, si minus, non probatus [135].

§ 2. Idoneus autem hoc sensu seu probatus in disciplinis praecipuis dicitur is, qui:

a) In examinibus de Philosophia scholastica anni I ac II quae audivit bene intellexit eorumque rationem reddere potest;

b) In examinibus de Theologia fundamentali ac dogmatica et in examine de universa Philosophia scholastica illa praeterea cum satisfactione tuetur [136].

§ 3. Suffragia exprimuntur numeris ab uno ad decem, quorum haec est significatio:

1-5 non probatus;
6 probatus;
7 bene probatus;
8 cum laude probatus;
9 magna cum laude probatus;
10 summa cum laude probatus [137]

235. — Ut quis progredi possit cum in ordine ad gradum Societatis tum in ordine ad gradus academicos, probatus sit necesse est in examinibus de omnibus disciplinis, ad normam art. 33 § 3 Constitutionis Apostolicae praescriptis, tam principalibus quam auxiliaribus et specialibus (vel cursibus peculiaribus), salva norma n. 239 [138].

236. — Ut examinatus censeatur probatus requiritur:

a) Si unus fuerit Examinator, ut hic dederit puncta saltem sex;

b) Si duo fuerint Examinatores, ut summa punctorum sit saltem duodecim;

c) Si plures quam duo fuerint Examinatores, ut horum maior pars dederit puncta saltem sex. Excipitur tamen, primo anno cursus tam philosophici quam theologici, examen de disciplina praecipua (Philosophia scholastica et sacra Theologia),

---

[135] Cf. Stat., n. 55 § 1.
[136] Cf. *CD*, dd. 114, 125 § 1.
[137] Cf. Stat., n. 55 §§ 2-3.
[138] Cf. Stat., n. 56.

in quo satis est duos ex quattuor Examinatoribus dedisse puncta saltem sex [139].

237. — Si quis in aliquo examine ad normam n. 236 est probatus, *qualitas approbationis* hac ratione definitur:

a) Si unus fuit Examinator, ipso numero punctorum suffragii;

b) Si plures fuerunt Examinatores, illo numero integro, qui ex summa omnium punctorum divisa per numerum Examinatorum efficitur, qui numerus *quotiens* vocari solet. Quodsi numerus ex divisione effectus seu quotiens contineat fractionem dimidio maiorem, qualitas approbationis definitur numero integro proxime superiore; si vero fractio non est dimidio maior, nulla eius ratio habetur;

c) Hoc autem praescriptum ita intellegendum est, ut, si plures quam duo fuerint Examinatores, qualitas approbationis semper exprimatur punctis saltem sex, etiamsi forte numerus ad normam *b*) computatus (seu quotiens) minor est quam sex [140].

238. — § 1. Qualitas approbationis, cum de toto anno vel pro gradu academico definienda sit, determinatur in hunc modum:

a) Primum, suffragia quae candidatus in singulis experimentis et in singulis examinibus de disciplinis illi anno illive gradui assignatis, ad normam n. 237 obtinuerit, multiplicantur per numerum quendam aestimationis, seu *coefficiens* quod dicitur, singulis his experimentis ac disciplinis, pro eorum momento attribuendum;

b) Deinde, numeri hac multiplicatione effecti, seu *producta* quae vocantur, in unam summam rediguntur;

c) Postremo, haec summa per summam omnium coefficientium dividitur. Numerus qui hac divisione exstat (quotiens), exprimit approbationis qualitatem;

d) Si quotiens fractionem continet, servatur norma n. 237 *b* [141].

§ 2. Numerus ille aestimationis seu coefficiens, de singulis disciplinis ex experimentis in Facultatibus Collegiorum Socie-

[139] Cf. Stat., n. 57.

[140] Cf. Stat., n. 58.

[141] Cf. Stat., n. 59.

tatis accuratius statuitur *peculiaribus Normis,* quae in Appendice inveniuntur [142].

239. — Si quis in uno alterove examine de disciplina auxiliari vel speciali obtinuerit puncta 5, poterit, sive in iudicio singulis annis faciendo, sive in cursus iudicio ultimo, ad gradus approbari, si quotiens illud, quod ad normam n. 238 efficiatur ex omnibus suffragiis (illis non omissis, quibus puncta 5 obtinuit), sit saltem 8 [143].

240. — § 1. Examen de universa sacra Theologia ad Licentiam obtinendam praescriptum, atque examen de universa Philosophia scholastica, repeti nequeunt, nisi ex facultate Generalis, raro nec sine gravibus causis concedenda, et vix umquam si in priore examine candidatus saltem a duobus Examinatoribus non obtinuerit puncta sex [144].

§ 2. Provincialis sine consensu Generalis permittere non potest ut examina annua de Philosophia scholastica et sacra Theologia repetantur, nisi cum examinato ex suffragiis requisitis unum tantum defuerit, et auditis Rectore atque eius Consilio, Professoribus aliisque gravibus viris. Eiusmodi vero permissionem ne concedat nisi raro et gravi de causa neque in eadem Facultate bis eidem [145]. Ratio quoque semper habetur virtutis, ita ut haec gratia non concedatur, nisi humilibus, piis, mortificatis, qui ea non putentur indigni [146].

§ 3. Qui in examine ad has normas repetito suffragia requisita obtinuerit, recuperat omnia iura in priore examine amissa.

§ 4. Cetera examina, minime excepto examine scripto de quo n. 246, 3°, si non superentur, repeti debent. Si quis tamen eodem anno bis in eodem examine ceciderit. Rector rem deferat ad Provincialem, cuius erit decernere utrum illi tertium examen subeundum sit, an potius iure progrediendi in studiis ad gradus academicos et ad gradum Societatis requisitis privandus sit.

241. — § 1. Qui in examinibus de Philosophia scholastica vel

---

[142] Cf. Stat., n. 59 et Append. I; infra, nn. 316-320.
[143] Cf. Stat., n. 61.
[144] Cf. Stat., n. 60.
[145] Cf. *CD*, d. 126, 2°.
[146] Cf. *RS*, Reg. Prov., 19 § 10.

de parte annua Theologiae fundamentalis ac dogmaticae suffragia requisita non obtinuerit, amittit ius progrediendi in studiis ad gradum academicum et ad gradum Societatis requisitis, nisi examine ad normam n. 240 §§ 2-3 repetito, iterum probatus fuerit.

§ 2. Qui non recuperavit ius ad studia in cursu maiore continuanda, studia perficere debet in cursu minore, vel (si versatur in Philosophia) in ordine ad hunc cursum, idque secundum hasce normas:

a) Si in examine obtinuerit saltem puncta quinque, aut a duobus Examinatoribus primo anno cursus sive philosophici sive theologici, aut a tribus Examinatoribus secundo et tertio cursus anno, examen ei non est repetendum;

b) Si ne haec quidem suffragia obtinuerit, examen repetere debet, de illa tamen disciplinae materia, quae a Scholasticis cursus minoris vel in ordine ad hunc cursum exigitur;

c) Si ne tertio quidem tentamine obtinuerit suffragia quae ad cursum minorem sufficiunt, res ad Generalem deferatur [147].

242. — § 1. « Auditores Theologiae moralis in utroque examine de materia annua debent habere suffragia positiva saltem duo ex tribus; quae si non tulerint, examen repetant » [148].

§ 2. In examine de universa Theologia morali, duo vel plures ex designatis Examinatoribus, prout probata Collegii consuetudo tulerit, candidatum interrogent; qui inquirant num doctrinam et principia disciplinae moralis ad locorum ac personarum condiciones recte sciat transferre, ut inde appareat, num « confessiones cum fructu audire possit ».

Ad quod in primis necesse est, ut casus etiam difficiliores qui saepius occurrunt, secundum communem probatorum auctorum doctrinam recte solvat, de aliis vero casibus saltem ostendat se prudenter dubitare atque ad solutionem inveniendam opportune interrogare posse.

§ 3. Ad sacros ordines Scholastici ne promoveantur, nisi de universa hac disciplina examinati sint, et maior pars Examinatorum affirmet, graviter eorum onerata conscientia, eos tantam habere doctrinam ut confessiones cum fructu audire possint [149].

---

[147] Cf. *CD*, d. 126, 1º.

[148] *CD*, d. 127 § 1.

[149] Cf. *CD*, 127 § 2; *RS*, Reg. Prov., 19 § 16.

243. — Qui in Societatem iam sacerdotes admissi sunt, examen de universa Theologia morali, Nostris ante ordines sacros praescriptum, subire debent; interea tamen possunt a Superioribus, data occasione et servatis de iure servandis, in ministerio confessionum occupari, si ante ingressum ad eas excipiendas approbati erant, neque de eorum doctrina prudenter dubitari possit [150].

TITULUS IV

DE COLLATIONE GRADUUM ACADEMICORUM

Caput I

De Baccalaureatu

244. — Baccalaureatus, si ob peculiarem rationem alicui Scholastico conferendus videatur, post secundum curriculi annum conferetur, dummodo candidatus in omnibus primi et secundi anni examinibus satisfecerit [151].

Caput II

De Licentia

245. — Licentia ad normam art. 43 Constitutionis Apostolicae confertur in Facultate Theologica non ante expletum annum quartum ab incepto Theologiae curriculo, in facultate autem Philosophica non ante expletum annum tertium [152].

246. — § 1. Ad gradum Licentiae obtinendum a candidato requiritur:

1° Ut omnibus scholis, ad normam Statutorum nn. 39-41 et 44-46 (supra nn. 130-134 et 162-165) praescriptis, interfuerit et omnia examina de disciplinis ibidem enumeratis superaverit, salvo praescripto n. 239;

---

[150] Cf. *CD*, d. 128 § 2.

[151] Cf. *CA*, a. 7 § 2; a. 41 *a, c;* a. 42; Stat., n. 62.

[152] Cf. *CA*, a. 43 *a, c;* Stat., n. 63.

2° *a*) Ut ad normam Ordinationum art. 29, § 2 Exercitationes statuto tempore frequentaverit et ab earum Professore vel Professoribus, testimonium de iis rite frequentatis ac de labore cum sodalibus collato receperit;

b) Ut de experimento scripto in aliqua Exercitationum schola peracto suffragium positivum ad normam n. 236 obtinuerit;

3° Ut ad normam Ordinationum art. 39 probatus quoque fuerit in Examine scripto, de quo § 2;

4° Ut in examine orali de universa Philosophia scholastica vel de universa sacra Theologia ad normam Ordinationum art. 38, § 1 probatus fuerit [153].

§ 2. In examine scripto, de quo § 1, 3°, hae normae observandae sunt: *a*) Examen fit de materia unius e disciplinis principalibus eo anno quo Licentia conferenda est tradita, ex qua opportuno tempore ad normam n. 233 § 2, *b* definiuntur, sicut alias pro examinibus oralibus, 10 circiter theses seu themata. Ipso autem examinis die ex his proponuntur duo argumenta, quorum alterutrum candidatus seligat et spatio saltem trium horarum tractet. Argumenta proposita ea sint, quibus explicandis candidatus ostendere possit se rem non solum memoria tenere, sed etiam bene intellexisse atque adeo experimentum proprii laboris, qui semper exigendus est, praestitisse. In hoc autem examine uti licet iis libris, qui in oralibus quoque examinabus permittuntur [154].

b) Ad normam n. 220, § 1, *d*, examen iudicatur a Professore disciplinae, de qua fit [155].

c) Si opportunum videatur, examen haberi potest iam antequam examinis de universa Philosophia vel Theologia theses vel puncta tradantur.

Caput III

De Laurea

247. — Laurea ad normam art. 45 Constitutionis Apostolicae confertur in Facultate Theologica non ante expletum an-

---

[153] Cf. *CA*, a. 44; Ord., aa. 37-39; Stat., n. 64.
[154] Cf. Stat., n. 64, 3°.
[155] Cf. Stat., n. 64, 3°.

num saltem quintum ab incepto Theologiae curriculo, in Facultate Philosophica non ante expletum annum saltem quartum [156]. Quare post obtentam Licentiam curriculum studiorum ante Lauream consequendam prorogandum est per annum integrum, in Facultate sive Theologica, sive Philosophica.

248. — § 1. Lectiones et Exercitationes, quae ad normam art. 25 Ordinationum eo ultimo anno continuandae sunt, ita disponantur, ut amplum temporis spatium studio privato ac praesertim dissertationi ad Lauream praeparandae relinquatur. Quamobrem singulis hebdomadis habeantur lectiones quinque, Exercitationes saltem per horam [157].

§ 2. Lectiones sint de disciplinis specialibus vel de cursibus peculiaribus [158]. Eae autem habeantur lectiones et Exercitationes, quae singularum Facultatum proprietati respondeant, eaque ratione ac methodo tractentur, qua Auditores institutionem totius Philosophiae aut Theologiae curriculo iam obtentam altius pleniusque excolere possint.

§ 3. Facultas proponet seriem lectionum et Exercitationum, e quibus singuli Auditores dirigente et approbante Praefecto studiorum vel Decano illas eligent, quae ad propositum finem scientificum melius conducant.

249. — Ad Lauream assequendam, necesse est Licentiatum lectiones atque Exercitationes praescriptas rite frequentasse, examina de rebus in lectionibus traditis exeunte semestri vel anno superasse (salvo praescripto n. 239), testimonium de assiduo in Exercitationibus labore cum sodalibus collato ac suffragium positivum recepisse. Quodsi in examinibus non satisfecerit, ad reliqua experimenta, quae Laurea candidato praescribuntur, nequit admitti [159].

250. — Debet praeterea Laureae candidatus dissertationem scriptam exhibere ad has normas exaratam:

a) Talis esse debet dissertatio, quae candidatum ad investigationes scientificas aptum esse demonstret, et ad scientiae progressum conducat;

---

[156] Cf. *CA*, a. 45 *a*, *c*; Stat., n. 65.
[157] Cf. *CA*, a. 46 § 1; Stat., n. 50.
[158] Cf. Stat., n. 51.
[159] Cf. *CA*, a. 37; a. 46 § 1; Ord., a. 29; Stat., nn. 51, 66.

b) Approbandum est argumentum consentiente Rectore Collegii a Professore disciplinae ad quam dissertatio pertinet;

c) Scribenda est, vel lingua latina vel aliqua ex vulgaribus, quam Rector Collegii audito Consilio Facultatis approbaverit;

d) Tantae sit amplitudinis, quanta requiritur ut argumentum modo vere scientifico explicari possit; cavendum tamen est ne ea exaranda candidatus impediatur, quominus ceteris studiis praescriptis debite vacet;

e) Tria saltem eius exemplaria, nitide scripta Rectori Collegii exhibenda sunt tribus mensibus antequam palam est defendenda [160].

251. — Dissertatio examinanda et iudicanda est a duobus Professoribus rerum de quibus agitur peritis; qui si de ea approbanda dissentiant, tertii Professoris iudicio subicienda. Priusquam autem a censoribus dissertatio approbata est, Licentiatus ad eam palam defendendam admitti nequit [161].

252. — § 1. Ante dissertationis defensionem candidatus superare debet examen orale, ex quo appareat num propositam sibi thesim seu quaestionem rite exponere possit ac potissimum artem docendi calleat. Quare:

1° Examen fiet lectione coram habenda;

2° Quindecim saltem diebus ante tempus examini statutum, candidatus Praefecto studiorum vel Decano exhibebit seriem quaestionum, quas ex una aut pluribus partibus alicuius disciplinae, cui peculiari studio operam dederit, approbante Professore illius disciplinae selegerit, ut de iis in examine interrogetur. Eae autem sint quaestiones, unde ostendere possit, cum soliditatem copiamque doctrinae, tum exponendi ac defendendi facultatem;

3° Septem diebus antequam examen habeatur, Praefectus studiorum vel Decanus cum candidato communicabit argumentum a Rectore approbatum. Hoc autem in praelectione exponendum erit tamquam Theologis cursus maioris, vel, si de Laurea in Philosophia agitur, tamquam Philosophis ad eundem cursum contendentibus;

---

[160] Cf. *CA*, a. 46 § 1, 1°; Ord., a. 41 § 1; Stat., n. 67.

[161] Cf. Ord., a. 41 § 2; Stat., n. 68.

4° Est autem examen unius horae completae; in quo, postquam candidatus per semihoram saltem argumentum explicaverit, Professores de rebus expositis et cum argumento conexis eum interrogabunt eique quaectiones, dubia, difficultates opponent.

§ 2. Suffragium de hoc experimento ferant quinque saltem Professores ad id designati, qui et de merito lectionis et de suffragio ferendo libere inter se agere poterunt [162].

253. — § 1. His experimentis feliciter superatis, candidatus ad defendendam dissertationem admittitur.

§ 2. Dissertatio defenditur sollemniter, invitatis praeter Auctoritates ecclesiasticas aliis quoque viris externis doctrina atque vitae condicione praestantibus.

§ 3. Producitur defensio saltem per horam.

§ 4. Dissertationem impugnant qui scriptam examinaverunt, atque alii duo Professores ad obiciendum et interrogandum antea designati, et si qui alii velint ex iis qui adsunt.

§ 5. Ad iudicium de defensione ferendum quinque saltem nominantur, in quibus censores et Professores ad opponendum designati [163].

254. — Dissertatio, secundum animadversiones censorum aliorumque Examinatorum emendata, typis edenda est, sive tota sive saltem ex parte. Quodsi non tota edenda videatur, ea eligatur pars, quae. de sententia censorum maioris sit momenti, quaeque saltem 25 paginas in-8° complectatur [164]. Provideant autem Superiores ut haec dissertationis rite correctae editio tempestive fiat.

255. — Singularum dissertationum quae typis editae sunt, exemplar mittatur ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, ad omnes Universitates vel Facultates studiorum ecclesiasticorum in tota Societate canonice erectas et approbatas, atque etiam ad alias huiusmodi Universitates vel Facultates, propriae saltem nationis [165]. Bina quoque exemplaria ad Praepositum Generalem mittantur.

---

[162] Cf. *CA*, a. 46 § 2; Ord., a. 41 § 5; a. 42; Stat., n. 69.

[163] Cf. *CA*, a. 46 § 1, 2°; Ord., a. 41 §§ 3-5; Stat., n. 70.

[164] Cf. *CA*, a. 46 § 1, 1°; Stat., n. 71.

[165] Cf. Ord., a. 43; Stat., n. 72.

SECTIO II

De cursu Theologiae minore

TITULUS I

Normae generales

256. — Cursus Theologiae minor dicitur is, qui Scholasticos ad sacerdotium atque ad sacra ministeria secundum leges iuris communis et Societatis Iesu praescripta praeparat, sed neque ad gradus academicos neque ad professionem quattuor votorum est ordinatus.

257. — § 1. Ut Scholasticus ad cursum Theologiae minorem admitti possit, opus est eum universam Philosophiam rationalem biennio saltem absolvisse, ad normam n. 129.

§ 2. In cursu minore continuare debent studia ii Theologi qui in examinibus cursus maioris non obtinuerint suffragia nisi quae ad cursum minorem sufficiunt.

§ 3. Cursus minor integro quadriennio peragendus est [1].

258. — Scholastici cursus Theologiae minoris solide instituantur ad normam canonum 1365 et 1366 C.I.C. Quare in hoc cursu:

1° Ita exponantur sacrae disciplinae, ut Auditores et solida doctrina et eam in contionibus, in scriptis, in scholis adhibendi modo instructi, apti fiant, qui sacrum ministerium non apud humiliores tantum, sed etiam apud excultos laicos et apud clerum cum fructu obire queant [2].

2° Praetermittantur tamen subtiliores de doctrina disquisitiones, quae ad Theologiam scholasticam pertinent; quaestiones vero historico-criticae, quae sive in Sacra Scriptura sive in aliis cursus maioris disciplinis fusius tractantur, in scholis huius cursus propriis, de quibus n. 267, breviter perstringantur.

259. — Scholastici Provinciarum, in quibus quacumque de causa cursus minor rite ordinatus haberi nequeat, ad alias Provincias mittantur, in quibus is cursus est constitutus.

---

[1] Cf. *IC*, 589 § 1; 1365 § 2; *CD*, d. 89 § 1.

[2] Cf. *CG* XXVIII, d. 40, 2°.

260. — Provideat Rector ut Auditores, qui ab alio Collegio vel Seminario, sive intra sive extra Societatem, ad suum transeunt, authentica testimonia afferant, quibus examinatis eorum studia ita ordinet, ut tam iuris communis legibus quam Societatis praescriptis satis fiat.

TITULUS II

Disciplinae tradendae. Exercitia scholastica instituenda

261. — *Disciplinae primariae*:

a) Theologia fundamentalis et quaestiones cum ea conexae ex Introductione in Sacram Scripturam horis * saltem 6, addita una hora repetitionis (disceptationis, circuli) utroque semestri anni primi.

b) Theologia dogmatica: horis saltem 6, addita una hora repetitionis (disceptationis, circuli) utroque semestri annorum secundi, tertii, quarti.

c) Theologia moralis cum pastorali: horis 5, addita una hora repetitionis, semestribus quattuor biennii primi.

d) Sacra Scriptura: horis 5 semestribus quattuor; commendatur, ut una hora repetitionis addatur.

e) Historia ecclesiastica cum Patrologia: horis 2 semestribus quattuor, vel horis 4 semestribus duobus.

f) Ius canonicum: horis 3 semestribus duobus.

262. — *Disciplinae secundariae*:

a) Liturgia: saltem hora 1 uno semestri.

b) Quaestiones Theologiae pastoralis quae in Theologia morali non tractantur, atque Catechetica: hora 1 semestribus duobus, vel horis 2 uno semestri.

c) Ascetica: hora 1 uno semestri [3].

263. — *Exercitia scholastica*:

a) Exercitia Eloquentiae sacrae («Toni»), prout n. 169 praescribuntur.

b) Collatio casuum conscientiae, sicut in cursu maiore (nn. 168 et 186).

---

* Horarum numerus, nisi aliud notetur, de singulis hebdomadis intellegitur.

[3] Cf. *IC*, 1365 §§ 2-3.

c) Exercitia, de quibus n. 272, hora saltem una, annis tertio et quarto, donec materia examinis de universa Theologia tradatur.

264. — § 1. Disciplinae et exercitia, de quibus nn. 261-263, omnibus praescribuntur. Provincialis est audito Rectore constituere, quaenam praeterea e disciplinis auxiliaribus atque specialibus et cursibus peculiaribus, quae in cursu maiore traduntur, Scholasticis cursus minoris sint permittenda aut praescribenda.

§ 2. Curent insuper Superiores ut Scholastici Sacram Scripturam sibi frequenti usu notam faciant et congruens tempus Libris Sacris legendis insumant.

265. — Providendum est ut scholarum numerus singulis annis praescriptus sit fere aequalis.

TITULUS III

De methodo

266. — § 1. Scholastici cursus minoris de Theologia dogmatica et, quoad eius fieri potest, de Theologia fundamentali scholas separatas habent; immo commendatur, ut in maioribus saltem Collegiis Sacra quoque Scriptura et Theologia moralis eis separatim tradantur.

§ 2. Si schola Theologiae moralis utrique cursui communis sit, addatur una hora singulis hebdomadis minoris cursus Auditoribus ad materiam repetendam atque uberiorem acquirendam cognitionem earum rerum, quae ad usum ministerii apostolici spectant. Idem commendatur, si schola Sacrae Scripturae communis sit.

267. — In disciplinis quae Scholasticis cursus minoris separatim traduntur, omnes maioris momenti quaestiones non minus quam in cursu maiore tractandae sunt, sed ad indolem cursus minoris aptatae. Singulis annis iidem Theologiae tractatus eaedemque Sacrae Scripturae partes exponantur quae in cursu maiore. Initium vero totius cursus theologici debet esse Theologia fundamentalis.

268. — In Theologia fundamentali ac dogmatica, quod attinet ad eius substantiam, retineri debet scientifica rerum expo-

sitio « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia »[4], ac methodus scholastica. Quare post explicatam et argumentis ex fontibus theologicis confirmatam Ecclesiae doctrinam exponantur sententiae a Theologis communiter receptae, et praecipuae quaestiones scholasticae inter catholicos controversae summatim indicentur.

269. — Exponantur suis locis etiam quaestiones dogmaticae quae inter catholicos et Orientales separatos controvertuntur[5].

270. — Professores rationem habeant eorum, quae de modo habendi lectiones nn. 89 ssq. statuta sunt, ac solliciti sint, ut Scholastici sacris disciplinis in variis Societatis ministeriis pro rerum, regionum temporumque condicionibus cum fructu addiscant uti. Ad hoc autem maxime proderit nonnumquam brevi exemplo monstrare, quomodo doctrina exposita ad usum deduci possit.

271. — § 1. Scholastici in Theologia fundamentali et dogmatica repetitionibus bene exerceantur, ut potissimum difficultates et quaestiones quae contra christianam religionem passim solent moveri, solvere assuescant. Hae autem repetitiones haberi possunt forma sive syllogistica sive liberioris disceptationis. Difficultates bene praeparentur, proponantur breviter ac presse, clare solideque solvantur.

§ 2. Reliquarum disciplinarum repetitiones fiant ad normam nn. 99-101, habita etiam ratione eorum quae n. 266 § 2 dicta sunt.

272. — Scholastici, ut singuli ad suam mentem proprio labore excolendam magis incitentur et sacra doctrina sollerter uti discant, apta habeant exercitia scholastica in modum sive scholarum sive Academiarum; in quibus moderantibus Professoribus quaestiones ad sacra ministeria praesertim spectantes pertractent[6].

---

[4] *IC*, 1366 § 2.

[5] Cf. Pius XI, *Rerum Orientalium*: *AAS*, XX (1928), p. 284 (Ench. cler., n. 1266); *SCSU, Quod catholicis*: *AAS*, XXII (1930), pp. 146-148 (Ench. cler., nn. 1274-1277).

[6] Cf. *CG* XXVIII, d. 40, 3°.

TITULUS IV

De examinibus

237. — § 1. Scholasticis cursus Theologiae minoris examina subeunda sunt de omnibus disciplinis quas frequentare debent [7].

§ 2. Praeterea post expletum primum biennium habetur examen de universa Theologia morali, in fine quadriennii examen de universa Theologia fundamentali ac dogmatica.

274. — Qui ad normam n. 241 studia philosophica in ordine ad cursum Theologiae minorem continuant, debent subire examina de materia annua earum partium Philosophiae rationalis, quarum examina nondum superaverint [8], et de omnibus praeterea disciplinis, quas forte pro locorum ac temporum necessitatibus Provincialis iis praescripserit.

275. — § 1. Examina de Philosophia scholastica, de quibus numero superiore, atque examina de Theologia fundamentali ac dogmatica et de Theologia morali sunt oralia tantum atque, excepto examine de universa Theologia morali (n. 219 § 3), sub finem anni scholastici subeunda [9].

§ 2. Reliqua examina, quae sunt vel oralia vel scripta, post absolutam in scholis materiam sive annuam sive semestrem habentur eo tempore, quod Rector audito Praefecto studiorum determinaverit.

§ 3. Ad omnia examina oralia Professoribus et Auditoribus utriusque cursus liber patet aditus.

276. — Examinatores, qui ad normam nn. 229 § 1 de singulis examinatis iudicium ferent, debent esse:

a) Quattuor in examine de Theologia morali universa;

b) Tres in examinibus de parte annua Philosophiae, Theologiae fundamentalis, dogmaticae, moralis atque in examine de universa Theologia fundamentali ac dogmatica [10];

c) Unus in reliquis examinibus oralibus, adhibitis cautelis, de quibus n. 220, *c;*

---

[7] Cf. *CG* XXVIII, d. 40, 3°.

[8] Cf. *CD*, d. 87 § 3.

[9] Cf. *CD*, d. 111 § 1.

[10] Cf. *CD*, d. 112.

d) Unus (qui erit disciplinae Professor) in examinibus quae scripto fiunt; quod si dubium oriatur, iudicio Rectoris plures etiam consuli possunt cum iure suffragii.

277. — § 1. Tempus examinibus oralibus tribuendum erit hoc:

a) Hora integra examini de universa Theologia fundamentali ac dogmatica;

b) Semihora examinibus de parte annua Philosophiae, de qua n. 274, Theologiae fundamentalis ac dogmaticae, atque examini de Theologia morali universa;

c) Quarta horae pars examinibus de parte annua Theologiae moralis [11] et de ceteris disciplinis primariis;

d) Decem momenta examinibus de disciplinis secundariis et de aliis disciplinis a Provinciali, ad normam n. 264 fortasse praescriptis.

§ 2. Examinibus quae scripto fiunt, tantum conceditur temporis quantum singularum disciplinarum natura et momento exigitur.

278. — § 1. Materia examinis, sive annui sive semestris, a Professore uniuscuiusque disciplinae Praefecto studiorum approbanda proponitur, et complecti debet praecipua capita eorum quae in unaquaque disciplina a Professore tradita sunt.

§ 2. Ubi utriusque cursus Scholastici Theologiam fundamentalem audiunt in schola communi, Auditoribus cursus minoris sua tribuatur materia examinis propria.

§ 3. Conspectus materiae, de qua in singulis disciplinis examen subeundum est, tempestive cum Auditoribus scripto communicetur ad normas n. 233 § 2.

279. — § 1. Materia examinis de universa Theologia fundamentali ac dogmatica conspectu quodam synthetico complecti debet praecipua capita Theologia fundamentalis ac dogmaticae toto quadriennio traditae, peculiari ratione habita tractatuum qui anno quarto praelecti sunt. Determinatur autem a Rectore cum Praefecto studiorum et ad Generalem mittitur.

§ 2. Auditoribus, ut hoc examen solide et ordinatim praeparare possint, concedantur duo menses, quibus ab omni schola

---

[11] Cf. *CD*, d. 113.

praeter Theologiam dogmaticam vacui materiam examinis dirigentibus Professoribus recolant.

280. — § 1. In omnibus examinibus cursus minoris (uno excepto examine de universa Theologia morali, de quo n. 242 § 3) et in iis qui in ordine ad hunc cursum diriguntur, iudicium est: *satisfecisse* (additis, prout res ferat, particulis quibus modus ulterius significetur), vel: *non satisfecisse.*

§ 2. Satisfacere autem ille iudicandus est qui quae audivit bene intellexit eorumque rationem reddere, atque in Theologia fundamentali et dogmatica doctrinam propositam etiam a communioribus saltem obiectionibus tueri potest [12].

§ 3. In examinibus, in quibus tres sunt Examinatores, requiruntur duo saltem suffragia positiva [13].

281. — Qui suffragia requisita non obtinuerit, examen repetere debet. Quodsi ne in tertio quidem tentamine ea obtinuerit, si quidem de examinibus Theologiae fundamentalis ac dogmaticae agatur, res ad Generalem deferenda est, si vero de aliis, ad Provincialem [14].

282. — Quod attinet ad examen de universa Theologia morali, observentur quae n. 242 §§ 2-3 statuta sunt.

283. — Praescripta n. 222 valent etiam in examinibus cursus minoris et in iis quae in ordine ad hunc cursum habentur.

SECTIO III

De preparatione ad futura ministeria

284. — § 1. Qui ad laborandum in vinea Domini secundum Societatis Institutum se praeparant, sive ad docendi vel scribendi ministerium de Superiorum voluntate accinguntur, sive Operarii vel Missionarii futuri sunt, omnes pariter, nullo graduum aut officiorum discrimine, Philosophia scholastica ac sacra Theologia solide informentur necesse est [1]. Harum enim disciplinarum in-

---

[12] Cf. *CD,* dd. 96, 114.
[13] Cf. *CD,* d. 125 § 1.
[14] Cf. *CD,* d. 126, 1°.
[1] Cf. Const., P. IV, c. 5, n. 1; c. 12, nn. 1, 3; Stat., n. 1 § 1; *AR,* VII (1933), pp. 470-471.

stitutio firmissimum est fundamentum ad omnia Societatis ministeria cum fructu peragenda.

§ 2. Quare caveant Scholastici ab illo errore, quo nonnulli forte adducti futura ministeria potius quam praesentia spectent studia, et quae ad illa putant utilia, ea quidem discere curent, reliqua vera minoris faciant [2].

285. — § 1. Ut munere sacerdotali recte digneque fungantur, magna cura doceantur Scholastici varias Ecclesiae caerimonias peragere, Sacrificium Missae cum devotione et aedificatione celebrare, cetera Sacramenta rite conficere et administrare [3]

§ 2. Opportunis etiam praeceptis atque exercitiis instruantur ad cantandam Missam sollemnem ceterosque cantus liturgicos communiter usitatos digne exsequendos [4].

§ 3. Quicumque ad ordines ecclesiasticos promovendus est, « debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum » [5].

286. — § 1. Eloquentiae sacrae scientia et ars, quam generatim iam ante Philosophiam Scholastici nostri docentur, toto studiorum curriculo excolatur; salva lege qua praescribitur, ut aptiores ad munus contionandi studiis specialibus praeparentur.

§ 2. Quare « Tonorum » atque Eloquentiae sacrae exercitia a perito Moderatore dirigantur, eaque ratione ordinentur, ut Scholastici ab iis quae antea didicerint, ad perfectiora progredi possint [6].

§ 3. Artem quoque recte eloquendi ac bene pronuntiandi Scholastici sibi comparent; quem in finem Praefectus lectionis eos qui in triclinio legunt apte dirigat [7]. Etiam viros huius artis singulariter peritos arcessere interdum proderit.

§ 4. Feriis minoribus, quae ante studiorum instaurationem aguntur, tam Philosophi quam Theologi unam alteramve contionem conscribant, quam a Moderatore contionum accurate re-

---

[2] Cf. Const., P. IV, c. 6, n. 2; Reg. Schol., 2.

[3] Cf. *IC*, 1365 § 2; Const., P. IV, c. 8, nn. 2, 4.

[4] Cf. *IC*, 1365 § 2.

[5] *IC*, 996 § 1.

[6] Cf. Const., P. III, c. 1, n. 21; P. IV, c. 8, n. 3; *CG* XXVIII, d. 41, 4º, 6º; *AR*, VII (1933), p. 464; supra, nn. 137, 169.

[7] Cf. Const., P. III. c, 1, n. 21; P. IV, c. 8, n. 3, *C;* Reg. Praef. lect. ad mens., 2, 3.

cognitam et ad eius animadversiones emendatam, intra annum in triclinio coram communitate habebunt. Ut autem haec exercitia utiliter fiant, in singulis Collegiis aptus contionum Moderator constituatur, qui aliis occupationibus ita sit vacuus, ut Scholasticos in contionibus bene componendis, corrigendis, pronuntiandis vere iuvare possit [8].

287. — Cum Exercitia Spiritualia S. P. Ignatii rite tradita nostri temporis necessitatibus singulari modo conveniant [9], ac summi sit momenti Nostros in hoc armorum spiritualium genere tractando dexteritatem habere, Scholastici iam studiorum tempore ad ea melius in dies pernoscenda apta ratione iuventur, ut et eorum reddere rationem possint et modum ea tradendi paulatim addiscant [10].

288. — § 1. Traduntur Theologis quaedam lectiones de scientia et arte catechetica, quibus optimam praesentique aetati accommodatam methodum edocti, efficacius deinde, sive in Collegiis externorum sive in ecclesiis, doctrinam christianam explicare possint [11]. Provideant etiam Superiores, ut in Scholasticorum bibliothecis praesto sint huius scientiae libri ex melioribus selecti.

§ 2. Optandum est ut Scholastici secundum antiquam Societatis consuetudinem studiorum quoque tempore, in minoribus quibusdam huius artis ministeriis, sub apto Moderatore se exerceant, ea tamen moderatione, ut studia detrimentum non patiantur [12].

289. — § 1. Apostolatus noster, quamquam principia quibus nititur mutationibus non sunt obnoxia, condicionibus tamen temporum ac regionum necessitatibus respondere debet, Quare, praeter cetera quae in Theologia morali cum pastorali traduntur, accurate doceantur Scholastici variam agendi rationem cum fide-

---

[8] Cf. *CG* XXVIII, d. 41, 6º.

[9] Cf. Pius XI, *Mens Nostra*: *AAS*. XXI (1929), pp. 691-692; *CG* XXVIII, d. 30, 1.

[10] Cf. Const., P. IV, c. 8, n. 5.

[11] Cf. *IC*, 1365 § 3; *SCSU, Ad Regnum Iesu Christi*: *ASS*, XVIII (1926), pp. 453-455 (Ench. cler., nn. 1215-1219); *Quod catholicis*: *AAS*, XXII (1930), p. 148 (Ench. cler., n. 1278): S. C. Conc., *Provido sane*: *AAS*, XXVII (1935), pp. 145-154; Ord., Append. I, 1; Const., P. IV, c. 8, n. 6;*CD*, d. 136 §§ 1, 2; *AR*, VIII (1935), pp. 156-161.

[12] Cf. *AR*, VII (1933), p. 478; supra, n. 47 § 5.

libus variae condicionis, classis, aetatis, ut omnes ad quos ministeria nostra diriguntur, ad vitam christiane agendam efficaciter adiuvare possint [13]; diligentius etiam addiscant modum iuvandi proximos ad bene moriendum, cum evtremum illud vitae tempus tanti sit momenti « ad finem ultimum aeternae felicitatis consequendum » [14]. Enixe quoque curandum est ut Nostri, secundum Sanctae Sedis desideria, « Catholicae Actionis naturam atque munia pernoscant » [15].

§ 2. Ut et singulorum vita et tota societas humana secundum Evangelii doctrinam efficacius conformetur, conducet etiam praescripta et commendationes Ecclesiae de variis consociationibus operibusque religiosis ac socialibus cognita habere. Quare de his Scholastici sive aliquem ex optimis Operariis nostris audiant sive alio quodam modo instruantur. De illis vero operibus praecipue agatur, in quae Societas peculiari ratione incumbit, ut sunt Congregationes Marianae et Apostolatus Orationis [16].

290. — Ut ad artem scribendi, quae est ex efficacioribus apostolatus subsidiis, Scholastici instituantur, non solum in Iuniorat u, sed reliquo etiam studiorum tempore diligenter in compositione linguis latina et patria sese exerceant, quo et stilum perpolire et diversa argumenta apte eleganterque tractare et evolvere assuescant. Quin et experimenta scripta, a Constitutione Apostolica « Deus scientiarum Dominus » requisita, et reliquae huiusmodi compositiones, non solum scientifice et technice, sed etiam secundum formam littérariam perpoliantur oportet [17]. Quam sermonis puritatem elegantiamque in contionibus quoque scribendis curare studeant.

291. — Institutio paedagogica, quam Professores in primis usu ipso modoque docendi Scholasticis praestent, perficienda erit idoneis lectionibus et exercitiis, quibus futuri Magistri et Praefecti morum ad sua munera rite obeunda instruantur. Qua au-

---

[13] Cf. *IC*, 1365 § 3; Ord., Append. I, 1; *CG* XXVIII, dd. 29-31; Epist., n. 361 § 3.

[14] Const., P. IV, c. 8, n. 7; cf. *IC*, 1365 § 3.

[15] Pius XI, *Observantissimas litteras*, (Ench. cler., n. 1325); cf. Pius XII, Allocutio ad laborantes in Actione Catholica, 4 sept. 1940: *AAS*, XXXII (1940), pp. 362-372.

[16] Cf. *CD*, dd. 223, 226, 228, 229; *CG* XXVIII, d. 29.

[17] Cf. *CG* XXVIII, d. 41, 6°.

tem ratione et quo tempore in variis Assistentiis vel Provinciis id faciendum sit, a Provincialibus assentiente Generali definiatur [18].

292. — Qui ad Missiones exteras destinantur, tempestive ad hoc ministerium rite praeparentur. Idcirco:

1° In ipsam Missionem, quoad eius fieri possit, ea aetate mittantur, qua commode caelo assuefieri et ad mores regionis sese accommodare valeant [19].

2° In Missionibus ante omnia, apta quadam methodo et ratione rite statuta, bene addiscant linguam indigenam, ut Societatis ministeria lingua regionis cum fructu peragere possint.

3° Studia philosophica et theologica, quantum fieri potest, in ipsa Missione perficiant, quo facilius quaestiones philosophicas et theologicas ac leges canonicas in Missionibus scitu utiliores perspectas habeant, atque historiam moresque illarum gentium ac methodum peculiarem eas evangelizandi cognoscant [20].

4° **Si quando studia superiora in Missionum regione fieri** non possint, eis quae sub 2° et 3° praescribuntur, apto modo in patria provideri debet.

SECTIO IV

De Studiis specialibus

293. — § 1. Ut finis Societatis certius et efficacius obtineatur, conentur singulae Provinciae non paucos sibi comparare viros excellentes ad varia munia et ministeria Societatis egregie obeunda. Quare aptioribus tempus congruens propriae praeparationis concedatur [1].

§ 2. Nominatim:

1°) a) Qui ad Philosophiam vel Theologiam scholasticam in Collegiis Nostrorum docendam destinantur, ad hoc munus per

---

[18] Cf. Ord., Append., I, 3; *AR*, VII (1933), p. 467.

[19] Cf. S. C. de Prop. Fide, *Lo sviluppo*, I: *AAS*, XV (1923), p. 309-370; Epit., n. 632.

[20] Cf. S. C. de Prop. Fide, ib.; Epit., n. 361 § 4.

[1] Cf. Const., P. IV, c. 5, n. 1, *C*; *CD*, d. 97 § 1; *AR*, II (1918), pp. 583-590; VII (1933), pp. 471-474.

biennium saltem praeparentur [2], et Lauream in disciplina quam docere debebunt, consequantur;

b) Qui in Collegiis Nostrorum a Sancta Sede inter Facultates agnitis ad reliquas disciplinas docendas destinantur, Lauream congruentem item obtineant [3];

c) Qui ad docendum in Missionibus designantur, illis praeterea studiis peculiari ratione informentur, quae in sua Missione necessaria sunt.

2° Reliqui omnes qui ad docendos, sive Nostros in cursu Theologiae minore [4] vel in Iunioratu [5], sive externos, destinantur, diligenter seligantur atque ad munus cum fructu explendum apte informentur.

3° Qui ad munus contionandi aptiores se praestant et virtutibus ad hoc officium peculiari ratione necessariis sunt instructi, studio Eloquentiae sacrae per biennium vacent [6].

4° Denique Provinciales providere debent, ut numquam desint in Provincia viri qui aliarum quoque scientiarum, quae pro ratione temporum et locorum magis sunt in honore, quibusque increduli adversus Ecclesiam abutuntur, egregie sint exculti [7].

294. — Ad studia specialia seligantur Scholastici, qui et probatae virtutis in primis sint et ingenio polleant [8], et, si ad docendum destinantur, dotibus ad id requisitis satis praediti sint. Habeatur ratio tam profectus in studiis et habilitatis ac propensionis singulorum ad singula ministeria, quam communis boni obtinendi aliarumque condicionum, quae ad finem propositum certius assequendum iuvare poterunt [9].

295. — § 1. Provincialis regulariter quotannis, auditis Rectore, Praefecto studiorum, Decanis, Professoribus suisque Con-

---

[2] Cf. *CD,* d. 97 § 2, 1°; *AR,* II (1918), pp. 410-414; *RS,* Reg. Prov., 10, 16.

[3] Cf. *CA,* a. 21, 2°.

[4] Cf. *CG* XXVIII, d. 40, 1°.

[5] Cf. *CG* XXVIII, d. 41, 7° et 8°; Epit., n. 313.

[6] Cf. *CD,* d. 97 §§ 2, 3° et 4; Wernz, Ordin., n. 64, 4; *AR,* II (1918), pp. 588-590.

[7] Cf. *CD,* d. 97 § 2, 2°.

[8] Cf. *CD,* d. 97 § 3; *RS,* Reg. Prov., 10,

[9] Cf. Const., P. IV, c. 5, *C; AR,* II (1918), p. 584.

sultoribus, aliquot Scholasticos eligat huiusmodi studiis applicandos [10], eosque de hac destinatione tempestive moneat [11].

§ 2. Quae in hac re fuerint statuta, in librum ad hoc destinatum referantur, nec postea, sive ab ipso Provinciali sive ab eius successoribus, nisi gravi de causa, immutentur [12].

§ 3. Qui ad studia specialia designati sunt vel apti censentur, Philosophia ac Theologia peculiari cura excolantur, idque eo magis quo maiores sint difficultates maioraque pericula in disciplinis, ad quas peculiariter se applicare debebunt [13]. Iuventur praeterea ad recte utendum tempore a studiis praescriptis vacuo, atque inducantur ut parvos quosdam commentarios secundum artis scribendi leges componant et linguas exteras addiscant.

296. — Qui studiis specialibus vacant, ne sibi suoque tantum privato labori relinquantur, sed apposite a peritioribus dirigantur et adiuventur. Quare:

a) Quoad eius fiéri possit, illuc mittantur, ubi ceteris paribus praestantiones in sua disciplina Professores et pleniorem librorum aliorumque subsidiorum copiam inveniant [14].

b) Nisi aliud peculiari de causa a Generali permittatur, ii qui ad Philosophiam aut Theologiam scholasticam in Collegiis Nostrorum docendam destinantur, Romam mittendi sunt, ubi biennium Laureae parandae impendent.

c) Romam pariter mittantur qui ad disciplinas Sacrae Scripturae vel rerum Orientis christiani designati sunt.

d) Iis qui ad contionandi munus se praeparent, aptus assignetur institutionis locus ac peritus Instructor, quo duce in diligens Sacrae Scripturae, SS. Patrum, clariorum oratorum studium atque in sanctam veritatum fidei meditationem incumbant; contiones vitae ac necessitati temporum accomodatas scribant, et exerceantur aequa cum moderatione publicis ad populum praedicationibus, quibus aut ipse eorum Instructor aut alius peritus Pater intersit [15].

297. — § 1. Biennia Philosophiae scholasticae et Theologiae

---

10 Cf. *CD*, d. 97 § 3; Reg. Prov., 43-46.

11 Cf. *AR*, III (1920), p. 273; *AR*, VII (1933), pp. 471-473.

12 Cf. Reg. Prov., 47; Epit., n. 332 § 3.

13 Cf. *CD*, d. 97 § 3.

14 Cf. *CD*, d. 97 § 4.

15 Cf. *CD*, d. 97 § 4; *AR*, II (1918), pp. 588-590.

fundamentalis ac dogmaticae ita sint accommodata, ut optimi ad illas disciplinas tradendas informentur Professores.

§ 2. Singillatim, haec in primis sunt observanda:

1° Primo anno fiant lectiones, Exercitationes et examina ad normam nn. 248 et 249; secundo autem anno lectiones et Exercitationes etiam pauciores sint.

2° *a*) Lectionum argumenta ea eligantur, quae ad complenda ac perficienda studia iam peracta peculiari modo conducant;

b) Cum determinatur quae lectiones quaeque Exercitationes singulis Biennistis sint frequentandae, habeatur ratio indolis, propensionis, studiorum iam peractorum, finis ob quem his studiis vacant, muneris ad quod destinantur [16];

3° In lectionibus aliisque experimentis, praeter alia quae ad munus docendi requiruntur, secundum antiquum Societatis usum peculiariter curanda est formatio quam dicunt speculativa.

4° Dedita opera erudiantur Biennistae in docendi methodo, ac praecipue informentur, quomodo lectiones, disputationes, Exercitationes bene praeparare et habere possint, atque adeo ipsi habendis lectionibus ac disputationibus apte exerceantur. Publicis etiam disputationibus et actibus intersint.

5° In Exercitationibus quae primo biennii anno singulis hebdomadis per horam saltem habendae sunt [17], accuratius addiscant varias laboris scientifici methodos.

6° Dissertatio et reliqua ad Lauream praescripta fiant ad normam nn. 250-255.

298. — § 1. Maximi fiat methodicum studium privatum moderantibus Professoribus eo consilio peractum, ut candidati non solum eruditionem suam perficiant, sed praesertim disciplinas suas penitius intellegant atque recto ordine componant.

§ 2. Etsi certae cuidam Philosophiae aut Theologiae parti dent operam, ne tamen neglegant in totius sive Philosophiae sive Theologiae scientifica cognitione proficere [18].

§ 3. Adducantur etiam ut breviorem aliquem commentarium

---

[16] Cf. *RS*, Inst. bienn., 14.

[17] Cf. Stat., n. 50; supra, n. 248 § 1.

[18] Cf. *RS*, Inst. bienn., 5, 11; Wernz, Ordin., n. 60.

de iis, quae in suis investigationibus invenerint, in publicum edant, quippe qui eo animum intendere debeant, ut in sua quisque disciplina et Professoris et scriptoris officio egregie fungi possint [19].

299. — Si cui permissum fuerit ut Lauream in Philosophia aut in Theologia post unum annum assequatur, eius lectiones, Exercitationes, cetera, ordinata sunt ad normam nn. 247-255.

300. — § 1. Professores qui in bienniis docent iis dotibus quae in omnibus Societatis Professoribus ad normam n. 28 postulantur, singulari modo sint ornati, ut et sibi auctoritatem apud Nostros et apud externos concilient et usu ipso atque exemplo methodum docendi investigandique demonstrent.

§ 2. Quodsi candidatus in aliqua suae disciplinae parte vel in aliqua ex auxiliaribus cognatisve disciplinis, ab eximio sive alterius Nostrorum Collegii sive Facultats externae Professore peculiariter iuvari posse videatur, Superiores provideant ut eum consulere, vel etiam eius lectiones, aut tempore biennii aut post biennium absolutum, ad studia perficienda frequentare possit.

301. — § 1. Qui biennio philosophico vel theologico vacant, regantur in studiis a Decano Facultatis vel ab alio, quem Superiores designaverint. Hic singulorum habilitatem, ingenium studia priora, destinationem ex litteris Provincialis cognoscat [20], et provideat ut unusquisque, non multo post inchoatum biennium, aliquem ex Professoribus eligat, qui eius peculiarem curam agat eumque consiliis ac subsidiis adiuvet. Absoluto autem anno academico, Rector Collegii de singulorum habilitate, industria, progressu ad singulorum Provinciales referat, eisque suffragia mittat in examinibus obtenta.

§ 2. Professores valde sibi commendatos habeant eos, qui se ipsis peculiariter dirigendos concrediderint vel ipsis moderantibus dissertationem conficiunt; sibique persuadeant tempus et vires, quas in hanc curam adhibuerint, esse utilissime impensa.

302. — Alia quoque studia specialia, ut Sacrae Scripturae, Iuris canonici, Historiae ecclesiasticae, Rerum Orientis christiani dirigantur iisdem normis, quae de biennio Philosophiae et Theologiae scholasticae statutae sunt, exceptis sane iis, quae ad solas

[19] Cf. Wernz, Ordin., n. 61.
[20] Cf. *AR*, III (1920), p. 274.

has duas disciplinas spectant, ac ratione semper habita Statutorum uniuscuiusque Facultatis, diversae variarum disciplinarum indolis, ministerii, ad quod quis destinatus est.

303. — « Si iudicio Provincialis id expediat, Nostri gradus civiles in Universitatibus, quae ad Societatem non pertinent, accipere et in primis civilem facultatem docendi obtinere possunt; dummodo nec spiritui religioso, neque integrae ac solidae in studiis nostris institutioni detrimentum afferatur ». [21]. Semper autem catholicae Universitates laicalibus, quantum fieri potest, anteponi debent [22].

304. — Qui publicas frequentant Universitates, singuli aliquem habeant a Superioribus approbatum, qui eorum curam suscipiat. Superior autem immediatus de eorum studiis aliisque rebus notabilibus ad illorum Provincialem referat.

305. — Provideant Superiores, ne eis qui studiis specialibus vacant, desint libri aliaque adiumenta ad finem intentum necessaria.

306. — Nostri qui studiis specialibus dant operam, magni faciant artam cum eo qui eorum studia regit et cum reliquis Professoribus consuetudinem, atque ex eorum moderatione et consiliis uberem fructum percipere studeant. Maxime vero cavendum sibi sciant, « ne fervore studiorum intepescat solidarum virtutum ac religiosae vitae amor » [23].

SECTIO V

De anno scholastico et de vacatione a scholis

307. — § 1. Annus scholasticus decem circiter mensium est, quibus expletis per duos menses a scholis vacetur.

§ 2. Hoc vacationis tempore agantur feriae maiores quindecim dierum, per quos Scholastici plane a studiis abstineant et ruri, quantum fieri potest, commorentur.

§ 3. Reliquo vacationis tempore agantur feriae minores, quae ita ordinandae sunt, ut et debita quiete Scholastici frui

---

[21] *CD*, d. 107.

[22] Cf. Epit., n. 325 § 1.

[23] Const., P. IV, c. 4, n. 2; cf. *RS*, Inst. bienn., 1.

possint, et tempus moderantibus Superioribus utiliter studiis quibusdam impendant [1].

308. — Intra ipsum annum scholasticum, ut assiduitas in studiis, ita etiam aliqua remissio necessaria est [2]. Itaque a scholis vacetur: * *a*) a vigilia Nativitatis Domini ad festum Circumcisionis; *b*) a Dominica Quiquagesimae ad feriam III eiusdem hebdomadae; *c*) a dominica Palmarum ad Dominicam in Albis; *d*) a vigilia Pentecostes ad feriam III post Pentecosten [3]. Quodsi aliqui ex his diebus in duos menses feriarum incidant, totidem alii intra annum scholasticum vacationi concedantur.

309. — § 1. A scholis praeterea per totum diem vacetur: *a*) omnibus dominicis et diebus festis de praecepto, de quibus can. 1247 § 1 C. I. C.; *b*) diebus festis SS. Cordis Iesu, Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis B. M. V., Sollemnitatis S. Ioseph, S. Thomae Aquinatis; *c*) diebus festis SS. Ignatii et Francisci Xaverii, utriusque Scholasticorum Patroni S. Aloisii Gonzagae et S. Ioannis Berchmans, S. Roberti Bellarmini, Patroni Assistentiae; *d*) die festo Patroni regionis, qui magna sollemnitate celebratur; *e*) in Commemoratione omnium fidelium defunctorum.

§ 2. Diebus vacationis, de quibus in § 1, exceptis maxime sollemnibus, suum tempus studio privato, academiis, aliis eiusmodi servetur.

§ 3. Singulis hebdomadis dies unus a scholis vacet totus; quo ad villam sive praedium, ubi habetur, mittantur Scholastici [4].

§ 4. Singulis quoque hebdomadis semel, vel ubi probata consuetudo fert, crebrius, post meridiem concedatur ambulatio.

310. — § 1. Praeterea quoniam variis regionum, temporum, personarum condicionibus aliud opus esse potest, in singulis Collegiis, secundum suas cuiusque probatas consuetudines, determinatus vacationum ordo statuatur, qui per Provincialem Generalis approbationi submittatur [5].

---

* Dies vacationis semper intelleguntur cum primo et ultimo.

[1] Cf. Epit., n. 289; *AR*, VI (1928), pp. 118-119; *AR*, VIII (1935), p. 193.

[2] Cf. Const., P. IV, c. 13, n. 5; *RS*, Reg. Prov., 36.

[3] Cf. Epit., n. 288; *RS*, Reg. Prov., 37 §§ 3-6.

[4] Cf. Const., P. IV, c. 13, *F; RS*, Reg. Prov., 37 § 10.

[5] Cf. Const., P. IV, c. 13 n. 2; *RS*, Reg. Prov., 37 § 2; 39.

§ 2. Ordo vacationum statutus et a Generali approbatus constanter servetur.

PARS QUINTA

De officiis Scholasticorum

311. — Animi puritatem custodire et rectam in studiis intentionem habere Scholastici nostri conentur, nihil aliud in his quam divinam gloriam et fructum animarum quaerentes; ad hunc enim scopum studia Societatis diriguntur; et in suis orationibus gratiam ut in doctrinam proficiant crebro petant [1], ut tandem idonei, sicut ab iis sperat Societas, ad vineam Christi Domini nostri exemplo ac doctrina excolendam evadant [2].

312. — § 1. Studium ex oboedientia susceptum secundum mentem Ecclesiae et Societatis magni faciant, ei assidue se dedant ardenterque exoptent in doctrina constanter proficere; illam vero proximae utilitatis inquisitionem, qua praesentem studiorum usum statim oculis cernere velint, evitent.

§ 2. Normas de repetitionibus et disputationibus quae ad eos pertinent, sibi cognitas habeant; omnique studio enitantur, ut illis exercitiis et ipsi « doctrinam penitus cognoscere, dilucide exponere, efficaciter tueri assuescant » [3], et condiscipulos ad idem propositum assequendum adiuvent.

§ 3. Moderantibus Professoribus necessitates sui temporis animo percipere conentur, abstinentes tamen ab intemperanti novitatum studio, quo avocarentur a serio labore solidissimae illius institutionis philosophicae ac theologicae, prae ceteris ad medendum ipsis temporum malis ac necessitatibus tam necessariae.

§ 4. Aliquid temporis vacui, dirigentibus pariter Praefecto studiorum, vel Decano, vel Professoribus, tribuant lectioni privatae; qua non modo res in scholis auditas plenius intellegere, verum etiam animum omni eruditione, quae sacerdotem maxime decet, informare atque excolere studeant.

---

[1] Cf. Const., P. IV, c. 6, n. 1; Reg. Schol., 1.

[2] Cf. Const., P. IV, c. 3, n. 2; *RS*, Reg. Schol., 1.

[3] *CA*, a. 30 § 2.

313. — § 1. Omnes latine loquantur, iis temporibus exceptis quae legitime eximuntur [4]; et « eiusdem linguae scientiam atque usum quam accuratissime percipiant » [5], prout et a Sancta Sede praescribitur [6], et antiquis Societatis traditionibus est consonum [7].

§ 2. Colant itidem, quantum per Superiores liceat tempusque sinat, exterarum studium linguarum, quae et ad scientiam excolendam et ad apostolicum implendum ministerium utilissimae, non raro necessariae sunt [8].

314. — Toto studiorum curriculo duo maxime sibi opus esse meminerint: moderationem Superiorum et rectam studendi rationem, sine quibus labor quamvis assiduus distrahit potius mentem, quam informat. Quare a Superioribus dirigi libenter exoptent, eosque et Professores suos ultro adeant, ut illorum consiliis adiuti aptam laborandi viam inveniant et dona a Deo recepta ad maiorem Ipsius gloriam atque animarum salutem plene excolant.

315. — Quae praeterea in regulis Scholasticorum praescribuntur, fideliter et alacri animo observent.

APPENDIX

De computandis examinum suffragiis

316. — In hac Appendice:

a) Afferuntur et complentur Statutorum normae de coefficiente singulis disciplinis et singulis experimentis attribuendo [1];

b) Accuratius determinatur methodus n. 238 praescripta ad qualitatem approbationis sive de singulis annis sive pro sin-

---

[4] Cf. Const., P. IV, c. 6, n. 13; Epit., n. 294; Reg. Schol., 10; *RS*, Reg. Rect., 8.

[5] Pius XI, *Unigenitus Dei Filius*: *AAS*, XVI (1924), pp. 141-142 (Ench. cler., n. 1189).

[6] Cf. Pius XI, *Officiorum omnium*: *AAS*, XIV (1922), pp. 452-454 (Ench. cler., n. 1154); *Unigenitus Dei Filius*, l. c.

[7] Cf. *CD*, d. 86 § 3; *CG* XXVIII, d. 41, 2º, 4º, 6º.

[8] Cf. *AR*, VII (1933), pp. 478-479.

[1] Cf. Stat., n. 59 § 2; Stat., Append. I.

gulis gradibus academicis definiendam. Annua huius qualitatis computatio necessaria est ad normam n. 239, cum quis in uno alterove examine de disciplina auxiliari vel speciali obtinuerit puncta 5;

c) Claritatis causa quaedam afferuntur exempla computationis tam de singulis examinibus quam de singulis annis et pro singulis gradibus academicis.

Caput I

Normae servandae in computationibus

Art. I — *In computatione annua*

317. — § 1. Coefficiens singulis disciplinis ad normam n. 238 § 2 attribuendum:

a) Disciplinis principalibus (excepta praecipua, id est, Philosophia scholastica et Theologia fundamentali ac dogmatica) et disciplinis specialibus vel cursibus peculiaribus, coefficiens 2;

b) Disciplinis auxiliaribus, coefficiens 1; exceptis in cursu philosophico Quaestionibus scientificis cum Philosophia coniunctis, quibus attribuitur coefficiens 2;

c) Disciplinae praecipuae (id est, Philosophiae scholasticae et Theologiae fundamentali ac dogmaticae), coefficiens aequans summam coefficientium, quae reliquis disciplinis attributa sunt [2].

§ 2. Methodus sequenda in computatione:

a) Suffragia quae candidatus in singulis examinibus anni de quo agitur, ad normam n. 237 definita, obtinuerit, multiplicantur per sua coefficientia, ad normam § 1 determinata;

b) Numeri hac multiplicatione effecti seu producta in unam summam rediguntur;

c) Haec summa dividitur per summam omnium coefficientium;

d) Huius divisionis quotiens exprimit qualitatem approbationis pro anno de quo agitur;

---

[2] Cf. Stat., Append., I.

e) Si quotiens fractionem continet, servatur norma n. 237 *b*.

Art. II — *In computatione ad Baccalaureatum*

318. — § 1. Coefficiens singulis disciplinis attribuendum idem est atque in computatione annua.

§ 2. Methodus sequenda in computatione:

a) Suffragia quae candidatus in singulis examinibus primi ac secundi anni, ad normam n. 237 definita, obtinuerit, multiplicantur per sua coefficientia, ad normam n. 317 § 1 determinata;

b) Numeri hac multiplicatione effecti seu producta in unam summam rediguntur;

c) Haec summa dividitur per summam omnium coefficientium;

d) Quotiens hac divisione effectum exprimit qualitatem approbationis ad Baccalaureatum;

e) Si quotiens fractionem continet, servatur norma n. 237 *b*.

Art. III — *In computatione ad Licentiam*

319. — § 1. *a*) Coefficiens singulis disciplinis attribuendum idem est atque in computatione annua, praeterquam quod:

b) Examini scripto, de quo n. 246 § 2, etiamsi de disciplina praecipua fiat, attribuitur coefficiens 2;

c) Exercitationibus, de quibus n. 119 § 3, attribuitur coefficiens 3;

d) Examini orali de universa disciplina praecipua, de quo n. 246 § 1, 4°, attribuitur coefficiens aequans summam omnium coefficientium, quae reliquis totius curriculi examinibus atque experimentis attributa sunt.

§ 2. Methodus sequenda in computatione:

a) Suffragia quae candidatus in singulis totius curriculi examinibus, ad normam n. 237 definita, atque in experimentis obtinuerit, multiplicantur per sua coefficientia, ad normam § 1 determinata;

b) Numeri hac multiplicatione effecti seu producta in unam summam rediguntur;

c) Haec summa dividitur per summam omnium coefficientium;

d) Quotiens hac divisione effectum exprimit qualitatem approbationis ad Licentiam;

e) Si quotiens fractionem continet, servatur norma n. 237 *b*.

§ 3. Si cui tamen ad normam n. 244 collatus fuerit Baccalaureatus, in computatione ad Licentiam illorum tantum suffragiorum habenda est ratio, quae post Baccalaureatum obtinuerit.

Art. IV — *In computatione ad Lauream*

320. — § 1. Coefficiens singulis disciplinis, experimentis atque dissertationi scriptae attribuendum:

a) Examinibus de disciplinis, de quibus n. 248, coefficiens 1;

b) Exercitationibus, de quibus n. 249, coefficiens 1;

c) Examini orali, de quo n. 252, coefficiens 5;

d) Dissertationis defensioni, de qua n. 253, coefficiens 5;

e) Dissertationi scriptae, de qua nn. 250 et 251, coefficiens aequans summam omnium coefficientium quae reliquis curriculi ad Lauream examinibus atque experimentis attributa sunt.

§ 2. Methodus sequenda in computatione:

a) Suffragia quae candidatus in singulis ad Lauream curriculi examinibus, ad normam n. 237 definita, in Exercitationibus atque in dissertatione scripta obtinuerit, multiplicantur per sua coefficientia, ad normam § 1 determinata;

b) Numeri hac multiplicatione effecti seu producta in unam summam rediguntur;

c) Haec summa dividitur per summam omnium coefficientium;

d) Quotiens hac divisione effectum exprimit qualitatem approbationis ad Lauream;

e) Si quotiens fractionem continet, servatur norma n. 237 *b*.

Caput II

Exempla computationum

Art. I — *Computatio singulorum examinum*

321. — § 1. Sit x qualitas approbationis; a, b, c, d, puncta data ab Examinatoribus A (unico vel primo), B (secundo), C (tertio), D (quarto):

Si A solus: $x = \frac{a}{1}$

Si $A + B$: $x = \frac{a + b}{2}$

Si $A + B + C$: $x = \frac{a + b + c}{3}$

Si $A + B + C + D$: $x = \frac{a + b + c + d}{4}$

§ 2. Cum quotiens divisionis fractionem continet:

$x = \frac{7 + 6 + 5 + 8}{4} = 6\frac{1}{2}$: probatus (6)

$x = \frac{7 + 6 + 6 + 8}{4} = 6\frac{3}{4}$: bene probatus (7)

$x = \frac{7 + 8 + 8 + 7}{4} = 7\frac{1}{2}$: bene probatus (7)

$x = \frac{8 + 7 + 9 + 7}{4} = 7\frac{3}{4}$: cum laude probatus (8)

$x = \frac{8 + 10 + 10 + 9}{4} = 9\frac{1}{4}$: magna cum laude probatus (9).

Art. II — *Computatio annua in Facultate Philosophica*

322.

Examina et experimenta	Suffragium	Coefficiens	Productum
Psychol. exper.	5	1 } 3	5
Quaest. scientif.	7	2 }	14
Philos. schol.	8	3	24
Summa		6	43

Summa productorum = 43

Summa coefficientium = 6

QUOTIENS = 43 : 6 = $7\frac{1}{6}$ = 7 = bene probatus.

Unde ex annua computatione huic candidato ad normam n. 239 repetendum est examen de Psychologia experimentali.

Art. III — *Computatio ad Baccalaureatum in Facultate Philosophica*

323.

Examina et experimenta		Suffragium	Coefficiens	Productum
Anno I	Psychol. exper.	5	1 } 3	5 } 48
	Quaest. scientif.	8	2 }	16
	Philos. schol.	9	3	27
Anno II	Quaest. scientif.	6	2 } 4	12 } 50
	Histor. Philos.	7	2 }	14
	Philos. schol.	6		24
Summa			14	98

Anno I:
- Summa productorum = 48
- Summa coefficientium = 6
- Quotiens (annuae computationis) = 8

Anno II:
- Summa productorum = 50
- Summa coefficientium = 8
- Quotiens (annuale computationis) = $6\frac{2}{6} = 6$

Summa productorum de utroque anno: 48 + 50 = 98

Summa coefficientium de utroque anno: 6 + 8 = 14

QUOTIENS = 98 : 14 = 7 = bene probatus.

Unde candidatus ex computatione anni I liberari potest a repetendo examine de Psychologia experimentali, quia quotiens attingit 8.

Art. IV — *Computatio ad Licentiam in Facultate Theologica*

324.

	Examina et experimenta	Suffragium	Coefficiens			Productum	
Anno I	Theol. mor.	6	2	7	14	12	101
	Ius canon.	8	2			16	
	Hist. eccl.	9	2			18	
	Ling. hebr.	6	1			6	
	Theol.. fund.	7		7		49	
Anno II	Theol. mor.	7	2	7	14	14	95
	Ius canon.	7	2			14	
	Hist. eccl.	6	2			12	
	Ling. graec. bibl. . .	6	1			6	
	Theol. dogm.	7		7		49	

Examina et experimenta		Suffragium	Coefficiens			Productum	
Anno III	S. Script.	7	2			14	
	Ascetica	6	1	4		6	
	Quaest. Orient. . . .	6	1		8	6	62
	Theol. dogm.	9		4		36	
Anno IV	S. Script.	7	2			14	
	Disc. spec.	5	2			10	
	Liturg.	8	1	10		8	76
	Exam. script.	10	2			20	
	Exercitat.	8	3			24	
	Theol. univ.	8	46			368	
	Summa . .		92			702	

Summa productorum de singulis annis 101 + 95 + 62 + 76 = 334
Productum in examine de universa sacra Theologia 368

Summa omnium productorum . . . 702

Summa coefficientium de singulis annis 14 + 14 + 18 + 10 = 46
Coefficiens in examine de universa sacra Theologia 46

Summa omnium coefficientium . . . 92

QUOTIENS = 702 : 92 = $7\frac{58}{92}$ = 8 = cum laude probatus.

Unde ex computatione ad Licentiam candidatus liberari potest a repetendo examine de disciplina speciali anni IV, quia quotiens attingit 8.

Art. V — *Computatio ad Lauream*

325.

Examina et experimenta	Suffragium	Coefficiens		Productum	
Discipl. cursus I	9	1	14	9	121
Discipl. cursus II	8	1		8	
Discipl. cursus III	10	1		10	
Exercitat.	9	1		9	
Exam. orale (coram)	9	5		45	
Defens. dissert.	8	5		40	
Dissert. scripta	9		14		126
Summa . . .			28		247

Summa productorum: 121 + 126 = 247

Summa coefficientium: 14 + 14 = 28

QUOTIENS = 247 : 28 = $8\frac{23}{28}$ = 9 = magna cum laude probatus.

II. — PRO PROVINCIIS, MISSIONIBUS, DOMIBUS.

68. 24 ianuarii 1941.

2) Alterum maius est: Vicarius hac ratione designatus, ab obitu Generalis usque ad eelctionem euis qui huic succedet, facultates habet ex Instituto nostro valde circumscriptas: nequit enim Superiores maiores mutare, imo neque Superiores locales maiorum domorum; omnia praeterea negotia graviora, nisi vere urgeant, futuro Generali relinquere debet; cetera omnia alicuius momenti agere debet et solvere dumtaxat cum voto deliberativo Assistentium: et id genus alia. Haec, praesertim si bellum in longum protrahatur, maxime vero si (ut verisimile est) convocatio Congregationis Generalis retardanda sit post absolutum bellum, magno damno essent bonae Societatis gubernationi. — Quamobrem demisse postulo, ut, si forte ipse supremum diem obeam dum bellum ardet, Vicarius Generalis, modo quem supra exposui constituendus, eo dumtaxat teneatur, quod in Instituto praescribitur, ut scilicet: « Ad spiritum et sensum Generalis demortui se componat », sed in ceteris plena illa potestate polleat, quam Generali nostrum Institutum tribuit, idque donec Congregatio Generalis indici possit. Indicta vero Congregatione, Vicarius intra limites ab ipso Instituto definitos redibit

Gratias agens etc.

2. **17 maii 1940.**

Conceditur ut, persistentibus extraordinariis conditionibus rerum publicarum, facultates Visitatorum propriae, quibusdam PP. Assistentibus concessae, perseverent, etiam si interea Praepositus Generalis moriatur. — Autogr. Summ. Pont. Pii XII.

Roma, 17 maggio 1940.

Beatissimo Padre,

... Prego Vostra Santità che le facoltà di Visitatori date ai Padri Assistenti per le Provincie, colle quali le comunicazioni sono difficili, e che secondo l'Istituto nostro spirano colla morte

del Padre Generale [1], rimangano in queste condizioni straordinarie in vigore anche dopo la mia morte.

Et Deus

Di Vostra Santità
l'ultimo figlio
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI S. I.
Prep. Gen. d. C. d. G.

Pro gratia iuxta preces
die 17° maii 1940.

PIUS PP. XII

3. **15 decembris 1941.**

Prorogantur ad septennium indulgentiae Noviciis parvum Officium S. Stanislai Kostka recitantibus. — Rescript. S. Paenit. Apost.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

OFFICIUM INDULGENTIARUM
N. 10719/41.

BEATISSIME PATER,

Procurator Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime petit prorogationem gratiae concessae per Rescriptum Apostolicum datum die 21 novembris 1911, quo Noviciis praedictae Societatis, Parvum Officium in honorem S. Stanislai Kostka devote recitantibus, aliquot tribuebantur indulgentiae.

Et Deus, etc.

Die 15 decembris 1941.

Sacra Paenitentiaria Apostolica benigne annuit pro petita

(1) Cf., *Coll. Decr., d. 273; Epit., 813 § 1.*

prorogatione ad aliud septennium servato tenore concessionis in supplici libello memoratae.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

de mandato Eminentissimi

S. LUZIO, *Regens.*

L. ✠ S.

I. ROSSI, *a Secretis.*

4. 21 ianuarii 1942.

Summus Pontifex Congregationum Marianarum Brasiliae operam et spiritum magnopere laudat. — Epist. S. P. Pii XII ad Card. Leme da Silveira Cintra.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 45889

Dal Vaticano, 17 aprile 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

Mi pregio fare avere a Vostra Paternità Reverendissima la copia del venerato Autografo che, destinato dall'Augusto Pontefice all'E.mo Arcivescovo di Rio de Janeiro, era relativo alle Congregazioni Mariane del Brasile (1).

Mi valgo volentieri della circostanza per confermarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Rev.ma
aff.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

(1) Hoc Summi Pontificis autographum communicatum est cum Provinciis compluribus.

A NOSSO DILECTO FILHO

SEBASTIÃO DA S. I. R.

PRESBITERO CARDIAL

LEME DA SILVERIA CINTRA

DO TÍTULO DOS SANTOS BONIFÁCIO E ALEIXO

ARCEBISPO DE SÃO SEBASTIÃO DE RIO DE JANEIRO

PIUS PP. XII

DILECTO FILHO NOSSO

SAÚDE E BÊNÇÃO APOSTÓLICA

Com particular complacência, recebemos o artístico pergaminho que Nos enviou o dilecto Filho Cesar Dainese da Companhia de Jesus, Director da Confederação Nacional das Congregações Marianas do Brasil e com o qual estas Congregações Marianas Nos testemunhavam sua filial adesão; e ao mesmo tempo Nos apresentavam o apreciadíssimo dom de tantos milhares de comunhões, oferecidas ao Senhor, pelo Vigário de Cristo na terra.

Pensamos dirigir-Te esta Carta para que seja mais solene e manifesto o Nosso agredecimento, que Tu, dilecto Filho, transmitirás em Nosso nome a todos os que contribuiram a êste tão valioso ramalhete espiritual.

Esta filial homenagem, de tão copioso e inestimável tesouro espiritual, encheu de consolação o Nosso coração e Nos proporcionou suavíssimo bálsamo, em meio a tantos e tão profundos males que atormentam e convulsionam o mundo.

Maior ainda foi a Nossa satisfação ao saber que as valorosas Falanges Marianas, sob direcção dos Veneráveis Irmãos Arcebispos e Bispos do Brasil, são cooperadoras eficazes na propagação do Reino de Jesus Cristo, e que exercem um fecundo apostolado, por meio de múltiples e variadas obras de zêlo; e isto vem confirmar-Nos ainda mais uma vez, que estas Falanges Marianas ocupam, segundo suas gloriosas tradições, sob as ordens da Jerarquia, um lugar conspícuo no trabalho e na luta para a Maior Glória de Deus e bem das almas, e que são, como fôrça espiritual, de grande importância para a causa cató-

lica no Brasil, como em repetidas ocasiões e com tanto entusiasmo publicamente, dilecto Filho Nosso, tens manifestado, como também o têem feite outros Veneráveis Irmãos no Episcopado.

Com singular agrado vemos também que os membros dêste pacífico exército mariano procuram, diligentemente, não só uma sólida formação espiritual, senão também uma intensa e fecunda actividade apostólica, elementos ambos essenciais a tôda Congregação Mariana; e que temperam, constantemente, suas armas, em frequentes retiros espirituais, e na frágua dos Exercícios que cada ano praticam.

Os Nossos mais vivos desejos são que estas palestras de piedade e apostolado cristão cresçam cada dia mais, cada dia mais se robusteçam numa íntima e profunda vida sobrenatural, cooperem cada dia mais, com seu tradicional acatamento e humilde submissão às normas e direcções da Jerarquia, na dilatação do Reino de Deus e difundam cada vez mais abundantemente a vida cristã nos indivíduos, nas famílias, e na sociedade, seguindo sempre as tradicionais verdades, e principios católicos, que nunca se mudam, senão que permanecem immutáveis com o variar dos tempos e das cousas.

Ao manifestar-Te, dilecto Filho Nosso, o Nosso agrado e Nosso ânimo agradecido por tão precioso presente espiritual, fazemos votos qua a vida das Congregações Marianas que tão valentemente trabalham seja cada dia mais sobrenaturalmente fecunda em frutos de própria santificação e em obras de apostolado cristão.

Testemunho e penhor de Nosso especial amor a estas Falanges Marianas seja Nossa Bênção Apostólica, que a Ti, a todo o Episcopado do Brasil, ao Clero secular e regular e a todos os membros das Congregações Marianas com grande afecto no Senhor enviamos.

Dado em Roma, junto a São Pedro a XXI do mês de Janeiro ano MCMXLII, do Nosso Pontificado, terceiro

PIUS PP XII.

Latina interpretatio.

DILECTO FILIO NOSTRO
SEBASTIANO TIT. SS. BONIFACII ET ALEXII
S. R. E. CARDINALI LEME DA SILVEIRA CINTRA
ARCHIEPISCOPO S. SEBASTIANI FLUMINIS IANUARII
PIUS PP. XII

DILECTE FILI NOSTER,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Singulari animi delectatione pergamenam papyrum opera artificioque perfectam accepimus, quam ad Nos misit dilectus filius Caesar Dainese e Societate Iesu, Director Nationalis Confoederationis Sodalitatum Marianarum in Brasilia, per quem hae Marianae Congregationes et testificabantur propriam erga Nos filialem adhaesionem et simul Nobis exhibebant gratissimum donum tot millium Communionum Domino pro Christi in terris Vicario oblatarum.

Nos hanc cogitavimus ad Te dirigere epistolam, quo solemnior et manifestior appareat animi Nostri gratitudo quam Tu, Dilecte Fili, nomine Nostro cum omnibus illis communicabis qui partem contulerunt ad hunc tam pretiosum flosculum spiritualem praeparandum.

Hoc filiale et obsequiosum donum, quod spiritualem complectitur thesaurum tanti pretii tamque aestimabilem, magno sane affecit solacio cor Nostrum et suavissimum Nobis praebuit lenimentum inter tot tantaque mala, quae mundum vexant atque evellunt.

Maiore adhuc sumus affecti soacio, cum cognovimus istas strenuas phalanges Marianas, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Brasiliae moderantibus, efficaces esse cooperatrices in Regno Christi propagando easque fecundum exercere apostolatum per plura variaque zeli opera; quae omnia denuo magis Nos confirmant phalanges has Marianas, proprias gloriosasque prementes traditiones et sub Hierarchiae regimine, praeclaras suscipere partes in laboribus conatibusque pro maiore Dei gloria et bono animarum, atque ipsas, tamquam vim spiritualem, magni quidem esse momenti pro causa catholica in Brasilia, sicut saepe, dilecte Fili Noster, magno profecto studio et publice palamque Tu ipse declaravisti, quod et alii quoque Venerabiles Fratres in Episcopatu praestiterunt.

Peculiari item gaudio videmus huius pacifici exercitus Mariani socios non solum solidae ipsorum formationi spirituali operam navare sed eodem studio sese tradere intentae atque fecundae acti-

vitati apostolicae, quae duo elementa sunt essentialia pro quavis Mariana Congregatione; eosque frequentes habere recessus spirituales et ad fornacem Exercitiorum singulis annis accedere, quibus arma spiritus temperent.

In Nostris vehementissimis desideriis est, ut istae palaestrae pietatis et christiani apostolatus magis magisque in dies crescant, cotidie intima et profunda vita supernaturali robustiores evadant, cotidie, illa traditionali ipsarum reverentia et humili submissione erga normas et consilia Hierarchiae, magis magisque cooperari satagant in Regno Dei dilatando et abundantius cotidie diffundant christianam vitam in individuos, in familias atque in societatem, sequendo semper traditionales veritates et catholica principia quae numquam profecto mutantur sed immutabilia permanent decursu temporis et rerum mutatione.

Dum hanc benevolentiam Nostram Nostrumque gratum animum Tibi, dilecte Fili Noster, ostendimus pro tam pretioso dono spirituali, vehementer cupimus, ut vita Marianarum Congregationum, quae tam strenue laborant, fecundiores in dies producat fructus supernaturales tam pro propria sanctificatione quam pro operibus christiani apostolatus adaugendis.

Nostri interea specialis erga istas phalanges Marianas amoris testimonium et pignus sit Nostra Apostolica Benedictio quam Tibi, omnibus Brasiliae Praesulibus, Clero saeculari et regulari omnibusque Marianarum Sodalitatum sociis magno in Domino affectu impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 21 mensis ianuarii, anno MCMXLII, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

5. **14 martii 1942.**

Facultas datur Scholasticis nostris, hoc anno sacerdotio designatis, anticipandi sacras Ordinationes. — Rescript. S. C. de Relig.

SACRA CONGREGATIO
DE RELIGIOSIS

N. 2416/42

BEATISSIMO PADRE,

Il Preposito Generale della Compagnia di Gesù, prostrato al bacio del S. Piede della Santità Vostra, umilmente implora la gra-

zia di poter anticipare l'Ordinazione sacerdotale degli Scolastici di Teologia, che dovrebbero riceverla al termine del corrente anno scolastico, in modo che possano anch'essi celebrare la S. Messa il giorno 14 Maggio del corrente anno, nel quale ricorre il Giubileo Episcopale di Vostra Santità.

Che della grazia, ecc.

Vigore facultatum a Ss.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis a Rev.mo P. Praeposito Generali Societatis Iesu, Eidem benigne commisit ut petitam gratiam iuxta preces, prout ipse pro sua prudentia opportunum iudicaverit, concedat, servatis servandis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 14 martii 1942.

VINC. Card. LA PUMA, *Praef.*

L. ✠ S.

† Fr. L. H. PASETTO, *Secr.*

6. **18 martii 1942.**

Summus Pontifex Intentiones Apostolatus Orationis probat. — Epist. Card. a Secret. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 47123.

Dal Vaticano, 18 marzo 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

Giungono sempre gradite all'Augusto Pontefice le « Intenzioni annuali dell'Apostolato della Preghiera », come quelle che Gli ricordano la pia e fervente attività della diletta Associazione, così esemplarmente unita di mente e di cuore al Vicario di Gesù Cristo.

Il Santo Padre ha percorso con vivo interesse sia le intenzioni generali come quelle missionarie per l'anno 1943 e volentieri le approva. Esse ben corrispondono agli urgenti bisogni dell'attuale momento, così grave e così doloroso; che se si pensa

al numero davvero imponente degli Associati all'Apostolato, i quali uniscono fraternamente in una supplica sola le loro innumerevoli voci, non si può non aprire l'anima alle più consolanti speranze, poichè il Cuore dolcissimo del Signore non potrà non venire incontro a così intensa e fiduciosa e concorde preghiera.

Grato quindi alla Paternità Vostra Reverendissima e a quanti si adoperano nel magnifico vasto campo di codesto veramente bello apostolato, in segno di particolare benevolenza, la Santità Sua invia di cuore ai cari Padri della Compagnia di Gesù, ai Direttori, agli ascritti tutti la implorata Benedizione Apostolica.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Reverendissima
aff.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

Reverendissimo Padre
P. Wlodimiro Ledóchowski
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

Intentiones Generales Apostolatus Orationis in annum 1943.

Ianuario: Ut Cor Iesu intentiones generales et particulares Summi Pontificis exaudire dignetur.

Februario: Ut pax inter populos fundetur in principiis iustitiae et caritatis.

Martio: Ut Cor Iesu consociationibus, quae nostris temporibus belli victimarum curam agunt, benedicere dignetur.

Aprili: Ut Opus Pontificium Vocationum Sacerdotalium floreat.

Maio: Ut missio providentialis Sedis Apostolicae pro salute totius mundi clariore luce omnibus appareat.

Iunio: Ut parentes religiosam, moralem et civilem liberorum educationem diligentius curent.

Iulio: Ut Deus, omnium Creator ac Gubernator, a scientiarum cultoribus magis magisque glorificetur.

AUGUSTO: Ut intima cum persuasione, in omnibus, verbo et opere, sentiamus cum Ecclesia.

SEPTEMBRI: Ut ope Missionum paroecialium et Exercitiorum Spiritualium solida pace digni efficiamur.

OCTOBRI: Ut Sacramentum Poenitentiae frequenter et devote recipiatur.

NOVEMBRI: Ut familiare habeamus perfectae contritionis exercitium.

DECEMBRI: Ut semper et ubique pro acceptis beneficiis Deo gratias agamus.

INTENTIONES MISSIONARIAE APOSTOLATUS ORATIONIS IN ANNUM 1943.

IANUARIO: Pro iuventute infideli cui Christus nunquam nuntiatus est.

FEBRUARIO: Ut filii infidelium in scholis missionum fidem inveniant.

MARTIO: Pro iuvenibus catholicis inter infideles dispersis.

APRILI: Ut in missionibus iuvenes catholici aequales suos infideles ad fidem adducant.

MAIO: Ut iuvenes catholici in missionibus spiritu Actionis Catholicae imbuantur.

IUNIO: Ut iuvenes opifices in missionibus christianae vitae officia implere possint.

IULIO: Ut in terris missionum aptissimi inter iuvenes catholicos ad munera in Ecclesiae et Patriae utilitatem suscipienda praeparentur.

AUGUSTO: Ut in familiis neophitarum vera educatio christiana filiis impertiatur.

SEPTEMBRI: Ut in missionibus diligenti puellarum institutione, matres familias christianae praeparentur.

OCTOBRI: Ut in missionibus familiae christianae vocationem filiorum maximi faciant.

NOVEMBRI: Ut in missionibus spiritus catholicus vitam privatam et publicam, atque etiam recreationes pervadat.

DECEMBRI: Ut iuvenibus regionum catholicarum, salus iuventutis missionum maxime cordi sit.

Ut constet quanto studio S. Sedes Intentiones Apostolatus Orationis persequatur, quantoque consilio eae deligantur, praestat afferre hoc documentum:

PONTIFICIUM OPUS A S. PETRO APOSTOLO
PRO CLERO INDIGENA
CONSILIUM GENERALE

PROPAGANDA FIDE
ROMA
—
N. 162/42

Roma, 11 aprile 1942.

REVERENDISSIMO PADRE GENERALE,

il Consiglio Superiore Generale della Pontificia Opera di San Pietro Apostolo per il Clero indigeno, nella seduta del 27 marzo u. s., ha preso atto, con grande compiacimento, dell'iniziativa dell'Apostolato della Preghiera che ha voluto fissare le intenzioni missionarie del 1942 con particolare riguardo al Clero indigeno nelle Missioni ed alla nostra Pontificia Opera.

E' stato pienamente valutato il prezioso apporto di divulgazione che da tale iniziativa proviene, ed il valore immenso di tante preghiere che salgono, così, al Padrone della messe, perchè siano moltiplicati quegli operai di cui tanto, specialmente nelle attuali contingenze, si sente il bisogno.

Il Consiglio Generale ha deliberato di esprimere a Vostra Paternità Reverendissima ed ai Dirigenti dell'Apostolato della Preghiera la profonda gratitudine della Pontificia Opera.

Sono lietissimo di potermi rendere interprete della volontà del Consiglio Superiore Generale e di valermi della felice occasione per rinnovare a Vostra Paternità i sensi del mio distinto ossequio.

Dev.mo in Corde Jesu
† CELSO COSTANTINI, *Pres.-Segr.*

Al Rev.mo Padre LEDÓCHOWSKI WLODIMIRO
Preposito Generale della Compagnia di Gesù.

7. 26 martii 1942.

Radiaesthesiae scrutationes clericis et religiosis vetantur. — Decr. S. C. S. Off.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

R. V. iam fortasse vidit in ephemeride « L'Osservatore Romano » (die 5 apr. 1942) vel alibi Decretum Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii de Radiaesthesia, quod certe mox edetur etiam in Actis Apostolicae Sedis. Sed quoniam aperte mandatur Religiosorum Superioribus, ut ea quae ibi vetantur « suis Religiosis districta ratione prohibeant», meum esse duco illud Decretum cum R. V. recta communicare, ut eius observationem in sua Provincia fideliter curet.

Duo autem facile patent legenti: a) vetari clericis et religiosis « Radiaesthesiae scrutationes quae respiciant consultationes circa personarum circumstantias et eventus divinandos » idque potissimum « ad clericos religiososque ab iis rebus arcendos quae ipsorum officium dignitatemque dedeceant aut eorum auctoritati nocere possint » ad mentem canonum 138 et 139 §1 Cod. Iuris Can.; — b) haec vero decerni « quin tamen quaestiones scientificas de Radiaesthesia hoc Decreto (Sacra Congregatio) attingere velit ».

Commendo me ss. SS.

Romae, die 12 aprilis 1942

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Wlodimirus Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Iesu

SUPREMA SACRA CONGREGATIO SANCTI OFFICII

DECRETUM

Suprema S. Congregatio S. Officii, incommodis mature perpensis, quae in religionis veraeque pietatis detrimentum cedunt ex Radiaesthesiae consultationibus a clericis peractis circa per-

sonarum circumstantias et eventus divinandos, ac prae oculis habitis quae in cc. 138 et 139 § 1 Codicis Iuris Canonici statuuntur ad clericos religiososque ab iis rebus arcendos quae ipsorum officium dignitatemque dedeceant aut eorum auctoritati nocere possint, haec quae sequuntur decernit, quin tamen quaestiones scientificas de Radiaesthesia hoc Decreto attingere velit:

Excellentissimis nempe locorum Ordinariis et Religiosorum Superioribus mandat, ut suis clericis et religiosis districta ratione prohibeant, quominus ad illas Radiaesthesiae scrutationes unquam procedant, quae supradictas consultationes respiciant.

Eorumdem Ordinariorum vel Superiorum Religiosorum erit, si id necessarium vel opportunum duxerint, huiusmodi vetito poenalium sanctionum minas addere.

Quod si quis ex clericis et religiosis hoc vetitum transgrediens recidivus fiat, vel gravibus incommodis aut scandalo locum dederit, Ordinarii vel Superiores id deferant ad hoc S. Supremum Tribunal.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 26 martii 1942.

IOANNES PEPE
Supr. S. Congr. S. Off. Not.

8. **11 maii 1942.**

Declaratio Decreti S. C. de Relig. d. 25 iul. 1941 de egredientibus e Seminariis ut Societatem ingrediantur. — Epist. Card. Praef. S. C. de Relig., ad A. R. Patrem Nostrum.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Cum a nonnullis Provinciarum Praepositis interrogatus fuerim, quo sensu interpretandum esset verbum « egressi » in Decreto « de alumnis admittendis in Seminarium vel in Familiam Religiosam », a Sacris Congregationibus de Religiosis atque de Seminariis et Studiorum Universitatibus dato die 25 mensis iulii anni 1941 (*Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXIII, p. 371), id est num vox « egressi » respiceret etiam Seminaristas qui e Seminario transire

cupiant ad Societatem nostram, dubium proposui Em.mo Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de Religiosis, qui die 11 maii nuper elapsi litteras mihi dedit, quarum exemplar R.ae V.ae mitto.

Secundum hanc responsionem, ab ipso Summo Pontifice approbatam, ad Sacram Congregationem de Religiosis, ad nos quod attinet, non est recurrendum pro admissione eorum qui e Seminario vel Collegio exeunt ad ingrediendam Societatem. Accurate tamen etiam in hoc casu servanda sunt, quae praescribuntur paragrapho tertia citati canonis 544.

Commendo me ss. SS.

Romae, die festo Corporis Christi 4 iunii 1942

R.ae V.ae servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu

EX SEGRETARIA
SACRAE CONGREGATIONIS
DE RELIGIOSIS
—
N. 8230/40 S. R.

Roma, 11 maii 1942.

REVERENDISSIME PATER,

Haec Sacra Congregatio, mature perpenso dubio super interpretatione Decreti diei 25 iulii 1941 circa admissionem exreligiosorum in Seminariis, attentis omnibus ad rem facientibus, rescribendum censuit prout rescribit:

Decretum SS. CC. de Religiosis et Seminariorum non respicere eos qui e Seminario vel Collegio exeant ad amplectendam vitam perfectionis religiosae in aliquo Instituto religioso de quibus satis provisum est in can. 544 par. 3.

SS.mus supradictam responsionem adprobavit in Audientia eiusdem diei.

Quae dum praesto P. T. Rev.mae, Tibi fausta omnia adprecor a Domino, ac permaneo

Eidem Paternitati Tuae Rev.mae
VINC. Card. LA PUMA, *Praef.*
† Fr. L. H. PASETTO, *Secr.*

Rev.mo
Patri Praeposito Generali
Societatis Iesu.

9. **22 maii 1942.**

Probantur lectiones contractae pro festis in Proprio Societatis contentis. — Rescript. S. Rit. Congr.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N.º 1550/942

SOCIETATIS IESU.

Instante Rev.mo P. Tesio, Societatis Iesu Procuratore Generali, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XII tributarum, lectiones contractas iuxta Rubricas legendas, prouti in adnexo prostant exemplari, a se diligenter revisas, probavit et in ipsa Societate Iesu adhibendas benigne concessit. Servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Maii 1942.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

NOTA. — Non ponitur IX Lectio pro Festis, quae in Societate Iesu celebrantur sub ritu 1ae vel 2ae classis (S. P. Ignatii, SS. Francisci Xaverii, Petri Canisii, Roberti Bellarmino, Aloisii Gonzaga, Alfonsi Rodriguez, Omnium Sanctorum S. I.), quia haec Festa semper vel suo vel alio die integra peragi debent. Omittitur vero IX Lectio de S. Francisco Borgia (10 oct.) quia in Breviario Romano pro Ecclesia universali iam habetur; item IX Lectio de B. Ioanne Ogilvie (10 mart.), quia, occurrente Quadragesima, ea legi nunquam potest, ac denique de BB. Rocho González et Soc. (17 nov.) et de B. Iosepho Pignatelli (28 nov.), quia iam cum eorum Officio respective approbata est et cum Societate communicata (cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1936, pp. 45 sq., 435).

Die 1 Decembris

PRO BB. EDMUNDO CAMPION ET SOCIIS MM.

Lectio IX.

Primi ex illis, qui in Anglia, sæviénte per annos fere centum et quinquangínta in cathólicos insectatióne, fidem in primátum Sedis Apostólicæ effúso sánguine obsignárunt, altárium honóres assecúti sunt beáti Edmúndus Campion ejúsque socii. Edmúndus, Londíni natus, Romæ Societátis Jesu nomen dedit. In pátriam Summi Pontíficis jussu revérsus, ómnium ad se ánimos convértit. Indício iniquíssimi proditóris detéctus, súbiit crudelíssimum supplícii genus, quo perduelliónis rei plecti in Anglia solébant, Kaléndis Decémbris anno millésimo quingentésimo octogésimo primo, una cum Alexándro Briant, sacerdóte, qui paulo ante in Societátem Jesu, ut in torméntis vóverat, recéptus fúerat. Anno sequénti, tértio Kaléndas Apríles, martýrio item coronátus est Thomas Cottam, qui Romæ in Societátem adlectus, religiósa vota in ipso cárcere nuncupáverat. His tribus præíverant, Societáte Jesu nondum in Angliam ingréssa, Angli sacerdótes duo, Thomas Woodhóuse et Joánnes Nelson, qui in Societátem admissi, quam in vínculis petíverant, mártyres occubuérunt, alter décimo tértio Kaléndas Júlias anno ejus sáeculi septuagésimo tértio, alter tértio Nonas Februárias anno septuagésimo séptimo. In eádem persecutióne corónam martýrii adépti sunt quinque sacerdótes Angli, quos Romæ Socíetas Jesu alúmnos habúerat. Horum ómnium Mártyrum cultum Leo décimus tértius confirmávit.

Te Deum.

Die 4 Decembris

PRO BB. HIERONYMO DE ANGELIS ET SIMONE JEMPO, MM.

Lectio IX.

Hierónymus de Angelis gente Sículus, Societátis Jesu ab adolescéntia sodális, laboránti Japónicæ ecclésiæ divínitus adfuísse dicéndus est. Damnatis namque exsílio præcónibus Evangélii, remánsit ipse in látebris et Japóniam omnem ultro citróque perménsus, tam multa, tam difficília perfécit, ut natúræ mortális vires supe-

rásse videátur. Yédi a proditóre indicátus, ut piórum domus vexatióne sólveret, prius se voluntáriæ neci offérre quam fuga dilábi deliberávit. Céteris ægre abeúntibus, haud tamen ab amantíssimo magístro divélli pótuit Simon Jempo, ortus in regno Fingénsi, qui, primis vitæ annis sexdecim in Bonziórum cœnóbio tradúctis, fidem ampléxus, Hierónymi assíduus comes et in explicánda divína lege strénuus adminíster, adscríptus nuper fúerat in Societátem. Imperatóris fílius in utrúmque páriter senténtiam dixit, et ambo póstero die concremáti: id est tértio Nonas Decémbris anni millésimi sexcentésimi vicésimi tértii.

Te Deum.

Die 10 Decembris

PRO TRANSLATIONE ALMAE DOMUS B. M. V.

Lectio IX.

Beátæ Maríæ Vírginis natális domus, divínis mystériis consecráta, Angelórum ministério ab infidélium potestáte in Dalmátiam prius, deínde in agrum Lauretánum Picénæ provínciæ transláta fuit, sedénte sancto Cælestíno quinto: eamdémque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est et habitávit in nobis, tum pontifíciis diplomátibus et celebérrima totíus orbis veneratióne, tum contínua miraculórum virtúte et cæléstium beneficiórum gratia comprobátur. Quibus permótus Innocéntius duodécimus, quo fervéntius erga Matris amantíssimæ cultum fidélium memória excitarétur, ejúsdem sanctæ Domus Translatiónem anniversária sollemnitáte in tota Picéni província venerátam, Missa étiam et Offício próprio celebrári præcépit.

Te Deum.

Die 4 Februarii

PRO B. JOANNE DE BRITTO, M.

Lectio IX.

Joánnes de Britto Olyssipóne in Lusitánia natus est paréntibus nobilitáte appríme conspícuis, qui de gravi púeri valetúdine valde ánxii, ut illum servárent, sancto Francísco Xavério dedidérunt. Societátem ingréssus, Indos ac speciátim Madurénsem expeditiónem

appétere cœpit, ac tandem impetrávit. Madúram ut venit, christiánam religiónem per quinque ea regna magno ánimi ardóre propagándam suscépit, dein fústibus concísus, per tríbulos et saxa raptátus, aliísque supplíciis et exsílio mulctátus, míttitur in Európam ad res missiónis procurándas. Appúlsus iterum ad Marávæ regnum, duódecim míllia ethnicórum diébus decem sacro fonte lustrávit. A rege Marávæ, in odiósum castitátis præcónem a brachmánibus præsértim instígato, comprehénsus, contuméliis primum et verbéribus afféctus, deínde jugulátus et obtruncátus, demum mánibus pedibúsque abscíssis, præálto stípiti suffíxus, prídie Nonas Februárii, anno millésimo sexcentésimo nonagésimo tértio, Mártyrum númerum auxit.

Te Deum.

Die 5 Februarii

PRO SS. PAULO, JOANNE ET JACOBO, MM.

Lectio IX.

Taicosáma Japóniæ imperatóre in christiános sæviénte, tres e Societáte Jesu Japónes, Paulus Miki, próxime sacerdótio initiándus, Joánnes de Goto, júvenis scholásticus, et Jacóbus Kisai, coadiútor temporális et catechísta, fidem quam ibi sanctus Franciscus Xavérius magnis sudóribus plantáverat, ipsi suo sánguine irrigárunt. Ob fidei propagatiónem, cum áliis vigínti tribus Ordini sancti Francísci addíctis, comprehénsi, atque extréma sinístræ auris parte in Meacénsi foro públice mulctáti, vili in pláustro per vicos primum hujus, tum aliárum Japóniæ urbium, quo ignomínia et terror látius spargerétur, summa híeme circumducúntur. Tandem Nangasákium perdúcti, parátis in colle crúcibus affigúntur; Paulus e triumpháli illo púlpito ad circumfúsam multitúdinem pro christiána religióne perorávit, illud palam sibi gratulátus, quod in cruce, ut Christus Dóminus, eadémque atque ille ætáte morerétur; donec sínguli ab imis latéribus ad húmeros binis lánceis transfíxi, victríces ánimas cœlo inseréndas emisére, Nonis Februárii, anno millésimo quingentésimo nonagésimo séptimo. Hos omnes Pius nonus Sanctórum fastis adscrípsit.

Te Deum.

Die 7 Februarii

PRO BB. JACOBO SALESIO ET GULIELMO SALTAMOCHIO, MM.

Lectio IX.

Jacóbus Salésius, in Claromontána diœcési natus, miram inde a púero pietátem erga sanctíssimam Eucharístiam et Deíparam Vírginem exhibére cœpit. In Societátem Jesu cooptátus, philosophíam et theologíam dócuit. Guliélmus Saltamóchius, ejus in gloriósa morte sócius, in eádem diœcési Claromontána ortus, et Societátis Jesu coadiútor temporális, oratiónis studio et præsértim obœdiéntia excellébat. Hic anno millésimo quingentésimo nonagésimo secúndo Salésio comes adjúngitur, qui Albenácum in Vivariénsi diœcési témpore sacri Adventus contionatúrus mittebátur. Die sexto Februárii insequéntis anni, Jacóbo et Guliélmo etiam tunc Albenáci degéntibus, hærétici calvinístæ summo mane urbem dolóse cepérunt, statímque duos cathólicæ fídei propugnatóres ad falsæ sectæ minístros deduxérunt. Diem íntegrum iterúmque postrídie acri de augustíssimo Eucharístiæ Sacraménto disceptatióne institúta, Jacóbus et Guliélmus in platéam dedúcti, alter igníta glande et ferro percússus, alter duodevigínti pugiónis íctibus confóssus, optátam palmam adépti sunt. Quos fortíssimos Eucharístiæ Mártyres Pius undécimus in Beatórum númerum réttulit.

Te Deum.

Die 15 Februarii

PRO B. CLAUDIO DE LA COLOMBIÈRE, C.

Lectio IX.

Claudius de la Colombière, in óppido Sancti Symphoriáni de Ozon in Gállia ortus, in Societátem Jesu ingréssus, jam inde a tirocínio exímium religiósæ perfectiónis exémplar sese exhíbuit. Sacerdótio initiátus, heróico plane voto, usque ad óbitum fidelíssime serváto, síngulas vel mínimas Ordinis sui régulas perfécte adimpléndi, sese obstrínxit. Parédium missus, ibi sanctæ Margarítæ Maríæ Alacóque, ad cultum sacratíssimi Cordis Jesu stabiliéndum eundémque per totum orbem propagándum, opportúnum auxílium ei a Dómino promíssum præstitit incredíbili ardóre. Post sesquiánnum, Londínum piæ Eboracénsis ducíssæ contionátor missus, Dei glóriæ ani-

marúmque salúti procurándæ tam felíciter intendébat, ut proptérea contuméliis, calúmniis, cárcere, et dein exsílio ab Ecclésiæ hóstibus impetítus sit. In pátriam revérsus ægrótus, Parédii, die decimoquínto Februárii anni millésimi sexcentésimi octogésimi secúndi, innocentíssimam ánimam efflávit, anno vitæ suæ primo supra quadragésimum vix expléto. Præclárum hunc sacerdótem, secúndum Cor Dei revéra factum, Pius undécimus Beatórum honóribus decorávit.

Te Deum.

Die 21 Februarii

PRO BB. ROBERTO SOUTHWELL ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Inter generósas illas persecutiónis Anglicánæ víctimas, quas Pius undécimus, sacerdótii sui anno quinquagésimo, in Beatórum agmen adnumerávit, Socíetas Jesu vigínti et unum sodáles gratulabúnda salútat, omnes, præter duos, sacerdótio auctos. Gloriósum agmen áperit beátus Joánnes Cornélius, e paréntibus hibérnicis ortus, qui anno millésimo quingentésimo nonagésimo quarto, Elisabétha regína, Dorcéstriæ passus est; illúdque claudit beatus David Lewis, pater páuperum vulgo vocátus, qui anno millésimo sexcentésimo undeoctogésimo, Cárolo secúndo rege, Uskii in Cámbria martýrio coronátus est. E réliquis peculiári memória recoléndus est Nicoláus Owen, qui in húmili coadiutórum temporálium gradu plúrimum de re cathólica méruit complúres sacerdótes látebris a se conféctis mira indústria occultándo. Sed horum ómnium celebérrimus habétur beátus Robértus Southwell, nóbili génere, pietáte ac lítteris excéllens, qui post diutúrnos impigrósque labóres et innúmera perícula, proditórie captus et diu frustra tentátus, tandem die vicésimo primo Februárii, anno millésimo quingentésimo nonagésimo quinto, Londíni ad Tybúrnum láqueo suspénsus et disséctus martýrii palmam est consecútus, annos natus tres supra trigínta.

Te Deum.

Die 25 Februarii
(in anno bissextili die 26 Februarii)

PRO B. DIDACO CARVALHO, M.

Lectio IX.

Acerbíssimo supplícii génere perémptus est Dídacus Carválho, Societátis Jesu sacérdos. Cum rigéret hiems frigidíssima, in algénti lacu jussus est Dei servus véstibus exútus consídere: inde post tres ferme horas semiánimis extráhitur et ad gubernatórem addúcitur, a quo dénuo immíttitur in lacum, ut lenta nece conficerétur. Mutáre tamen statum córporis idéntidem, et nunc jacére, nunc stare et parúmper emérgere jubebátur, ut aucto his vícibus dolóre, constántia ad extrémum usque tentarétur. At vir fortíssimus diu cum morte collúctans, defíxis in cælum óculis, divínas laudes concinébat, et novíssimis verbis christiános astántes ad constántiam in fide hortabátur; nec eum prius vita destítuit, quam post horas ferme duódecim in sævíssimo cruciátu ducta. Incidit præclára beáti viri mors in diem vicésimam secúndam Februárii, anno millésimo sexcentésimo vicésimo quarto, Xendáji, in regno Voxuáno. In Societátem fúerat ascítus Conímbricae, ubi étiam in lucem éditus. In Japóniam missus, et inde exuláre jussus, pétiit Cocincínam, ubi novam fundávit ecclésiam. In Japóniam regréssus, post innúmeros labóres cum magno animárum lucro exantlátos, finem vitæ glorióso martýrio coronávit.
Te Deum.

Die 6 Aprilis

PRO B. JULIANA CORNELIENSI, V.

Lectio IX.

Verténte anno Christi millésimo centésimo nonagésimo tértio, nata est beáta Juliána Retínnæ, in húmili pago Leodiénsi; paréntibus orbáta, quinquénnis sub disciplína religiósa in Cornélii montis ascetério prope Leódium adolévit. Sancti Augustíni régulam ibidem proféssa, ac soróribus suis præpósita, ómnium in se óculos ex austéra sanctáque vivéndi ratióne convértit. Incredíbili ferebátur pietáte erga Sponsum suum cæléstem sub Eucharísticis speciébus laténtem. Coram augústo Sacraménto provolúta divínitus intelléxit instituéndam esse in Ecclésia singulárem Córporis Christi solemnitátem. Ap-

probántibus viris piis et doctis, auctrix fuit ut Robértus Leodiénsis epíscopus in sua diœcési hoc festum institúeret: quod póstea Urbanus quartus, ántea Leodiénsis cathedrális archidiáconus, auctoritáte apostólica ad univérsam Ecclésiam exténdit. Mórtuo Leodiénsi antístite Robérto, in multas et graves tribulatiónes devénit Juliána: nam primum e suo et póstea e Salsiniénsi monastério exturbáta, demum in óppidum Fossæ dedúcta est. Ibi aliquánto post letháli morbo corrípitur et sacraméntis rite muníta, óculis in sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum defíxis, anno ætátis suæ sexagésimo sexto pie obdormívit in Dómino.

Te Deum.

Die 10 Maii

PRO B. JOANNE DE AVILA, C.

Lectio IX.

Joánnes de Avila, cognoménto Magíster, in Hispániæ diœcési Cluniénsi natus est, et sacérdos factus, sacras apud Indos expeditiónes cogitáre cœpit; quaprópter, património in páuperes erogáto, epíscopo Tlascalénsi in Méxicum profectúro ultro cómitem sese óbtulit. Verum Hispalénsis archiepíscopi suasiónibus, Mexicánæ expeditióni apostólicos in Hispánia labóres prætulit. Iis ígitur máximo cum ardóre suscéptis, in eísdem per annos quadragínta quinque, ad mortem usque, constantíssime perseverávit, et præcípuas Bæticæ urbes sacris contiónibus magno cum fructu excóluit. Libros quoque scripsit cælésti plenos sapiéntia, divinásque Scriptúras e cáthedra commentáriis illustrávit. Sancto Ignátio de Loyóla in propagánda per Hispániam Societáte Jesu máximo fuit adjuménto. Sanctis vero Joánni de Deo, Francísco Borgia, Petro de Alcántara et Terésiæ a Jesu consíliis ádfuit. Tandem labóribus morbóque diútino conféctus, Montíliæ piíssime obdormívit in Dómino sexto Idus Maii anno millésimo quingentésimo sexagésimo nono; et illum Leo décimus tértius in Beatorum catálogum réttulit.

Te Deum.

Die 11 Maii

PRO S. FRANCISCO DE HIERONYMO, C.

Lectio IX.

Francíscus de Hierónymo, in Tarentíni agri óppido, cui Cryptáleæ nomen, natus, post suscéptum sacerdótium Societátem Jesu ingréssus est. Pro sacra ad Japónes expeditióne, quam martýrii cúpidus in votis hábuit, Neápoli reténtus, præfectúram Missiónum jussu præsulum accépit. Quo in múnere, quamvis esset córpore grácili, neque satis firma valetúdine, incredíbile dictu est, quanta et quam árdua pro glória Dei et ómnium hóminum salúte plus quadragínta annis égerit, Deo servi sui labóres miráculis confirmánte. Communiónem quam dicunt generálem, síngulis mensis tértiis diébus Domínicis ádeo promóvit, ut sæpe quíndecim míllia fidélium, aliquándo vigínti míllia, aut eo ámplius, ad Eucharísticam mensam convénerint. Plácide efflávit ánimam in Neapolitána domo professórum, die undécima Maii, anno millésimo septingentésimo décimo sexto, ætátis vero suæ septuagésimo quarto. Illum méritis et miráculis clarum Gregórius décimus sextus in Sanctórum album annumerávit.

Te Deum.

Die 16 Maii

PRO S. JOANNE NEPOMUCENO, M.

Lectio IX.

Joánnes, Nepomúci Bohémiæ in óppido natus, unde Nepomucéni cognómen duxit, post suscéptas philosophíæ, theologíæ sacrorúmque cánonum láureas, sacerdótio initiátus, inter canónicos metropolitánæ ecclésiæ Pragénsis cooptátus fuit, et Evangélii coram rege Wencesláo quarto prædicándi províinciam demandátam hábuit. Régiis illum eleemósynis in páuperes erogándis præféctum, Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem ascívit. Cum autem Wencesláus in vítia præceps abriperétur, piæ autem cóniugis obtestatiónes ægre ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judício sacerdóti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei miníster blandítiis, torméntis et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstitit, et cum Wencesláus próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta con-

stántia terróres minásque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfluens noctu dejéctus, illústrem martýrii palmam est consecútus. Benedíctus décimus tértius primum hunc sacramentális sigílli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, sanctórum Mártyrum catálogo adscrípsit.

Te Deum.

Die 21 Maii

PRO S. ANDREA BOBOLA, M.

Lectio IX.

Andréas Bobóla Polónus, in Palatinátu Sandomiriénsi natus, sanctióris vitæ stúdio incénsus patérnis ópibus abdicátis, Societáti Jesu nomen dedit. Sacerdótio initiátus lucrándis Deo ánimis se totum plane devóvit, universámque ferme Lithuániam apostólicis expeditiónibus tanto fervóre ac fructu peragrávit, ut venátor animárum et Lithuániæ apóstolus passim appellarétur. Quibus rebus cathólicæ religiónis hostes ad extrémam efferáti rábiem, Andréam ex insídiis adoríri et ad necem quaérere constítuunt. Quaprópter a Cosácis Photiáno schísmati favéntibus comprehénsus est, qui eum primum véstibus exútum et ad sepem alligátum, virgis crudelíssime cecidérunt; mox vinctum inter duos mílites, qui summos ei húmeros idéntidem secúribus incidébant, Janóviam duxére. Ibi cápitis, mánuum, péctoris pelle detrácta, atque ustulátis ardénti face cárnibus, lábiis naribúsque abscissis, áltero illum óculo et lingua multárunt. Tandem áliis, iísque atrocióribus afféctum supplíciis semiánimem et vulnéribus lácerum humi inter sordes lutúmque pervólvunt, et gémino acínacis ictu confíciunt décimo séptimo Kaléndas Június, anno millésimo sexcentésimo quinquagésimo séptimo. Invictum hunc Christi Mártyrem Pius undécimus Sanctórum albo adscripsit.

Te Deum.

Die 22 Maii

PRO BB. JOANNE BAPT. MACHADO ET SOCIIS, MM.

Lectio IX (1).

Joánnes Baptísta Machádo de Távora in Tértia Azórum ínsula natus, Lusitániam pétiit ac Deo in Societáte Jesu totum se dédidit. Voti peténdi Japóniam compos efféctus, per plures annos Nangasákii párochi munus ita gessit, ut solus multórum instar esset. Demum in ínsula Goto captus, atque Omúram dedúctus in cárcerem conícitur, ubi jam tenebátur sacérdos Franciscánus Petrus ab Assumptióne. Damnáti ambo ad mortem, cervícem bárbaro acínaci præbuére undécimo Kaléndas Június, anno millésimo sexcentésimo décimo séptimo. Aderat triúmphi spectátor Leo Tánaca, Societátis catechísta, qui óperam naváre sólitus Machádo, cum eóque captus in ínsula Goto, quamvis darétur facúltas fugæ, malúerat magistri sortem subíre, quam Christi cultum vel in spéciem desérere. Additus sócius duóbus áliis, quorum alter Dominicánus, alter Augustiniánus, in ínsula desérta Omurénsis provínciæ cum iísdem impávidus et præ lætítia géstiens lictóri caput obiécit. Triénnio post crudelíssime sævítum est Nangasákii in Matthíam Ariménsem, et décimo séptimo Kaléndas Septémbris Cocúræ in Simónem Kyóta et ipsos Societátis catechístas. Ille, aqua bis stómacho ingésta et per summam vim cum sánguine extrúsa, exspirávit; hic vero, quod christiánam legem populáribus explicáret, una cum Magdalena eius uxóre ac tribus hospítibus, cruci, cápite invérso, suffíxus martyr occúbuit.

Te Deum.

Die 24 Maii

PRO B. MARIA VIRG. A STRATA

Lectio IX (1).

Inter románas effígies Beátæ Maríæ Vírginis insígnes illa mérito censétur, quæ vulgo de Strata nuncupátur. Sanctus Ignátius cum primis suis sóciis parvam ædem, quæ in eius honórem secus viam ad

(1) Ponitur hic textus novae lectionis contractae quam simul cum novis lectionibus II Nocturni huius festi eadem S. R. C. approbavit die 11 iulii 1942. (cf. infra pag. 348).

clivum Capitolínum exstábat, frequentáre in eáque ministéria nascéntis Societátis Jesu própria plerúmque exercére cœpit. Quin et ipsam ædem per Petrum Codácio, qui primus ex Italis ei adhaéserat et cúrio ibi erat constitútus, a Paulo tértio obtínuit. Ut autem crescénti cultórum religióni et frequéntiæ fíeret satis, exstrúcto ab Alexándro Farnésio Cardináli magnificentíssimo templo Servatóris Jesu Nómini dicáto, Beátæ Vírginis imágo in sacellum intra novi templi ámbitum eídem excipiéndæ designátum transláta est. Ex illo témpore tantópere crevit hinc pópuli stúdium, inde vero impénsum cliéntibus suis a cælésti Patróna auxílium, ut médio saéculo décimo séptimo ab órdine canonicórum Vaticanórum coróna áurea donata sit, una e primis románis Dominæ Nostræ imagínibus, quibus hic honor concéssus fúerit.

Te Deum.

Die 2 Iunii

PRO B. MARIA ANNA A JESU DE PAREDES, V.

Lectio IX.

María Anna a Jesu de Parédes, Quiti in America meridiónali nata, vix décimum ætátis annum ingréssa se totam Deo arctíssime obstrínxit, tribus emíssis perpétuæ castitátis, paupertátis et obœdiéntiæ votis. Cum laudes audíret trium e Societáte Jesu Mártyrum, qui in Japóniæ regno pro christiána fide sánguinem profudíssent, inusitáto quodam ardóre succénsa, clam se ad iter accinxit, ut apud bárbaras gentes lumen veritátis inférret. Verum cum ínitum éxsequi consílium non posset, in partem suárum aédium interiórem se recépit, nec inde umquam prodíbat in públicum, nisi vel cáritas erga próximos, vel pietátis offícia expléna urgérent. In eo autem secéssu, tamquam in erémo, antíquis severiórum patrum exémplis innovátis, innocentíssimum corpus mirum in modum continénter vexávit. Deus vero fámulam suam multis præclarísque munéribus illustrávit. Mira erga omnes caritáte afféta, vitam dénique ipsam, dum atra lues grassarétur, pro cívium incolumitáte Deo óbtulit, et morbo corrépta placidíssimo éxitu migrávit ad Sponsum, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo quinto, ætátis suæ sexto et vigésimo. Statim post óbitum ex ejus sánguine concréto candidíssimum lílium pródiit, ex quo ipsa Quiténsis lilii nomen obtínuit.

Te Deum.

Die 16 Iunii

PRO S. JOANNE FRANCISCO REGIS, C.

Lectio IX.

Joánnes Francíscus Regis natus in oppídulo Narbonénsis Gálliæ, cui nomen Fons Coopértus, Societátem Jesu ingréssus Tolósæ, humilitáte, obœdiéntia, caritáte, ódio sui, ceterísque vitæ religiosæ virtútibus, excélluit. Absolútis stúdiis, ásperos Vivariénsium, Velaunórum et Forénsium montes, et ingéntes Helviórum tractus, eorúmque colónos miro succéssu suscépit excoléndos. Campéstribus missiónibus hibérno témpore perfúnctus, æstívo revertebátur Anícium, ibíque in nosocomíis et in carcéribus, in privátis aédibus, in cómpitis ac templis omne hóminum genus, ómnibus ómnia factus, sublevábat. Erga álios blandus ac benéficus, in seípsum sæviébat acérrime. Divíno amóre sic erat incénsus, ut illum unum spiráre, loqui, cogitáre viderétur. Miráculis aliísque donis supernaturálibus mire cláruit. Tandem vocátus ad praémia labórum, in Viennénsis diœcésis pago, cui nomen est Lalovéscus, corréptus letháli morbo ex labóribus contrácto spíritum Creatóri réddidit anno millésimo sexcentésimo quadragésimo, die trigésima prima Decémbris, vitæ suæ quadragésimo quarto. Eius sepúlcrum incredíbili populórum per aspérrimos montes úndique confluéntium concúrsu frequentátur. Eum Clemens duodécimus Sanctórum fastis adscrípsit.

Te Deum.

Die 20 Iunii

PRO BB. FRANCISCO PACHECO ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Anno millésimo sexcentésimo vicésimo sexto, novem Societátis Jesu sodáles hac ipsa die præclárum Christo testimónium præbuérunt flammis necáti: tres sacerdótes europaéi, et sex catechístæ, fere omnes Japónes. Céteros dignitáte antecellébat Franciscus Pachéco Lusitánus, præpósitus provinciális, et episcopátus Japonénsis administrátor. Post innúmeros labóres et moléstias tandem intercipitur cum frátribus Petro Rinxéi, Gáspare Sadamátzu, Paulo Xinzúke, Joánne Kinsáco; atque omnes vínculis oneráti Ximábaram abducúntur. Illic paulo post incíderat in mílitum manus, cum Vincéntio

Caum Coreáno, Joánnes Baptísta Zola, sacérdos, Italus, pátria Brixiénsis; álius item sacérdos Balthásar de Torres, Hispánus, cum Michaéle Tozó. Omnes eádem die Nangasákium deportáti, in colle multórum Mártyrum triúmpho iam nobilitáto igne consummáti sunt. Per eándem occasiónem capti, ejúsdem quoque sortis ac glóriæ, etsi póstero mense, partícipes fuére Máncius Aráki, et Matthías eius frater; tres ínsuper viri cum suis uxóribus ac puérulo Ludovíco: omnes prædictórum sodálium receptatóres. Máncius lenta consúmptus tabe in cárcere óbiit; ceteri Nangasákium sunt perdúcti, ubi féminis et Ludovíco amputátæ sunt cervíces, viris lentus ignis adhíbitus. His ómnibus beatórum Mártyrum honóres tribuit Pius nonus.

Te Deum.

Die 3 Julii

PRO B. BERNARDINO REALINO, C.

Lectio IX.

Bernardínus Realíno, Carpi prope Mútinam natus, eménso litterárum et philosophíæ curriculo, jurisprudéntiæ láuream assecútus est in athenaéo Bononiénsi. Primum in Padána regióne, tum in dicióne Neapolitána públicis munéribus summa integritáte et prudéntia perfúnctus, anno ætátis trigésimo quarto, divínitus vocátus ad Societátem Jesu, quam Neápoli floréntem suspéxerat, eídem ascríptus est. Brevi ádeo consummátæ perfectiónis vir evásit, ut novus adhuc sacérdos, in illa probatiónis domo, Patrum consciéntiæ moderándæ ac tirónibus instituéndis præféctus biénnio fuerit. Integro decénnio Neápoli deténtus, instar plúrium erat in salúte animárum procuránda; inde Lýciam missus, ibidem ad mortem usque versátus est. Aliis univérse ac promíscue bonus, uni sibi asper erat Bernardínus. Remótus ab elatiónis perículo charísmatis cæléstibus méruit cumulári; conspéctu beatæ Vírginis et divíni ejus Fílii, amábili spécie infántis obláta, recreári; permúltis dénique miráculis patrándis divínitus adhibéri. Lyciénses ab ipso mox ad Súperos migratúro impetrárunt, ut civitátem suam in perpétuam clientélam suscíperet; et concépta eórum vota superávit evéntus, síquidem post ejus óbitum in ea civitáte multa prodígia, ipso deprecánte, impetráta sunt.

Te Deum.

Die 15 Iulii

PRO BB. IGNATIO DE AZEVEDO ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Anno reparátæ salútis millésimo quingentésimo septuagésimo, die décimo quinto Júlii uno certámine Socíetas Jesu quadragínta viros inter beatórum Mártyrum cœtus cælo transmísit. Horum dux fuit Ignátius de Azevédo portuénsis, qui tum ex Hispánia, tum ex Lusitánia novem supra sexagínta, florénti fere omnes ætáte, sócios elégit, quos secum in Brasíliam addúceret. Ulyssipóne solvens, cælésti mónitu cértior factus est, se brevi cum áliis trigínta novem, qui eádem vehebántur navi, mártyrem futúrum. Jamque ad ínsulas Canárias et in conspéctum urbis Palmæ pervénerant, cum repénte oneráriam adorítur prædónum classis, cui praéerat Jacóbus Sória, Calvinianus. Deditióne facta, illico Sória in Dei minístros senténtiam tulit, omnésque ad unum occídi et in pélagus agi imperávit. E quadragínta unus supérerat rei familiáris adjútor, quem prædónes ad ministéria doméstica útilem sibi fore putavérunt. Ejus loco, ut quadragenárius número explerétur, nóbilis adoléscens, Societátis candidátus, martýrii incénsus desidério, occísi mártyris vestem raptim índuit seque ultro neci óbtulit, et illátam fórtiter pértulit. Horum ómnium cultum Pius nonus redintegrándum confirmandúmque decrévit.

Te Deum.

Die 27 Iulii

PRO BB. RODULFO ACQUAVIVA ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Salsétas, Goánæ diciónis pænínsulam éthnicis habitátam, fuso sánguine fecundárunt anno sesquimillésimo octogésimo tértio, die Julii vicésima quinta, quátuor e Societáte Jesu sacerdótes, Rodúlfi Acquavíva, fílius Hátriæ ducis, Alfónsus Pachéco, hispánus e Minávæ dynástis, Petrus Berno, domo Ascóna Helvetiórum, Antónius Francísco, lusitánus, cum sodáli adjutóre Francísco Aránha, bracharénsi. Cum enim ædi sacræ situm delectúri Coculíno pago hi quinque propinquássent, ethnicórum perditíssimi, mox ad ultiónem ido-

lórum prorúmpunt armáti, quemque áliis præésse norant, Rodúlfum invádunt, utque ipse, cæsis ictu primo poplítibus, in génua eréctus collum ferro porrigébat, quátuor aliis vulnéribus necant; ejúsque socios pari crudelitáte varia ratióne interfíciunt; ac demum cæsórum córpora in cœnósum púteum projíciunt. Edúctis e púteo corporibus tértio post necem die, vivus e vulnéribus fluidúsque sanguis manábat; quin et post annos centum trigínta tres vivo adhuc rubóre quasi recens idem sanguis appáruit. Prætérea púteus ipse fons cœpit esse miraculórum, et sanguis mártyrum semen christianórum. Leo décimus tértius hos Christi púgiles beátis Martýribus annumerávit.

Te Deum.

Die 11 Augusti

PRO B. PETRO FABRO, C.

Lectio IX.

Petrus Faber, Villaréti in Sabáudia natus, Lutétiæ Parisiórum, in collégio sanctæ Bárbaræ, præter Franciscum Xavérium contubernálem hábuit Ignátium de Loyóla, qui eum tum privátis collóquiis, tum spirituálibus exercítiis excúltum, in instituénda Societáte Jesu ómnium primum sodálem primúmque sacerdótem sibi adscívit, et in monte Mártyrum, concépto voto, ad majórem Dei glóriam salutémque animárum procurándam cum áliis ejúsdem propósiti sóciis addúxit. Post firmátam Romæ apostólica auctoritáte Societátem, Petrus, jussu Pontíficis, missus est in plures Európæ regiónes. Cum plúrima pro Dei glória et animárum salúte continénter ágeret, ádeo erat Deo conjúnctus, ut nihil præter cæléstia curáre viderétur. Ex Hispánia, jussu Pauli tértii, Romam revocátus, nulla interpósita mora, licet víribus fractus, íllico iter arrípuit ac exeúnte Júlio in Urbem venit, cum jam fervérent ómnia æstívis calóribus. Quare malígna febri corréptus, inter consuétas Ecclésiæ et caríssimi paréntis Ignátii et sociórum preces, placidíssimo éxitu decéssit Kaléndis Augústi, anno millésimo quingentésimo quadragésimo sexto, ætátis suæ quadragésimo vix expléto. Cultum ei statim ab óbitu tribútum Pius nonus confirmávit.

Te Deum.

Die 25 Augusti

PRO BB. MICHAELE CARVALHO ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Michaélem Carválho, Brácharæ in Lusitánia ortum, necdum vicénnem Socíetas Jesu excépit. In Japóniam missus, inter médios labóres apostólicos detéctus in ínsula Amacúsa, conjéctus est in cárcerem. Tres álii diversórum Ordinum sacerdótes et unus láicus in eódem cárcere servabántur: commúne et capitále ómnibus crimen dissemináta Christi relígio. Edúcti octávo Kaléndas Septémbris anno millésimo sexcentésimo vicésimo quarto ad rogum, lento igne consúmpti mártyrum númerum auxérunt. Eódem anno, eodémque mortis génere perémptus est in ódium christiánæ fídei Cajus Coreánus Societátis Jesu catechísta: qui a Taicosámæ milítibus in Japóniam transvéctus, lumen evangélicum aspéxit in terra aliéna. Prodúctus ad supplícium áltera tantum manu stípiti alligátus, in génua supplíciter procúbuit, Deúmque pia laude venerátus mortálem vitam cum æterna commutávit: vir mérito memorándus inter primos e Coreánis fídei assertóribus, qui mártyrum honóres Sedis Apostólicæ judício adépti sunt.

Te Deum.

Die 3 Septembris

PRO BB. ANTONIO IXIDA ET SOCIIS, MM.

Triumphálem Japonénsium Mártyrum cohórtem auxére anno millésimo sexcentésimo trigésimo secúndo sex religiósi, inter quos numerabátur Antónius Ixída, ortus Ximábaræ, Societátis Jesu présbyter. Capti, et diu in custódiis vexáti, tandem ad avernáles Ungéni montis vorágines omnes rapiúntur. Ibi plenam æstuántium aquárum trullam, forámine medíocri ad imum terebrátam, ita nudátis corpóribus circumferébant, ut jactus prosiliéntis aquæ unamquámque membrórum partem subínde everberáret. Distíncta sanguíneis notis primo tumescébat cutis; mox scindebátur, vúlsaque vivas aperiébat carnes ignito liquóri, quo ter in orbem toti perfundebántur. Mora deínde, quanta recipiéndis víribus satis, interpósita, per mensem séxies quólibet die torquebántur eúndem in modum. Póstea missi in cárcerem et Nangasákium perdúcti, ibi post octo menses lentis con-

súmpti flammis, tértio Nonas Septémbris anni millésimi sexcentésimi trigésimi secúndi tenuíssimam vitæ partículam, quæ illis adhuc ínerat, pro Christo tradidérunt.

Te Deum.

Die 4 Septembris
(in Gallia die 2 Septembris)

PRO BB. JACOBO BONNAUD, GULIELMO DELFAUD, ALEXANDRO LANFANT ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

In horrénda illa rerum publicárum eversióne, quæ labénte saéculo décimo octávo in Gállia exarsit, ineúnte mense Septémbri anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi tres sacrórum Antístites aliíque quamplúrimi sacerdótes, tam sæculáres quam regulári, et nonnúlli fidéles, ob iníquum jusjurándum ab iis constánter denegátum, in ódium fídei crudéli nece mactáti sunt. Quos omnes centum nonagínta unum Pius undécimus beatórum Mártyrum número adscrípsit. Has inter beátas victimas Societas Jesu viginti tres sacerdótes, eídem ante ejus dispersiónem adscríptos ejúsque spirítui constánter adhæréntes, jure sibi vindicáre potest. Tres potíssimum inter eos eminébant: Jacóbus Bonnaud, vicárius generális archiepíscopi Lugdunénsis, qui iníquis légibus strénue semper réstitit et clerum sibi commíssum verbo et exémplo dócuit; Guliélmus Delfaud, archiprésbyter in diœcési Petrocoricénsi et Sarlaténsi, qui in ipso legislatívo cœtu, Ecclésiæ jura impávidus defféndit; Alexánder Cárolus Lanfant verbi Dei præco exímius, qui contionátor régius fuit. Sed et réliqui omnes, apostólico zelo insígnes et sacerdotálibus virtútibus instrúcti, ad extrémum pro Christo certámen accessérunt et victóriam cum Christo adépti sunt.

Te Deum.

Die 6 Septembris

PRO BB. THOMA TZUGI, MICHAELE NACAXIMA ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Thomas Tzugi gente Japon, pátria Omuránus, Societáti Jesu adoléscens nomen dedit. Sacerdótio initiátus, pérdiu tractum Omurénsem excóluit. In illa atrocíssima tempestáte, quæ omnes ómnium

Ordinum religiósos Japònia éxpulit, Thomas recépit se tantísper Mácaum: tenéri tamen diútius non pótuit, ne Japóniam repéteret. Paulo post captus, Nangasákii annum íntegrum mansit in cárcere. Ad rogum cum Aloísio Maquin et Joánne hospitibus lætus perréxit. Ambéso flammis córpore, aiunt diffíssum esse repénte Thomæ pectus in duas partes, ex eóque hiátu emicuísse flammam ingéntem ac lucidíssimam. Eodem témpore tenebátur in cárcere Michaël Nacaxíma, jam in Societátem Jesu ascítus. Edúctus e custódia fústibus caéditur, calidíssimo soli uréndus subjícitur; collocátur in mensa supínus, et idéntidem aqua ad summas usque fauces implétur, quam mox, conculcáto ventre, emíttere cum sánguine cógitur; ad Ungénum montem edúcitur ubi sulphúreis et ebulliéntibus undis támdiu est perfúsus, quoad laceráto et putrescénte omni ex parte córpore, invíctam ánimam Deo réddidit octávo Kaléndas Januárii.

Te Deum.

Die 7 Septembris

PRO BB. MARCO CRISINO, STEPHANO PONGRACZ ET MELCHIORE GRODECZ, MM.

Lectio IX.

Marcus Crisínus, Crísii in Croátia natus, Romæ in Collégio Germánico sacerdótio initiátus, inter canónicos metropolitánæ ecclésiæ Strigoniénsis cooptátus, tandem Cassóviam missus fuit ad bona abbatíæ Sceplacénsis administránda. Ibídem et in vicíniis per id tempus in cathólicis confirmándis et hæréticis reducéndis insudábant duo presbýteri Societátis Jesu, Stéphanus Pongracz et Melchior Grodecz, cum Geórgius Rakóczy, ab hæréticis accítus, Cassóvia potítus est, et íllico tres sacerdótes cathólicos in custódiam trahit. Coácto civitátis consílio de eórum cæde decrétum est; igitur post médiam noctem inter diem sextam et séptimam mensis Septémbris anno millésimo sexcentésimo décimo nono immíssi carnífices omnes tres crudelíssime cædunt, véstibus exútos ac laqueáris trábibus suspénsos, ardéntibus fácibus ústulant, donec detéctis cóstulis víscera difflúerent. Demum adventánte die, demíssos e trábibus Crisínum et Grodecz cápite obtrúncant, Pongracz acínace in cápite bis percútiunt, et córpora in latrínam detrúdunt. Verum hic spirábat adhuc, nec nisi post vigínti et ámplius horas ad cæléstem corónam evolávit. Pius décimus hos Christi athlétas Beatórum albo accénsuit.

Te Deum.

Die 9 Septembris

PRO S. PETRO CLAVER, C.

Lectio IX.

Petrus Claver, Hispánus, Verdúni natus, Societáti Jesu nomen dedit adoléscens móribus innocentíssimis. In Baleárium máxima a sancto Alfónso Rodríguez, qui multa de futúro eius apostolátu divínitus accéperat, paratos sibi labóres edóctus est. Carthágine nova in América Meridionáli sacerdótio auctus, Nigrítis turpi mercátu illuc abdúctis vitam suam, interpósita sacraménti fide, plane devóvit. In his autem fovéndis, nutriéndis, curándis, doctrína christiána imbuéndis et baptizándis dici vix potest quanta patiéntia et caritáte annos ámplius quadraginta insudáverit. Quamplúres a médicis desperátos súbito sanitáti restítuit, multis oculórum lúmine captis visum réddidit, tres a mórtuis excitávit. His excéllens méritis atque virtútibus heróicis annos expléverat quátuor et septuagínta, cum die natáli Deíparæ, quam tenérrimo colúerat afféctu, ad Caélites migrávit. Eum Leo décimus tértius caélitum Sanctórum fastis adscrípsit atque Patrónum cæléstem peculiárem sacrárum ad Nigrítas missiónum constítuit.

Te Deum.

Die 10 Septembri

PRO BB. CAROLO SPINOLA ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Anno christiáno millésimo sexcentésimo vicésimo secúndo, uno die ac loco vigínti duo viri ex váriis Ordínibus religiósis, et omnis ætátis ac sexus christiáni trigínta Nangasákii in Japónia nobilíssimum martýrium fecérunt. Omnium véluti dux fuit Cárolus Spínola e Tassaróli dynástis, claríssima inter Genuénses família ortus. Hic in Societátem Jesu ingréssus, viginti annos plurimórum salúti perútiles in missióne traduxerat, donec comprehénsus, Omuráni cárceris angústias toto fere quadriénnio patientíssime pértulit. Die præfiníta omnes Omurénsis cárceris víctimæ flammis devótæ Nangasákium iam procésserant; ítidem áderant álii cápite plecténdi, e custódiis Nangasakiénsibus nuper immíssi. Obtruncátis Christi milítibus triginta, et eórum capítibus ante óculos aliórum in mensa collocátis ad terrórem, infértur ignis: primus cécidit Cárolus, últimus Cároli

collḗga, Sebastiánus Kimúra, cum tres horas vim ignis pertulísset. Ita demum acérrimum désiit certámen, in quo Socíetas Jesu duódecim coronátos mémorat; sacerdótes duos, scholasticos septem, catechístas duos, præter Ambrósium Fernández adjutórem doméstícum qui paulo ante ærúmnis conféctus obíerat in cárcere.

Te Deum.

Die 25 Septembris

PRO BB. CAMILLO COSTANZO, AUGUSTINO OTA ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Camíllus Costánzo in ulterióre Calábria natus, primum sæculári milítiæ, deínde Societáti Jesu sese adiúnxit. In missióne Japónica et verbis et scriptis apostolátui strénue incúbuit, úsquedum prope Firándum cápitur et jussu imperatóris flammis addícitur. Ad Tabíram e regióne Firándi perdúctus, médias inter flammas immótus pérstitit velut dolóris expers, ac divínum triságium ingéminans victrícem ánimam efflávit anno millésimo sexcentésimo vicésimo secúndo, ætátis suæ quinquagésimo. Camíllo ferme coætáneus ad supplícium præíverat quarto Idus Sextíles Augustínus Ota natus Ogicæ in Japónia, qui Camílli peregrinántis sócius, singulári Dei providéntia prídie quam carnífici præcidéndum caput offérret, in Societátem fúerat recéptus, ac vota emíserat. Cum Costánzo páriter captus fúerat alter Societátis catechísta Gaspar Coténda, qui tradúctus Nangasákium, martýrium pro fide strénue fecit, una cum duóbus púeris Francísco Táquea duodénni ac Petro Xeki septénni, qui supérerant mártyrum iam pridem coronatórum fílii.

Te Deum.

Die 26 Septembris

PRO SS. JOANNE DE BRÉBEUF, ISAACO JOGUES ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Octo Societátis Jesu sodáles, quorum sex sacerdótes, et duo coadjutóres temporáles, omnes in Gállia nati, médio sáeculo décimo séptimo, in missióne Hurónica Americæ Boreális glorióso martýrio occubuérunt. Horum véluti duces et magístri mérito censéntur Joánnes de Brébeuf et Isaácus Jogues, viri strénuo et apostólico zelo incénsi,

Anno millésimo sexcentésimo quadragésimo secúndo, die vigésima nona Septémbris primus ómnium martýrii palmam assecútus est Renátus Goupil, coadjútor temporális, qui prope Auriesville, in hodiérno Neo-Eboracénsi Statu, ab Iroquénsibus occísus est. Secútus est Isaácus Jogues, ejus servitútis olim sócius, qui anno millésimo sexcentésimo quadragésimo sexto, die décima octáva octóbris, in hodiérna diœcési Albanénsi acínace percússus périit. Póstero vero die eádem coróna redimítus est ejus sócius Joánnes de la Lande, coadjútor temporális. Duóbus post annis Antónius Daniel sagíttis et ignítis glándibus confóssus est ad templi fores. Anno insequénti Joánnes de Brébeuf post diutúrnos sævissimósque cruciátus ab Iroquénsibus in pago sancti Ignátii, in hodiérna Canadénsi regióne Ontário nuncupáta, gloriósus occúbuit; quem postrídie ejus sócius Gábriel Lalemant eádem cruénta via secutus est. Mense autem decémbris ejúsdem anni Cárolus Garnier vulnéribus confóssus et secúri percússus, et Natális Chabanel ab Huróne apóstata in profluéntem dejéctus, martýrii palmam adépti sunt. Hos omnes Pius undécimus Sanctórum fastis adscrípsit.

Te Deum.

Die 7 Novembris

PRO B. ANTONIO BALDINUCCI, C.

Lectio IX.

Antónius Baldinúcci, Floréntiæ ortus, adhuc infans tres horas natus divína ope ab intéritu servátus est. Infántiam supergréssus, virtútis actus a beáto Aloísio exércitos compéndio sibi collégerat, ut semet ad ejus exémpla compóneret, et supérnæ lucis illápsu destinátum sibi sancti Ignátii institútum ampléxus est. Sacerdótio auctus, áliquot post annos missiónibus intra suam províneiam addíctus, secum státuit numquam porro sibi quiescéndum, único de divína glória hominúmque salúte cogitándum. Hac lege plus quam trigínta diœcéses per vigínti annos, córpori infírmo nullímodo parcens, pedes plerúmque, lustrávit docéndo pópulos tanto número e finítimis quoque locis concurréntes, ut quandóque ad trigínta míllia censeréntur, quibus sub dio contionabátur. Vim voci ejus addébant charísmata divína. Post Deum præcípuus ejus amor Virgo Dei Mater, quam prodigiáliter opíferam experiebátur suo ministério. Annum ingréssus quinquagésimum tértium, in médio apostolátus exercítio, velut in ácie miles, Pófii, in óppido diœcésis Verulánæ, morbo corréptus,

piíssime óbiit die séptima Novémbris anno millésimo septingentésimo décimo séptimo. Leo décimus tértius ei Beatórum caélitum honóres decrévit.

Te Deum.

Die 13 Novembris

PRO S. STANISLAO KOSTKA, C.

Lectio IX.

Stanisláus, senatória gente Kostka ortus in Polónia, móribus a pueritia fulgébat innocentíssimis. Cum studiórum causa Viénnam in Austria esset missus, coáctus est in Lutheráni hóspitis ædes migráre, ibíque a Paulo fratre ad liberiórem vitam omni étiam asperitátum génere incitátus, domésticum bellum biénnio constantíssime sustínuit. Morbo letháli afféctus sacrum Viáticum, quod in hærética domo decúmbens frustra ab homínibus petébat, ab Angelis accépit. Mox ad púeri Jesu compléxum a beatíssima eius Matre cómiter admíssus, ac Societáti jussus nomen dare, súbito convaluit. Peregríni hábitu, solus, pedes, mendícus Romam petens, Angelórum pane íterum angélico ministério reféctus est et post duodécies centéna pássuum míllia, tandem Romæ in Societátem Jesu a sancto Francísco Bórgia generáli præpósito méruit cooptári. Tirónis eméritì virtútes in religiósæ vitæ palaéstra splendídius eluxére; cáritas præsértim erga Deum tanta, ut amóre vérius quam febri æstuans, die assúmptæ in cælum Vírgini sacro, ab ipsa beatárum Vírginum choro stipáta vocátus sit ad cælum ex Quirináli domo probatiónis, anno innocéntis vitæ décimo octávo, reparátæ vero salútis millésimo quingentésimo sexagésimo octávo. Clemens décimus eum inter primários totíus Poloniae regni Patrónos constítuit; Benedíctus vero décimus tértius in Sanctórum númerum réttulit.

Te Deum.

Die 16 Novembris

PRO BB. PAULO NAVARRO ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Laínum Calábriæ óppidum Paulo Navárro natále fuit. In adolescéntia Societátem Jesu ampléxus, appúlsus ad Japóniam, sacris mi-

nistériis, extréma inópia, multis perículis et corpóris voluntáriis castigatiónibus exércitus, trigínta sex illic annos confécit. Postrémo Arímæ in líbera custódia commoránti centúrio capitálem senténtiam détulit: ad rogum nudis pédibus procéssit rosárium e collo suspénsum gestans. Excitátis flammis, non cessábat álloqui modo sócios, modo pópulum, sæpe in cælum suspícere, sæpe Jesum ac Maríam invocáre. Inter hæc suavíssima nómina e vita cessit, sexagésimo secúndo ætátis anno. Próxime flammis déditi sunt Pauli sócii: Clemens fámulus. Dionýsius Fugíxima et Petrus Onizúki: omnes Japónes, ac duo posterióres in Societátem admíssi. Córpora tríduo insepúlta jacuérunt ad terrórem pópulo incutiéndum. Post tríduum, cum ea combúri dénuo placuísset, íntegrum illæsúmque, consúmptis licet véstibus, magna ómnium admiratióne, repértum est Navárro hórridum cilícium. Haec de quátuor martýribus accidérunt ineúnte Novémbri, anno vicésimo secúndo sáeculi décimi séptimi.

Te Deum.

Die 26 Novembris
(alicubi die 13 Augusti)

PRO S. JOANNE BERCHMANS, C.

Lectio IX.

Joánnes Berchmans Distémii, Brabantínæ diciónis óppido natus, a prima ætáte morum innocéntia et mentis candóre præter humánum modum excélluit. Inter sodáles Societátis Jesu admíssus, post tirocínium Mechlíniæ ad exémplum peráctum, cum Romam venísset studiórum causa, sodáles in collégio Románo sibi rédditum arbitrabántur Aloísium Gonzága. Modéstia et sénsuum custódia ad míraculum spectabátur ita, ut dícerent scriptas a beáto Ignátio leges de modéstia, si quo interírent casu, in Joánne reperiéndas. Disciplínæ domésticæ erat servantíssimus, illam crébrius usúrpans vocem: Mea máxima pœniténtia vita commúnis. Miram castimóniam mira in Deíparam dilectióne tutabátur. Stúdio animárum incénsus sacras expeditiónes prospectábat ánimo, quas olim suscípere pro Dei glória cupiébat, cum in ipso iuventútis flore, e gravi morbo sensim defécit. Paulo ántequam morerétur, signum Jesu crucifíxi, beátæ Vírginis rosário implícitum, libéllo regulárum Societátis impónens: Hæc tria, inquit, mihi caríssima: cum his libénter móriar. Ita qua prædíxerat hora placidíssimo éxitu decéssit, Idibus Augústi anno millésimo sexcentésimo vicésimo primo, annos natus vigínti duos, menses quinque. Leo décimus tértius Sanctórum honóres eídem decrévit.

Te Deum.

Die 27 Novembris

PRO BB. LEONARDO KIMURA ET SOCIIS, MM.

Lectio IX.

Daifusáma imperatóre, anno millésimo sexcentésimo décimo nono, Novémbri exeúnte, Nangasákii in Japónia in ódium fídei lentis flammis concremátæ sunt quinque Christi víctimæ: Andréas Tócuan e primária Japonénsium nobilitáte, baptizátus institutúsque a pátribus Societátis Jesu; Joánnes Ixída Xoum; Cosmas Táquea e regno Coreáno; Domínicus Giórgi natióne Lusitánus, hospes beáti Cároli Spínola, et Leonárdus Kimúra Societátis adjútor domésticus. Leonárdus natus erat Nangasákii. De ejus stirpe fuit ille Kimúra, quem sanctus Franciscus Xavérius in Japóniam appúlsus primum ómnium baptizávit. In Societátem admíssus inter fratres adjutóres, fidem propagávit. Cárcere fere per triénnium inclúsus, nonagínta sex éthnicos ad fidem addúxit, præter christiános quos ad martýrium veheménter accéndit. Enuntiáto in Leonárdum et sócios mortis decréto, ad rogum adducúntur et ad suum quisque palum alligántur: accensáque pyra, invícta fortitúdine, nullo dolóris signo édito, glorióse occubuérunt.

Te **Deum.**

INDEX ALPHABETICUS FESTORUM

10. **27 maii 1942.**

Gratiae aguntur pro collata stipe ad templum S. Eugenii Romae extruendum. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 49619.

Dal Vaticano, 27 maggio 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

Non davvero modeste ma assai generose l'Augusto Pontefice ritiene le offerte dalla Paternità Vostra Reverendissima umiliate al Suo Trono, sia a nome delle Case d'Italia della Compagnia di Gesù sia di quelle degli Stati Uniti, per l'erigenda chiesa di Sant'Eugenio, come filiale attestato di affettuosa devozione al Vicario di Cristo.

Gratissimo di tale fervido omaggio, il Santo Padre è lieto di ravvisarvi la felice continuazione di quel buono spirito di assoluta cordiale adesione alla Cattedra di Pietro, che ha reso gloriosa nei secoli la Compagnia di Gesù. E perciò la Santità Sua, in segno di particolare benevolenza, prega dal Cielo per i diletti oblatori le più larghe ricompense insieme con le più ricche grazie, onde esse siano sostenuti e avvalorati nel loro generoso sforzo d'apostolato.

Gode pertanto, la medesima Santità Sua, di aggiungere a tali sentimenti una calda Benedizione Apostolica per la Paternità Vostra, per tutta la Compagnia e le sue molteplici attività.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

di Vostra Paternità Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI, S. I.
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

11. 3 iunii 1942.

Summus Pontifex certo ac definite declarat, se velle, ut Congregationes Marianae suam ipsae vitam integre vivant, licet Actioni Catholicae allaborent. — Ex audient. Summ. Pontif. R. P. Alfr. Mondría (Praep. Prov. Arag.) concessa

Después de haber explicado yo al Santo Padre la vida de la Congregación de Barcelona y lo florecientes que tenemos en la Prov. y en España las CC. MM., me preguntó el Papa si las CC. podían desarrollarse bien y encontraban dificultad en la Acción Católica. A esto contesté yo al S. Padre: que se notaba menos oposición que antes, en algunos sitios mucha tolerancia y compenetración; que nuestra disposición era ayudar a los Obispos, etc. pero que en algunos sitios existía oposición más o menos descubierta o solapada. Entonces me dijo:

« No deben hacer esto, no es esta la voluntad del Papa; ni queria esto Pío XI; lo sé muy bien porque trabajé a su lado muchos años. Las CC. no deben destruirse; no deben consentir Vdes. esto; ha de haber coordinación y colaboración, pero no destrucción ni absorción. Por tanto sigan adelante como hasta ahora; van por buen camino, no tengan miedo que esta es la voluntad del Papa ». — Entonces le conté yo al Papa lo que en cierta ocasión me confesó el Sr. Obispo de Tortosa, D. Félix Bilbao, Consiliario General de A. C. en España, a saber, que « los de la Compañía por medio de nuestras CC. MM. tenemos una gracia especial para formar la juventud ». A lo que el

Papa añadió concluyendo: « luego no deben destruirlas, sino conservarlas y favorecerlas ».

Interpretatio latina

Cum exposuissem Sancto Patri vitam Congregationis Barcinonensis et quantopere florerent in Provincia (Aragoniae) et in Hispania Congregationes Marianae, quaesivit a me Summus Pontifex, num Congregationes possent bene amplificari et num invenirent difficultatem in Actione Catholica. Ad quod ipse respondi Sancto Patri: animadverti minorem oppositionem quam prius, immo in nonnullis locis multam tolerantiam atque coniunctionem; animi nostri rationem seu statum esse iuvare Episcopos, etc.; esse tamen in quibusdam locis oppositionem plus minus apertam vel occultam. Tunc dixit mihi Summus Pontifex: « Non debent facere hoc, non est haec voluntas Papae, nec volebat hoc Pius XI; scio optime quia laboravi iuxta illum multos annos. Congregationes non debent destrui; non debetis permittere hoc; oportet ut sit coordinatio et collaboratio, non vero destructio neque absorptio. Quapropter pergite sicut hactenus; inceditis per bonam viam; ne vereamini, haec est enim voluntas Papae ». Tunc narravi Summo Pontifici id quod olim confessus mihi est Episcopus Derthusensis, Excmus. D. Felix Bilbao, Consiliarius Actionis Catholicae in Hispania: « Patres Societatis per Congregationes Marianas gratiam singularem habere ad educandam iuventutem ». Ad quod Summus Pontifex concludens adiunxit: « Itaque non debent eas destruere, sed servare et fovere ».

12. **13 iunii 1942.**

Gratiarum actio pro oblatis Summo Pontifici, XXV annum a suscepto Episcopatu explenti, Societatis obsequiis. — Secr. Stat.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 43840.

Dal Vaticano, li 13 giugno 1942.

REV.MO PADRE,

All'Augusto Pontefice sono stati presentati l'Album [1] che raccoglieva gli ossequi spirituali della Compagnia di Gesù nella

[1] Omnia describuntur in *Memor. S. I.*, Mense iulio 1942 (pag. 143 seqq.).

fausta ricorrenza del Giubileo Episcopale e nel tempo stesso il tesoro di preghiere e di buone opere dell'Apostolato della Preghiera di Slovacchia.

La Santità Sua è stata commossa per la duplice espressione di sentimenti tanto nobili, fervidi e delicati e a tutti coloro, dai quali questi provengono, e specialmente alla P. V. Rev.ma dice il Suo grazie cordiale.

La venustà dell'ornato delle pergamene, onde si componeva l'Album, e la elegante forma poetica con cui ivi erano espressi i voti filiali sono apparse al Santo Padre in significativa e squisita armonia col fervore d'animo, con la generosa fede e con la esemplare dedizione di sè alla grande causa della Chiesa, che costituivano il sostrato e il contenuto intimo e prezioso dell'omaggio accettissimo.

Sua Santità compiacendosi di queste nuove attestazioni di attaccamento da parte di codesta valorosa schiera di religiosi e dell'Apostolato della Preghiera risponde ad esse con una larga Benedizione Apostolica, pegno di doni celesti sempre più copiosi, di attività sempre più feconda di buoni frutti e di ascensioni più decise nel cammino della perfezione ascetica e nel culto di vigorose e genuine virtù.

Mi valgo volentieri dell'occasione per confermarmi con sensi di sincera stima

della P. V. Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. MONTINI, *Sost.*

Rev.mo P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

Epistola A. R. Patris Nostri ad Subst. Secr. Stat., qua praedicta obsequia Summo Pontifici obtulit:

Roma, 17 maggio 1942.

ECCELLENZA REVERENDISSIMA

Mi permetto d'inviare a Vostra Eccellenza Reverendissima il piccolo e modesto album, dove sono raccolti gli ossequi spirituali offerti dalla Compagnia in occasione del fausto Giubileo episcopale del Santo Padre, quantunque la raccolta non sia completa, non avendo ancora ricevuto da varie Provincie i numeri relativi.

So bene che di simili omaggi in questi giorni ne saranno pervenuti a Sua Santità a migliaia e assai più belli del nostro; ma forse non sarà discaro al Santo Padre dare un'occhiata anche a questo della Sua minima Compagnia. In particolare Gli sarà, spero, di qualche consolazione la quinta pagina, dove si enumerano le sante Messe offerte per Lui e secondo le Sue intenzioni. Col permesso dell'Eminentissimo Cardinale Prefetto dei Religiosi, tutti i nostri chierici teologi di terzo anno ebbero anticipate di circa due mesi le sacre Ordinazioni in modo di poter celebrare la loro Prima Messa il giorno stesso dell'Ascensione, offrendola anch'essi per il Santo Padre; e inoltre continueranno a celebrare per Lui tutte le Messe di questi due mesi anticipati, fino al giorno consueto che altrimenti avrebbero dovuto aspettare. Confido nel Signore che tale ricordo delle loro primizie sacerdotali avrà un salutare influsso su tutta la loro successiva vita, imprimendole un carattere di dedizione del tutto speciale alla Santa Sede e al Vicario di Cristo.

Approfitto dell'occasione per inviare pure un lungo telegramma dell'Apostolato della Preghiera di Slovacchia con l'indicazione degli ossequi spirituali raccolti per il Santo Padre nelle varie Diocesi e Amministrazioni Apostoliche di quella Repubblica. Siccome il Santo Padre mostra sempre una speciale predilezione per i piccoli, ed essendo la Slovacchia certamente il più piccolo popolo di lingua e nazionalità distinta che formi uno Stato indipendente, Sua Santità gradirà la semplicità e l'affetto di quella piccola nazione. Vi unisco la trascrizione del telegramma, per renderne più facile la lettura, correggendovi solo gli sbagli evidenti di trasmissione.

Con profondo ossequio godo confermarmi

di Vostra Eccellenza Reverendissima
devotissimo servitore
Wlodimiro Ledóchowski, S. I.
Prep. Gen. d. C. d. G.

A Sua Eccellenza Reverendissima
Mons. Giovanni Batt. Montini
Sostituto della Segreteria di Stato
di Sua Santità. - Vaticano.

Interpretatio latina

Excellentissime Domine,

Ad Excellentiam Tuam R.mam membranarum non imperite pictarum fasciculum mittere audeo, in quibus colliguntur simul conscripta spiritus obsequia, quae Societas Iesu Sancto Patri,iubi-

laeum episcopale feliciter explenti, offert, quamvis plena adhuc non sint, cum quaedam nondum ab aliquibus Provinciis accipere potuerim.

Non me fallit, eiusmodi munera per hos dies millena ad Sanctitatem Suam pervenire, nostris multo pulchriora; sed Sanctus Pater non aegre feret fortasse oculos in donum quoque huius minimae Societatis, quae eius est, conicere. Praesertim vero spero ei solacio futuram esse quintam paginam, ubi dinumerantur Sacra pro ipso et ad eius mentem celebrata. Ex facultate Eminentissimi Cardinalis Religiosis Praefecti, omnes nostri clerici, qui tertio anno audiunt theologiam, duobus circiter mensibus sacros Ordines anticiparunt, ita ut potuerint primum Sacrum facere ipso Ascensionis die, pro Sancto Patre offerendum. Immo iidem pergent illud offerre pro Summo Pontifice cotidie per ipsos duos menses ad eum usque diem, quem, si non anticipassent, expectare debuissent. Fiduciam in Domino foveo, eas sacerdotii primitias futuras esse ipsis monumentum eiusmodi, quod bonum in totam vitam effectum habiturum sit et in eorum animis notam insculpat devotionis prorsus singularis erga Sanctam Sedem et Christi Vicarium.

Hac usus sum occasione, ut praelongum quoque telegramma perferendum curarem, quod Apostolatus Orationis ex Slovachia misit, ubi omnia spiritus munera et obsequia recensentur, quae singulae Dioeceses et Administrationes Apostolicae illius Reipublicae pro Sancto Patre collegerunt. Cum Sanctus Pater amabiliorem se semper exhibeat erga parvulos, et Slovachia minimus sit populus qui lingua et natione distinctus independentem Rempublicam constituat, animum simplicem et amorem illius parvae nationis gratos ipse habebit. Simul etiam mitto interpretationem telegrammatis, quo huius lectio facilior evadat, a mendis expurgata quae in transmissione subrepserunt.

Excellentiae Vestrae obsequentissimus etc.

13. **11 iulii 1942.**

Lectiones propriae in Officio B. M. V. a Strata novis curis retractae probantur. — Rescript. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N. 1851/942.

SOCIETATIS IESU.

Instante Rev.mo P. Augustino Tesio, Procuratore Generali Societatis Iesu, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum

sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII tributarum, lectiones proprias in Officio B. M. V. a Strata legendas, prouti in adiectis foliis exstant, iuxta recentiores investigationes historicas redactas, probavit et in universa praefata Societate Iesu adhibendas benigne concessit. Servatis de cetero servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Die 11 Iulii 1942.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

Die 24 Maji

B. MARIÆ VIRGINIS A STRATA

Omnia ut in Proprio Societatis Jesu hac die, præter novas lectiones II Nocturni ut infra:

IN II NOCTURNO

Lectio IV

Inter effígies Beátæ Maríæ antiquitáte, veneratióne fidélium, præsentíque ejúsdem Vírginis ope in Urbe augústas illa mérito censétur, quæ vulgo de Strata nuncupátur, olim étiam de Astállis dicta, a nóbili nempe hujus nóminis família. In ejus honórem, secus viam quæ ad clivum Capitolínum recta ducit, sacra exstábat ædes, in paroéciis urbánis diu annumeráta. Hanc ædem sanctus Ignátius, paulo postquam Romam venit ut se ac suæ Societátis primítias Románo Pontífici devovéret, sibi præ céteris eligéndam duxit, ut in ea potíssimum sacra obíret ministéria. Quaprópter exínde illam Beatíssimæ Matris imáginem peculiári honóre cólere, ante eam frequénter preces fúndere, quin étiam, ut fertur, ad altáre ipsi dicátum sæpe Sacrum fácere consuévit, præsértim ex quo domúnculam ecclésiæ contíguam inhabitáre cœpit. Quam quidem Patris Ignátii pietátem erga imáginem Beátæ Maríæ de Strata ultro deínde imitáti sunt complúres ex Societáte Sancti, ut Petrus Canísius, Francíscus Bórgia, Robértus Bellarmíno, Aloísius Gonzága, Joánnes Berchmans, aliíque insígnis sanctitátis viri bene multi.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris (*T. P.* allelúja) ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V

Quo vero áptius res nascéntis Societátis Jesu in Urbe componeréntur, sanctus Ignátius per patrem Petrum Codácio, Laudénsem, primum ex Itália inter novi Ordinis sodáles non ita pridem adléctum, cui illíus ædis cura tunc demandáta erat, a Paulo tértio impetrávit ut ipsi Societáti éadem ecclésia Beátæ Maríæ de Strata in perpétuum traderétur, transláto non multo post paroéciæ título in próximam ædem sancti Marci. Quodsi succrescénte in dies fidélium frequéntia, vetus templum laxáre primum ac dein étiam dirúere necésse fuit, ut ei novum amplissimúmque sanctíssimo Nómini Jesu dicátum sufficerétur, Alexándri Farnésii Cardinális munificéntia eréctum; parva tamen Beatíssimæ Vírginis imágo, parte antíqui muri cui erat depícta scite resécta, et in templum sancti Marci intérea transláta, non solum ab intéritu et oblivióne diligénter serváta est, sed étiam máximo cum honóre in sacéllo eídem excipiéndæ in novo templo Farnésiano exstrúcto et áffabre dein ornáto, fuit piae cultórum veneratióni íterum propósita.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam (*T. P.* allelúja) ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio VI

Ex illo témpore dici vix potest quantópere créverit hinc pópuli stúdium et píetas, inde vero impénsa cliéntibus suis a cælésti patróna benefícia et cumuláta prodígia. Cujus rei monuménto fuére tabéllæ votívæ quam plúrimæ, et donária pretiosíssima imágini, altári, sacéllo exornándis certátim colláta. Quam ob rem cum antiquitáte cultus et miraculórum cópia ac splendóre opífera hæc Vírginis imágo tantópere excélleret, médio saéculo décimo séptimo, ab órdine canonicórum Vaticanórum coróna áurea donáta fuit, una vidélicet ex primis Dóminæ Nostræ imagínibus, quibus Romæ hábitus hic honor fúerit. Cum autem decedénte saéculo décimo octávo nefárii prædónes sacéllum atque altáre virgíneum pénitus expilássent, piórum liberálitas brevi ómnia cumuláte restítuit. Corónæ quoque auro sólidæ gemmísque distínctæ per eminentíssimum virum archipresbýterum Vaticánum augustæ imágini restitútæ solémni ritu fuérunt anno millésimo octingentésimo octogésimo quinto. Celebritátem illíus diéi nobiliórem fecit bonórum

lætítia: quorum ánimis hanc spem pientíssima Mater inspírat, ut quos in suam fidem ac tutélam accépit, sempitérnæ beatitátis coróna, ipsa opituláte, máneat in cælis. Hæc autem cumulávit Leo décimus tértius Póntifex Máximus, qui festum sanctæ Maríæ de Strata Offício et Missa celebrári a Pátribus Societátis Jesu benígne concéssit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. (*T. P.* allelúja) ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

Si hoc Festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso IX Lectio juxta Rubricas sit dicenda, sumi potest sequens

Lectio IX

Inter románas effígies... etc. (Cf. supra pag. 328 sq.).

14. **24 iulii 1942.**

Festum, Officium et Missa propria Reginae Societatis Iesu conceduntur. — S. C. Rit.

Roma, 31 marzo 1942.

Eminenza Reverendissima

Come ho avuto recentemente gradita occasione di indicare a voce a Vostra Eminenza Reverendissima, il Santo Padre, a un mio accenno al nostro desiderio di avere una festa speciale della Madonna sotto il titolo di « Regina Societatis Iesu », si è degnato di approvare in massima tale concessione, lasciando naturalmente che la pratica vada per la via consueta attraverso la Sacra Congregazione dei Riti.

Mi permetto quindi di inviare a Vostra Eminenza Reverendissima lo schema dell'Ufficio e Messa per la festa di Maria SS. « Regina Societatis Iesu », pregando umilmente che la Sacra Congregazione voglia prendere la cosa in benevola considerazione.

Abbiamo scelto per tale festa la data del 22 aprile, anniversario della professione solenne fatta da S. Ignazio e dai suoi primi compagni il 22 aprile 1541 davanti all'immagine della Madonna

nella Basilica di S. Paolo, col quale atto la Compagnia di Gesù, approvata da Paolo III il 27 settembre dell'anno precedente, cominciava ad avere la sua piena vita giuridica nella Chiesa. Anche il nostro recente centenario, di cui questa nuova festa vuole essere un perenne ricordo e un ringraziamento per la sua sì felice riuscita nonostante i tempi così poco favorevoli, l'abbiamo conchiuso il 22 aprile, nel qual giorno l'anno scorso Vostra Eminenza ebbe la bontà di pronunciare quel Suo magnifico discorso, di cui Le serbiamo sempre profonda riconoscenza. Preghiamo che la festa sia di rito doppio di prima classe, senza ottava, per attestare più solennemente la nostra filiale gratitudine alla Vergine Santissima pei tanti benefici compartiti al nostro Ordine; e che ci sia concesso anche l'uso di tale Messa come votiva nei giorni liberi secondo le Rubriche; perciò nello schema ci sono le variazioni per i vari tempi dell'anno.

Simili feste speciali e solennissime della Madonna sono concesse anche a parecchi altri Istituti, per esempio ai Barnabiti la Madonna della Provvidenza, ai Camilliani la Madonna della Salute, agli Agostiniani la Madonna della Cintura e del Buon Consiglio ecc., per nulla dire del Rosario per i Domenicani, dell'Addolorata per i Serviti, ecc., nè degli Ordini che hanno feste della Madonna come proprio titolare.

Quanto all'Ufficio, eccetto gli inni e le lezioni del II e III notturno, quasi tutto il resto è preso da altri Uffici della Madonna già approvati, specialmente da quelli di Regina Apostolorum, Regina Omnium Sanctorum, del Perpetuo Soccorso e simili, con qualche piccolo ritocco o adattamento. Gli inni sono del P. Genovesi, nuovo innografo della Sacra Congregazione dei Riti. Le lezioni del II Notturno sono prese da documenti Pontifici: le prime due dalla Bolla Aurea « Gloriosae Dominae » di Benedetto XIV sulle Congregazioni Mariane (27 settembre 1748), la terza dalla Bolla di Benedetto XV per la Canonizzazione di S. Margherita Maria Alacoque (13 maggio 1920); aggiuntavi in fine, come si suole in simili casi, la concessione della festa e l'occasione di essa. Le lezioni del III Notturno sono prese dalla grande opera Mariana di S. Pietro Canisio.

Voglia l'Eminenza Vostra ai tanti pegni di Sua benevolenza verso la Compagnia aggiungere anche quello dell'approvazione di questa festa della Beatissima Vergine Maria, che in mezzo a tante tribolazioni e persecuzioni sarà per noi tutti una fonte di spirituali consolazioni e di nuove grazie e ci imporrà anche il grato obbligo di ricordarci sempre più di Vostra Eminenza Reverendissima nelle nostre povere preghiere.

Chinato al bacio della sacra Porpora con i sensi della più grande venerazione mi confermo

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
devotissimo servitore
WLODIMIRO LEDÓCHOSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

A Sua Eminenza Reverendissima
il Signor Cardinale CARLO SALOTTI
Vescovo di Palestrina, Prefetto
della S. Congregazione dei Riti. - Roma.

Latina interpretatio.

Ut nuper Eminentiae Vestrae coram retuli, Summus Pontifex cum primum ex me cognovisset desiderium nostrum habendi peculiare festum Dominae Nostrae sub titulo « Regina Societatis Iesu » rem ipsam probare dignatus est, permisitque eam, ut par erat, per S. Congregationem Rituum de more agi.

Quare ausus sum ad Eminentiam Vestram adumbrationem Officii ac Missae diei festi B. V. Mariae « Reginae Societatis Iesu » mittere, demisse rogans ut S. Congregatio hoc studium benigne considerare velit.

Ad hoc enim festum celebrandum designavimus diem 22 aprilis, quo anniversaria commemoratio redit sollemnis professionis a S. Ignatio eiusque primis sociis nuncupatae ante effigiem Matris Dei quae in Basilica S. Pauli prostat, quo eodem die Societas Iesu, quinto Kalendas octobres anni superioris a Paulo III iam approbata, plenam eamque legalem vitam in Ecclesia inchoavit. Nostram vel ipsam centenariam recordationem, cuius novum festum monumentum perenne et gratiarum actio pro illius felici in tam adversis temporibus exitu erit, die 22 aprilis absolvimus, quo die Eminentia Vestra praeclaram illam orationem habuit, pro qua gratissimos semper nos futuros esse profitemur. Petimus deinde, ut festum ritu duplici primae classis absque octava cohonestetur, quo sollemnius SS. Virgini gratum animum nostrum exhibeamus pro plurimis beneficiis ab ipsa Ordini nostro collatis; ac demum ut eiusmodi Missa, votivarum more, uti liceat iis diebus qui secundum rubricas vacui sunt; qua ex causa in adumbratione sunt apposita ea, quae pro diversis anni temporibus commutantur.

Id genus festa B. V. Mariae peculiaria et sollemnissima com-

pluribus aliis Ordinibus concessa sunt: e. g. Barnabitis festum Deiparae a Providentia, Camillianis Deiparae a Salute, Augustinianis Deiparae a Cinctura et a Bono Consilio, et ita porro, ne quid de Rosario dicam Dominicanis attributo, de Virgine Perdolenti Servitis commissa et de aliis, neque de iis quoque Ordinibus quibus nomen ipsum est a B. V. Maria.

Ad Officium vero quod attinet, si hymnos et lectiones I et II nocturni excipias, fere omnia ab aliis rite probatis B. V. Mariae Officiis desumpta sunt, praesertim ab Officio Reginae Apostolorum, Reginae Sanctorum Omnium, Deiparae a Perpetuo Succursu aut eiusmodi aliis, leviter retractatis et accommodatis. Hymnos P. Genovesi, novus S. Congregationis Rituum hymnographus, confecit. Lectiones II nocturni ex pontificiis documentis selectae sunt, nimirum prima et altera ex Bulla Aurea « Gloriosae Dominae » Benedicti XIV de Marianis Sodalitatibus (d. 27 sept. 1748); tertia ex Bulla Benedicti XV pro canonizatione S. Margheritae Mariae Alacoque (d. 13 maii 1920), addita sub finem, ut fieri solet, concessione et occasione festi. Lectiones III nocturni e magno S. Petri Canisii opere mariano depromptae sunt.

Velit Eminentia Vestra tam multis iam benevolentiae titulis hunc quoque addere, probandi scilicet hoc Beatissimae Virginis Mariae festum, quod tot inter res adversas et persecutiones spiritualia solacia et nova beneficia nobis comparabit, nobisque gratum debitum erit orandi magis ac magis Deum pro Eminentia Vestra.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
N. 1625/42.

SOCIETATIS IESU.

Beatissimam Virginem Dei Genitricem Mariam, tanto avitae pietatis studio Patres Societatis Iesu semper prosecuti sunt, ob gratiarum copiam quam Eadem materna benignitate in devotos Sodales Societatis incessanter diffundit, ut praecipuam apud Deum Patronam immo Reginam elegerint, atque actae electionis, praeeunte Patre Praeposito Generali, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae XII sanctionem humillime petierint. Et ut digne ac devote eadem celebratio agi valeret, visum est P. Praeposito Generali eiusdem Beatae Virginis celebrare fe-

stum sub titulo Reginae Societatis Iesu cum Officio et Missa propriis apposite concinnatis, quotannis die vigesima secunda Aprilis, in anniversario solemnis Professionis Sancti Ignatii Patris, coram Deo Deiparaeque Imagine in Patriarcali Basilica Ostiensi Sancti Pauli Apostoli religiosissime culta. Quapropter idem R. Pater Praepositus, Sacrae Rituum Congregationi pro debita revisione, schema Officii et Missae Beatae Mariae Virginis Reginae Societatis Iesu humillime subiecit. Sanctitas porro Sua, preces Praepositi Generalis ab Eminentissimo D. Carolo Cardinali Salotti Episcopo Praenestino et Sacrae Rituum Congregationis Praefecto delatas peramanter excipiens, benigne indulgere dignata est, ut festum Beatae Mariae Virginis Reginae Societatis Iesu quotannis celebrari valeat a sodalibus eiusdem Societatis die vigesima secunda aprilis sub ritu duplici primae classis absque octava cum Officio et Missa propriis et approbatis, prouti in adnexo exstant exemplari. Indulsit insuper eadem Sanctitas Sua ut quoties iuxta Rubricas Missa votiva de Beata legi possit, loco Missarum pro temporis diversitate in Missali Romano adsignatarum, praedicta Missa Reginae Societatis Iesu legi valeat. Servatis Rubricis et Decretis, contrariis non obstantibus quibuscumque. — Die 24 Iulii 1942.

A. Carinci, *S. R. C. Secr.*
Henricus Dante, *Subst.*

MISSA

Die 22 Aprilis
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
REGINÆ SOCIETATIS JESU

Introitus *Ps. 44, 10*

Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte, allelúja, allelúja, *Ps. ibid. 2* Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.

℣. Glória Patri.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam, Genitrícem tuam, beáto Ignátio pietátis Magístram ejúsque familiæ Re-

gínam ac Matrem esse voluísti: concéde, quaésumus, ut cujus patrocínio gaudémus in terris, de ejúsdem glória lætári mereámur in cælis. Qui vivis, etc.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio SS. Soteris et Caji, PP. et MM.:

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátos Sotérem et Cajum, Mártyres tuos atque Summos Pontífices, perpétua protectióne custódi; quos totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastóres. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiae

Eccl. 24, 22-31

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me et à generatiónibus meis impléminí. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja, allelúja. ℣. *Eccl. 45, 14* Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. Allelúja. ℣. *Cant. 5, 1* Veni, Regína nostra, veni, Dómina, in hortum tuum. Allelúja.

In Missis Votivis, per Annum:

Graduale. Beáta Mater et intácta Virgo, gloriósa Regína nostra, intercéde pro nobis ad Dóminum. ℣. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Allelúja, allelúja. ℣. *Cant. 45, 14* Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja *et versu sequenti dicitur*:

Tractus. Ps. 44, 11-12 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Vultum tuum depre-

cabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi. ℣. Adducéntur in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum Regis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 1, 26-33

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaéæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce, concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David, patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis.

Credo.

Offertorium. Tob. 13, 17 Tu autem lætáberis in filiis tuis, quóniam omnes benedicéntur et congregabúntur ad Dóminum, allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, munus quod Tibi in honórem immaculátæ Vírginis Maríæ læti offérimus, et præsta: ut, ipsa intercedénte, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum nostrum, etc.

Pro SS. Sotere et Cajo
Secreta

Oblátis munéribus, quaésumus, Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui profíciat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

Praefatio de B. Maria V.: Et te in festivitáte.

Communio. Luc. 1, 30-33 Invenísti grátiam apud Deum: páries fílium et vocábis nomen ejus Jesum, et regni ejus non erit finis, allelúja.

Postcommunio

Cæléstí Dape reféctos, quaésumus, Dómine, Beátæ Vírginis Mariæ, Genitrícis tuæ, intercéssio nos ádjuvet: ut quos ipsa per-

pétuis cumulávit benefíciis, a cunctis máculis ablútos in divíni Cordis tui caritáte confírmet. Qui vivis, etc.

Pro SS. Sotere et Cajo

Postcommunio

Refectióne sancta enutrítam gubérna, quaésumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut poténti moderatióne dirécta, et increménta libertátis accípiat, et in religiónis integritáte persístat. Per Dóminum.

Nota. - Elogium in Appendice propria S. J. ad Martyrologium Romanum inserendum:

22 aprilis, Decimo Kalendas Maii (primo loco):

Festum Beatae Virginis Mariae, Reginae Societatis Iesu.

OFFICIUM

Die 22 Aprilis

IN FESTO

B. MARIÆ VIRGINIS
REGINÆ SOCIETATIS JESU

Duplex I classis

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virginis, Tempore Paschali, præter ea, quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Beátus homo * qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotídie, allelúja.

2 Ego diligéntes me * díligo; et qui mane vígilant ad me, invénient me, allelúja.

3 Qui me invénerit, * invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino, allelúja.

4 Flores mei, * fructus honóris et honestátis, allelúja.

5 Qui elúcidant me, * vitam ætérnam habébunt, allelúja.

Capit. *Eccl. 24, 24-25*

Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis.

Hymnus

Signáta Jesu nómine,
Dei per orbem glóriæ
Devota, te sodálitas,
Regína Virgo, praédicat.
Te, novit ortum, praéstite,
Ignátium quæ próvido
Stratum redúcis vúlnere
Sub signa Christi mílitem.
Convérsus ecce in álterum
Totum tibi se máncipat,
Tuaéque pernox éxcubans
Suspéndit aræ bálteum.
Tu pœniténtem críminum (1)
Foves in antro squálido,
Vitaéque normam détegis,
Christi, decéntis, ásseclam.
Primo sodáles foédere
In Monte stringis Mártyrum,
Sacræ phalángis órtui
In Urbe blanda praésides.
María, quos exórdiis
Primis amánter éxcipis,
Nos alta Patrum pérsequi
Per arcta fac vestígia.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
in sempitérna saécula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eam, Dómine, allelúja. ℟. Et constituísti eam super ópera mánuum tuárum, allelúja.

(1) In exemplaribus ad Provincias missis typi mendum irrepsit. Ibi enim legitur, « *Te* poenitentem etc. », dum in ipsis auctoris verbis legebatur « *Tu* poenitentem etc. »:

Ad Magnif. Ant. O beáta Vírgo María, * tu grátiæ Mater, tu spes mundi et cæli Regína: exáudi fílios tuos clamántes ad te, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Genitrícem tuam, beáto Ignátio pietátis Magístram ejúsque famíliæ Regínam ac Matrem esse voluísti: concéde, quaésumus; ut cujus patrocínio gaudémus in terris, de ejúsdem glória lætári mereámur in cælis: Qui vivis et regnas.

Et nulla fit Commemoratio.

AD MATUTINUM

Invit. Sancta María, Dei Génitrix Virgo, * Intercéde pro nobis, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Te, Virgo, prodit, áuspice,
Ignátii sodálitas,
Te protegénte, strénua
Sub Rege Christo mílitat.

Auctrix supérni cónsili,
Tu cogis ipsi fílios,
Firmas, tuéris, ínstruis
Jesúque fingis spíritu.

Ut, te colénte, píngitur
Miris virétum flóribus!
Ut pulchra virtus·énitet
Et ridet innocéntia!

Per te flagrant Apóstoli
Intérriti stant Mártyres
Præséferunt et Vírgines
Intaminátum lílium.

Vexáta, per te cónstitit,
Stravítque turpes haéreses,
Christo subégit bárbaros
Deíque regnum prótulit.

Regína, fac ut máximam,
Sæclum perósi, glóriam
Dei propágent ímpigri
Jesu tuíque mílites.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna saécula.
Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. Rigábo hortum meum * plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde et regna, allelúja.

De libro Ecclesiástici

Lectio I *24, 5-31*

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram: Ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram: Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti, et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium, et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

℟. Adamávit eam Dóminus super omnes mulíeres, * Et pósuit diadéma regni in cápite ejus, allelúja. ℣. Accépit regnum decóris et diadéma de manu Dómini. — Et pósuit.

Lectio II

Ab inítio et ante saécula creáta sum, et usque ad futúrum saéculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula

et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus.

℟. Transíte ad me omnes qui concupiscitis me, et a generatiónibus meis impleminí: * Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum, allelúja. ℣. Qui audit me non confundétur: et qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. — Spíritus.

Lectio III

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminí. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel, et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient, et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Meum est consílium et aéquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo: * Per me reges regnant, per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam, allelúja. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. — Per me reges. — Glória Patri. — Per me reges.

IN II NOCTURNO

Ant. Astitit Regína * a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte, allelúja.

℣. Stola jucunditátis índuit eam Dóminus, allelúja. ℟. Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus, allelúja.

Ex Lítteris Apostólicis Benedícti Papæ décimi quarti
Bulla Aurea Gloriósæ Dóminæ *post initium.*

Lectio IV

Beátus Ignátius, qui ad majórem Dei glóriam propagándam militántis Ecclésiæ castra novis sub sanctíssimi Nóminis Jesu vexíllo conscríptis legiónibus auxit, aptíssimum sibi præsídium in beátæ Vírginis tutéla statuéndum esse sapientíssime judicávit. Id-

círco, cum primum e pátria domo digréssus, sacræ milítiæ tirocínium pónere decrevísset, ad ipsíus Vírginis pedes statim se cóntulit, et sub illíus auspíciis árduum perfectiónis iter ingréssus est. Cum vero deínceps, primo commilitónum deléctu hábito, ipsos jam jam in áciem dúcere institúeret, non álibi quam in ædem Vírginis Parísiis apud Montem Mártyrum solémni sacraménto se cum illis adstrínxit, atque in hoc véluti firmíssimo lápide prima Institúti sui fundaménta solidávit.

℟. Fílii, audíte me: * Beáti qui custódiunt vias meas, allelúja. ℣. Audíte disciplínam et estóte sapiéntes et nolíte abjícere eam. — Beáti.

Lectio V

Quod autem Ignátio usitátum fuit, ut nihil fere grávius, nisi invocáto prius Maríæ nómine, aut statúeret aut aggrederétur, id ómnibus alúmnis suis documénto esse vóluit, ut, in obeúndis professiónis suæ offíciis atque labóribus, in ejus potíssimum patrocínio divíni adjutórii spem collocárent; et in adeúndis pro religióne perículis hanc sibi Turrim fortitúdinis a fácie inimíci perfúgium et muniméntum esse confíderent. Itaque ipsi, per omnem terrárum et márium amplitúdinem portántes adorábile Nomen Jesu coram régibus et natiónibus, dulcíssimum simul Matris ejus nomen ubíque annuntiáre non destitérunt; et una cum fídei lúmine et morum sanctitáte, Deíparæ quoque cultum et honórem in ómnibus utriúsque orbis regiónibus mirabíliter propagárunt; atque christiánam ubíque juventútem piis Sodalítiis seu Congregatiónibus sanctíssimæ Vírgini Dei Genitríci dicátis aggregári curant, quibus débita in Deum relígio et beátæ Vírginis cultus cum salúbribus et laudabílibus pietátis opéribus assídue exercétur.

℟ Custodívit nos in omni via, per quam ambulávimus: * Et in cunctis pópulis per quos transívimus, allelúja. ℣. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus. — Et in cunctis.

Ex Lítteris Decretálibus Benedícti Papæ décimi quinti

Litt. Decr. Ecclésiæ consuetúdo *de canoniz. B. Marg. M. Alacoque*

Lectio VI

Visitatiónis festo die anni millésimi sexcentésimi octogésimi octávi, soróri Margarítæ Maríæ Alacóque ante sanctíssimum Sacraméntum adstánti, altus latúsque locus miræ pulchritúdinis visus

est. In médio, velut in ígneo sólio, fulgébat sanctíssimum Cor Jesu; hinc erat beatíssima Virgo, illinc sanctus Francíscus Salésius et Pater Cláudius de la Colombière. Tum cæli Regína, Cor divínum osténdens, ad Patrem de la Colombière convérsa inquit: Tibi, divíni mei Fílii servo fidéli, pretiósi hujus thesáuri pars magna assignátur: si enim filiábus a Visitatióne concéditur ut hómines ad eum cognoscéndum ac diligéndum appéllent, et univérsis distríbuant, tuæ Sodalitátis pátribus munus defértur, ut ómnibus osténdant hujus thesáuri utilitátem ac virtútem. — Porro, exeúnte anno a Societáte Jesu cóndita quater sæculári, Summus Póntifex Pius duodécimus eídem Societáti peculiáre beátæ Vírginis festum concéssit sub título Regínæ Societátis Jesu quotánnis die vigésimo secúndo Aprílis recoléndum, quo die anno millésimo quingentésimo quadragésimo primo sanctus Ignátius ejúsque primi sócii Romæ in Basílica Sancti Pauli extra moénia coram vetústa ejúsdem Deíparæ Vírginis imágine solémnia vota nuncupáverant.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam, allelúja. ℣. Progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. — Vidérunt. — Glória Patri. — Vidérunt.

IN III NOCTURNO

Ant. Quærétis me * et inveniétis, et redúcam captivitátem vestram et congregábo vos de univérsis géntibus, allelúja.

℣. Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa, allelúja. ℟. Et innumerábilis honéstas per manus illíus, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio VII *Cap. I, 26-31*

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaéæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Canísii Presbýteri
De Maria Deipara Virg. incompar., lib. 3, cap. 2.

Sancta, sublímis, magnífica, et omni observatióne digna isthæc est salutátio, sive, ut Ambrósius vocat, benedíctio, si prima ejus orígo spectétur. Etenim non ab Ecclésiæ Præpósitis cóndita, sed

a sanctíssimo Angelo profécta, et caélitus primum alláta; nec ab homínibus invénta, sed sacrosánctæ Trinitátis nómine ac jussu haud dúbie tum pronunciáta, tum scripta, tum conserváta est. Quæ grátior ac jucúndior hómini Christiáno memória suborirétur, prætérquam de Emmanuéle Vírgini Matri per Gabriélem tam late promísso; quem nos inde ab eo témpore factæ salutatiónis præséntem humánæ salútis auctórem ac príncipem ex María nobis concéptum, nobis natum, planéque donátum et exhíbitum habeámus? Cur ergo illi non Ave dicámus, quæ tota pulchra, tota formósa, Dei amíca semper perseverávit, quia grátia plena?

℟. Accépit regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: * Quóniam déxtera sua reget nos, et bráchio sancto suo próteget nos, allelúja. ℣. Tamquam si cui mater blandiátur, ita et ego consolábor vos. — Quóniam.

Lectio VIII

Ibid., lib. 5, cap. 13

Cur autem illam Regínæ nómine, Damascénum, Athanásium etc. secúti, non compellémus, cujus et pater David Rex ínclytus, et fílius Rex Regum Dominúsque Dominántium sine fine ímperans, laudem in Scriptúris præstantíssimam tenent? Regína est ínsuper, si cum illis conferátur, quibus véluti régibus, cæléste regnum cum Christo Rege summo cóntigit, útpote illíus coherédibus, et in eódem véluti throno, ut Scriptúra lóquitur, cum illo collocátis. Regína est étiam nulli electórum secúnda, sed simul Angelis et homínibus tanto præláta dígnius, quo nihil illa sublímius ac sánctius esse potest, quæ sola cum Deo Fílium habet commúnem, et quæ supra se Deum et Christum tantum, infra se vero réliqua videt ómnia. Magnus Athanásius perspícue dixit: Maríam non modo Deíparam, sed étiam Regínam et Dóminam próprie veréque censéri, quandóquidem Christus ex ipsa matre Vírgine natus, Deus et Dóminus idémque Rex máneat. De hac ígitur Regína dictum illud Psalmógraphi interpretátur: Astitit Regína a déxteris tuis in vestítu deauráto. Non ergo solum cæli, sed et cælórum Regína recte dícitur María, útpote mater Regis Angelórum, Regísque cælórum et amíca et sponsa.

℟. Porta cæli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater et cæli terraéque Regína: * Gratos nos redde Fílio tuo, allelúja. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes nostra, exáudi nos clamántes ad te. — Gratos. — Glória Patri. — Gratos.

Lectio IX

Ibid., lib. 5, cap. 31

A Te vero, augustíssima Regína, eadémque fidíssima Mater María, quam sine fructu pie nullus implórat, et cui mortáles omnes beneficiórum memória sempitérna devíncti sunt, étiam atque étiam reverénter oro et óbsecro, ut hoc qualecúmque observántiæ erga te meæ testimónium ratum et gratum habére velis, utque obláti múneris exiguitátem studiósa offeréntis voluntáte metíri ac tuo præpoténti Fílio comprobáre dignéris. Satis praémii vero retulísse vidébor, si me albo tuórum, non dicam amicórum aut filiórum, sed clientulórum et servulórum saltem adscríbi patiáris, teque apud æquíssimum Júdicem Deum patrónam favéntem mihi praébeas imméreńti, eámque grátiam ímpetres, quæ ad hoc meum qualecúmque ministérium cum fructu obeúndum, et perfécte compléndum desiderátur. Ad extrémum, Jesu Christo Optimo Máximo Redemptóri, et Maríæ incomparábili Vírgini Matri in cælo terráque tum grátia, tum glória sempitérna.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas

Ant. 1 Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram, allelúja.

2 Multæ fíliæ * congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas, allelúja.

3 Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúja.

4 Per te, Virgo immaculáta, * nobis est vita pérdita data: per te venit Dómini auxílium nobis, allelúja.

5 Adésto nobis * et serva nos, Dómina et Mater nostra, allelúja.

Capit. *Eccli. 24, 24-25*

Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis.

Hymnus

Gratis profúsum córdibus
Late resúltat cánticum;
Te, Virgo, in orbe díditi
Jesu sodáles cóncinunt.

Quæ contulísti lárgiter,
Tibi repónunt aémuli,
Teque ore, scriptis, múniis
Ornant, celébrant, éxcolunt.
Tuas frequéntat glórias
Præco sacer suggéstibus,
Tibíque priva caélitus
Colláta doctor víndicat.
Tuis magíster cándidos
Aris ephébos cóngregat,
Affiánte teque bárbiton
Docet pudícum tángere.
Regis supérni mílites
Tuíque juxta sérvuli,
Utríque gaudent óbsequi,
Utrúmque ovántes éfferunt.
Regína, perge cóndere
Matérno amíctu fílios,
Tuísque sit cliéntulis
Tecum beári praémium.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna saécula.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus, allelúja. ℟. Expréssa signo sanctitátis et glória honóris, allelúja.

Ad Bened. Ant. Tu eris * super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam, Genitrícem tuam, beáto Ignátio pietátis Magístram ejúsque famíliæ Regínam ac Matrem esse voluísti: concéde, quaésumus, ut cujus patrocínio gaudémus in terris, de ejúsdem glória lætári mereámur in cælis: Qui vivis et regnas.

Ad Laudes tantum fit Com. Ss. Soteris et Caji Pp. et Mm. (*semidupl.*):

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátos Sotérem et Cajum, Mártyres tuos atque Summos Pontífices, perpétua protectióne custódi; quos totius Ecclésiæ præestitísti esse pastóres. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM

Ant. Multæ fíliæ * congregavérunt divítias; tu supergréssa es univérsas, allelúja.

Capit. *Eccli. 24, 24-25*

Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis.

℟. *br.* Spécie tua et pulchritúdine tua, * Allelúja, allelúja. — Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde et regna. — Allelúja. allelúja. — Glória Patri. — Spécie tua.

℣. Stola jucunditátis índuit eam Dóminus, allelúja. ℟. Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam, Genitrícem tuam, beáto Ignátio pietátis Magístram ejúsque famíliæ Regínam ac Matrem esse voluísti: concéde, quaésumus; ut cujus patrocínio gaudémus in terris, de ejúsdem glória lætári mereámur in cælis: Qui vivis.

AD SEXTAM

Ant. Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúja.

Capit. *Eccli. 24, 26-27*

Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum.

℟. *br.* Stola jucunditátis índuit eam Dóminus, * Allelúja, allelúja. — Stola. ℣. Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. — Allelúja, allelúja. — Glória Patri. — Stola.

℣. Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa, allelúja. ℟. Et innumerábilis honéstas per manus illíus, allelúja.

AD NONAM

Ant. Adésto nobis * et serva nos, Dómina et Mater nostra, allelúja.

Capitulum *Eccli. 24, 28, 30 et 31*

Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui audit me non confundétur. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. *br.* Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa, * Allelúja, allelúja. — Venérunt. ℣. Et innumerábilis honéstas per manus illíus. — Allelúja, allelúja. — Glória Patri. — Venérunt.

℣. Coróna áurea super caput ejus, allelúja. ℟. Expréssa signo sanctitátis, allelúja.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis, præter seq.:

Ad Magnif. Ant. Regína mundi digníssima. * María, Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium, allelúja.

Et fit commemoratio sequentis tantum:

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercéssione lætíficas: concéde propítius; ut, qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

15. **7 augusti 1942.**

Gratiae aguntur pro Obolo S. Petri. – Epist. Card. a Secr. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 52134. *Dal Vaticano,* 7 agosto 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

L'obolo, che la Compagnia di Gesù ha umiliato al Santo Padre con generosità ed affetto pari allo zelo della sua molteplice attività nella mistica vigna, è stato accolto dalla Santità Sua come un nuovo pegno, non necessario ma sempre gradito, di quella devozione alla Santa Sede, che i figli di S. Ignazio non cessano di rendere in tutti i modi tangibile nel servizio della Chiesa.

Alla Paternità Vostra Reverendissima, sollecita fra tutti a dare al Vicario di Gesù Cristo simili prove di filiale adesione, Sua Santità esprime per mio mezzo la Sua augusta riconoscenza. E mentre per la intera Compagnia e per tutte le sue opere forma ancora una volta paterni voti, invoca sempre più largo ed efficace il rendimento del suo fervoroso apostolato ed invia di cuore alla Paternità Vostra e a tutta la sua grande, religiosa famiglia la confortatrice Apostolica Benedizione.

Con senso di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

16. **13 augusti 1942.**

Gratiarum actio pro copia spiritualium munerum a Congregationibus Marianis Summo Pontifici oblata. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad P. Vicepraes. Secret. Congr. Marian.

Romae, 8 septembris 1942.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Summo Pontifici, 25um a Sua consecratione episcopali anniversarium celebranti, Congregationes Marianae piorum operum ad

Eiusdem intentiones actorum, prout A. R. P. Noster suaserat, filiali sensu, thesaurum eleganti volumine compactum obtulerunt. Quamquam non paucis, e variis nationibus ob temporum adiuncta, munera sua per nos tempestive mittere non licuit, thesauri tamen nostri summa haec erat:

SS. Missae celebratae prima intentione .	18.059
SS. Missae celebratae secunda intentione	32.471
SS. Missae auditae	3.300.264
SS. Communiones	6.117.370
Visitationes ad SS. Sacramentum . .	3.852.361
Viae Crucis	1.080.243
Coronae Rosarii	4.396.293
Mortificationes	7.011.323
Actus virtutum	9.631.654
Preces variae	30.929.660

Gratias vero, pro studio quo opera illa pia collegit, R. V.ae melius agere nequibam quam ut, cum ea, epistulam communicarem qua Em.mus Cardinalis Aloisius Maglione pergratum Beatissimi Patris animum mihi manifestabat.

Cui, ob earum maximum atque universale momentum, iungendas duxi Litteras Apostolicas Summi Pontificis Pii Pp. XII, ad Em.mum Cardinalem Sebastianum Leme, quibus amorem suum erga Congregationes Marianas promens, earum indolem propriam ac notas essentiales in sollemni autographo declarat (1).

Haec, totque alia, quibus Sanctitas Sua, verbo scriptoque, aperte patefacit quam singulari dilectione curaque paterna Congregationes nostras prosequatur, animum et vires nobis addere debent ut melius ac melius in dies exspectationi Eius, auxiliante Beatissima Regina, Patrona et Matre nostra Virgine Maria, respondeamus.

Velit, quaeso, R. V. utrumque documentum, cuius textum originalem simul cum latina interpretatione mitto, pro sua diligentia curare ut ad notitiam Congregationum suae ditionis perveniat.

R. V.ae orationibus et ss. SS. me commendo

Servus in Xto.
AEM. VILLARET S. I.
Vicepraes. Secret. Congr. Marian.

(1) V. supra, pag. 306 sq.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 53517.

Dal Vaticano, 13 agosto 1942.

REV.MO PADRE,

Per il fausto avvenimento del Giubileo Episcopale di Sua Santità difficilmente avrebbero potuto la pietà religiosa e il genio artistico delle Congregazioni Mariane umiliare al Santo Padre un omaggio più espressivo e più gradito di quello che hanno offerto per mezzo della Paternità Vostra con tanta ricchezza spirituale nel contenuto e tanta eloquenza di simbolismo nella forma. Il dono è una novella prova del fervore da cui gli sparsi gruppi sono animati e dello zelo che in essi si alimenta per gl'interessi generali della Chiesa e per le intenzioni del suo Capo visibile, il Vicario di Cristo.

Una tale constatazione è alla Santità Sua particolare motivo di fiducia nelle angustie dell'ora presente; e il Suo spirito rende grazie a Dio che da tanti cuori suscita calda e perenne la preghiera, avvalorata dall'opera e dal sacrifizio a sostegno di Colui che porta gran peso in mezzo a tante afflizioni.

Nel ringraziare i singoli gruppi del loro generoso concorso, l'Augusto Pontefice forma di cuore per tutti e per ciascuno i Suoi più fervidi voti. E con la ferma certezza che una tale somma di bene si risolva via via in altrettanti aiuti divini per la Sua persona e per coloro stessi che alacremente l'accumulano, imparte di gran cuore alle singole Congregazioni Mariane e ai loro solerti direttori l'Apostolica Benedizione.

Con sensi di religiosa stima mi professo

della Paternità Vostra
aff.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Rev.mo Padre E. VILLARET, S. I.
Roma.

Latina interpretatio.

Ex Aedibus Vaticanis, 13 augusti 1942.

Reverendissime Pater,

Ad celebrandum faustum eventum Iubilaei Episcopalis Summi Pontificis, vix potuit pietas religiosa artifexque ingenium Congregationum Marianarum demisse offerre Beatissimo Patri munus, quod aut maiorem vim haberet aut gratius Ei esset, quam illud quod Ei obtulerunt per Paternitatem Vestram, tantam spiritualem copiam continens tamque eloquenti symbolismo expressam. Donum hoc est novum indicium illius fervoris, quo variae dispersaeque Congregationes sunt incensae, atque illius zeli, qui in eis alitur, pro communibus Ecclesiae necessitatibus et pro intentionibus eiusdem Capitis et Iesu Christi Vicarii.

Eiusmodi persuasio dat Sanctitati Suae argumentum fiduciae, mediis in hodiernis angustiis; Eiusque animus gratias Deo refert, quod e tot cordibus excitet fervidam hanc perennemque precationem, opera quoque et sacrificio corroboratam, in adiumentum Illius, qui tam grave onus per tantas portat calamitates.

Dum ergo singulis Congregationibus gratias agit de opera ab eis tam generose collata, Augustus Pontifex, pro omnibus et singulis fervidissima vota ex corde facit. Et firmiter persuasum habens tantam hanc boni summam paulatim conversum iri in tot divina auxilia erga Se et erga eos ipsos qui illam cumulant, impertit ex toto corde singulis Congregationibus Marianis earumque industriis directoribus Apostolicam Benedictionem.

17. **26 augusti 1942.**

Gratiarum actio pro exhibitis Summo Pontifici spiritualibus donis Apostolatus Orationis. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

Segreteria di Stato
di Sua Santità
—
N. 54049.

Dal Vaticano, die 26 augusti 1942.

Rev.me Pater,

Augusto Pontifici XXV episcopatus annum condenti in vocum consensione et concentu, quae undique Ei salutaria et fau-

sta adprecantur, dulcissimum Ei advenit ominum obsequium Ipsi a sociis Apostolatus Orotionis delatum [1].

Sanctitas Sua enim suavi sensit animum Suum affici oblectamento, cum abs te missa manu pervolvit venuste exarata volumina, quae Ipsi copiosos, uberes, laetos manipulos exhibuerunt precum piorumque operum, quae memoratae Sodalitatis gregales aemula contentione Eidem collegerunt ac messuerunt.

Beatissimus Pater perspicuo testimonio vidit emicare pietatem fidemque, quae, uniuscuiusque virtutis comites, eos praeclaro ornamento decorant atque benevolentia reddunt dignissimos.

Hanc eis Sanctitas Sua, de studii obsequio gratias reddens plurimas, Apostolica Benedictione pandit et palam facit: qua auspice pergant ii pura mente et strenua voluntate Deum colere, Ecclesiae causae optimae se vovere, catholicae sapientiae lumine magis magisque ditescere atque vitae praestantia et celsitate praecellere.

Interea qua par est observantia me profiteor

tibi
addictissimum
ALOIS. Card. MAGLIONE.

Rev.mo Patri
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Praeposito Generali Societatis Iesu. - Roma.

---

(1) Tam multae fuerunt eae obsequii significationes, ut tribus ipsis voluminibus distingui debuerint. Singula volumina ita inscribebantur: « Testimonia venerationis et pietatis qua erga Summum Pontificem Pium Papam XII flagrant Socii Apostolatus Orationis ».

Primum volumen ferebat etiam hanc dedicationem: « Pia Societas Apostolatus Orationis per centum fere annos, pro triumpho Ecclesiae Dei, ad intentiones Summi Pontificis inter innumeros catholicos varia pietatis exercitia commendans, hodieque associatorum plus quam 35.000.000 singulis mensibus in 200 libris et foliis periodicis intentiones papales explicando enixeque commendando, occasione vicesimi quinti anniversarii consecrationis episcopalis Summi Pontificis Pii Papae XII, erga eam semper benevolentis, hoc venerationis et pietatis testimoniorum florilegium humiliter ad pedes Suae Sanctitatis deponit ». Complectebatur autem testimonia 12 nationum Europae.

Alterum volumen, soli Hispaniae reservatum, 98 foliis constabat.

Tertium volumen Cruciatam Eucharisticam proferebat.

18. 27 novembris 1942.

Oratio quaedam ab A. R. Patre Nostro aegrotante confecta Indulgentiis pro Nostris ditatur. — Rescript. S. Paenit.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Xto. Pater,

P. Xti.

Cum Summus Pontifex tam saepe tamque instanter commendet, ut omnes oremus non solum ad pacem obtinendam, sed etiam ut totus novus rerum ordo ex hoc immani bello exoriturus ad leges evangelicas et secundum spiritum christianum re vera componatur, putavit Pater Noster ad id accelerandum aliquid conferre posse breves quasdam preces, quas Sacrae Paenitentiariae Apostolicae Indulgentiis pro Nostris tantum ditandas proposuit.

Sacrum vero Tribunal petitionem benevolentissime excipiens, Rescriptum die 27 novembris dedit, quod nunc de mandato Patris Nostri cum R. V. communico, ut per domos tempestive spargatur.

Romae, die festo S. Francisci Xaverii,
3 decembris 1942.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Ludovicus Dumoulin
Secr. Soc. Iesu.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

OFFICIUM DE INDULGENTIIS
N. 9181/42.

Beatissime Pater,

Praepositus Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humiliter petit partialem quingentorum dierum Indul-

gentiam a Sodalibus praedictae Societatis lucrandam quoties infra relatas preces saltem corde contrito ac devote recitaverint.

ANT. — Spiritus Sancte, Spiritus veritatis et caritatis, da populis claritatem luminis tui et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, supplices Te rogamus, ut omnes gentes earumque rectores per Spiritum Sanctum cognoscant Te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum, utque secundum Eius leges vitam suam privatam ac publicam componant ad maiorem gloriam Nominis tui atque ad temporalem et aeternam suam propriam salutem. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Amen.

Et Deus, etc.

Die 27 novembris 1942.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum a SS.mo D. N. Pio Pp. XII sibi tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces ad septennium.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

L. ✠ S.

N. Card. CANALI
Paenitentiarius Maior.

S. LUZIO *Regens.*

19. 28 novembris 1942.

Summus Pontifex A. R. Patri Nostro, morientium sacramentis muniendo, benedicit, verba faciens certae spei et amoris plena. — Telegr. Pii Pp. XII.

Città del Vaticano, 28-XI-42.

A quel Gesù nella cui santa ed intrepida milizia hai combattuto la buona battaglia ti raccomandiamo oggi con

preci particolari memori di tutti i vincoli che alla tua persona piamente Ci legano mentre afflitti per la dolorosa tua infermità confortiamo il tuo filiale abbandono nelle braccia Divine con la Nostra speciale Benedizione Apostolica.

PIUS PP. XII.

Latina interpretatio.

Illi Iesu, in cuius sancta et intrepida militia bonam pugnam pugnasti, te hodie peculiaribus precibus commendamus, memores omnium illorum vinculorum quae Nos tibi ipsi pie coniungunt; dum afflicti ob tuam acerbam aegrotationem, filialem tuam in Dei manus deditionem speciali Nostra Benedictione Apostolica confirmamus.

PIUS PP. XII.

20. **1 decembris 1942.**

Quaedam ex liturgia facultates pro nostris domibus Exercitiorum instaurantur ad quinquennium. — S. C. Rit.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Mandante R. P. Vicario, R.m V.m certiorem facio nuper a Sacra Congregatione Rituum per P. Procuratorem Generalem obtentam esse renovationem ad alterum quinquennium concessionis anno 1937 factae, qua indulgebatur ut in Oratoriis Domorum Exercitiorum pro caeremoniis liturgicis dierum Purificationis B. M. V., Cinerum, et Hebdomadae Maioris adhiberi posset Memoriale Rituum Benedicti XIII.

Rescriptum renovationis iisdem clausulis munitur ac prima

concessio (cf. Acta Rom., VIII (1937) 676), et eadem ratione ac antea Pater Noster gratiam communicat (ibid., pag. 675).

Commendo me ss. SS.

Romae, die 8 decembris 1942,
in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V.

R.ae V.ae servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

—

N. 2294/942.

BEATISSIME PATER,

Procurator Generalis Societatis Iesu ad pedes S. V. humillime provolutus implorat facultatem, qua in Oratoriis domorum S. I. ad spiritualia exercitia tradenda benedictio Candelarum in festo Purificationis B. M. V., et Cinerum die prima Quadragesimae, necnon sacrae functiones Dominicae Palmarum et Maioris Hebdomadae peragi queant iuxta Memoriale Rituum Benedicti Papae XIII.

Et Deus, etc.

SOCIETATIS IESU.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XII tributis, preces remisit prudenti arbitrio R.mi Ordinarii seu Proc. Gen. S. I.; ut, nomine et auctoritate Sanctae Sedis, permittat ad proximum quinquennium sacras suprascriptas Functiones in Oratoriis domorum Soc. Iesu ad spiritualia exercitia tradenda peragi iuxta Memoriale Rituum s. m. Benedicti Papae XIII iussu editum anno 1725 pro ecclesiis minoribus; dummodo certo constet in dictis Oratoriis decori ac reverentiae sacrorum Mysteriorum satis esse consultum. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Romae, die 1 decembris 1942.

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

L. ✠ S.

HENRICUS DANTE, *Subst.*

21. 14 decembris 1942.

Merita extolluntur A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski erga Pont. Opus a S. Petro Apost. — Epist. R. D. a Secr. Op. ad R. P. Vicar. Gen.

PONTIFICIUM OPUS A S. PETRO APOSTOLO
PRO CLERO INDIGENA CONSILIUM GENERALE

PROPAGANDA FIDE
ROMA
—
N. 668/42.

Rome, ce 14 décembre, 1942.

TRÈS RÉVÉREND PÈRE,

Le Conseil Général de l'Oeuvre Pontificale de Saint Pierre Apôtre me charge de Vous présenter à l'occasion du deuil qui frappe Votre illustre famille religieuse l'expression de ses plus sincères condoléances et l'assurance de ses ferventes prières.

Le Très Révérend Père Ledóchowski a de tous temps témoigné à notre Oeuvre un intérêt et une bienveillance dont elle gardera toujours le souvenir. Mais c'est surtout en ces dernières années et spécialement à l'occasion du Cinquantenaire de la fondation de l'Oeuvre que le Conseil a pu apprécier avec reconnaissance cette précieuse bienveillance. Les nombreuses lettres d'ailleurs qui à cette occasion lui parvinrent des différents séminaires des Missions dirigés par les Pères de la Compagnie de Jésus lui apportèrent l'expression d'une union d'efforts si cordiale et si générale qu'il lui était facile de retrouver dans cette attention des fils la bonté du Père. L'année même qui clôture la carrière magnifique du Père Ledóchowski nous a apporté par la désignation des intentions de l'Apostolat de la Prière un nouveau témoignage de la haute bienveillance du regretté Général envers le but, les efforts, les espoirs de notre Oeuvre.

C'est d'un coeur ému et dans une prière reconnaissante et filiale que le Conseil Général s'unit en ces jours aux Membres de la Compagnie de Jésus. Il ne manquera pas de rappeler à tous les Directeurs nationaux et à tous les séminaires d'honorer la mémoire du très Révérend Père Ledóchowski en accordant

à Son âme les prières que l'Oeuvre réserve à ses plus chers Bienfaiteurs.

Agréez, très Révérend Père, avec l'expression réitérée de mes sincères condoléances et de celles de Monseigneur Nobels l'hommage de mes sentiments très respectueux et dévoués en Notre Seigneur.

Le Secrétaire Général
A. SIGNORA.

Le Très Révérend Père M. SCHURMANS
Vicaire Général de la Compagnie de Jésus. - Rome.

Latina interpretatio.

Generale Consilium Pont. Operis a S. Petro Apostolo mihi munus demandavit R.m V.m certiorem faciendi de ingenti dolore quo affectum est propter luctum, qui vestrae religiosae Familiae obtigit.

Etenim Rev.mus P. Ledóchowski tanta benevolentia tantaque sollicitudine Opus nostrum prosequebatur, ut illius memoria in animo nostro semper permansura sit. Hisce vero postremis temporibus, ac praesertim cum quinquagesimus a condito Opere annus recurreret, plane persensimus, quanti eius benevolentia facienda esset. Epistolae enim bene multae, per eam occasionem ad nos missae ex compluribus Seminariis quae in Missionibus Patres Societatis moderantur, eos omnium et ex animo profectos sensus coniunctissime ostenderunt, quibus difficile non erat in voluntate filiorum dignoscere patris benevolentiam.

Hoc autem anno quo perillustris suae vitae cursum P. Ledóchowski confecit, novum magni favoris specimen erga finem, conatum, spem ipsam Operis nostri dedit, cum Intentiones Apostolatus Orationis deligeret.

Quare Consilium Generale hisce diebus, uno corde unaque grati animi precatione, se Sodalibus Societatis Iesu coniunxit. Minime autem praetermittet, quin omnes Moderatores Nationales et omnia Seminaria adhortetur, ut memoriam Rev.mi P. Ledóchowski honorare velint eique deferant preces, quas Opus optatissimis suis benefactoribus reservare solet.

Sit tibi gratum, Rev.me Pater, etc.

22. 15 decembris 1942.

A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski meritum extollitur admittendi coniungendique cum vita Societatis Ritus Orientales. — Epist. Card. Tisserant ad R. P. Vic. Gen.

SACRA CONGREGAZIONE
« PRO ECCLESIA ORIENTALI »

N. 616/42.

Roma, 15 dicembre 1942.

REV.MO PADRE,

Dopo di avere reso, coll'Ecc.mo Mons. Assessore e con Mons. Sostituto di questo S. Dicàstero, reverente tributo di omaggio e di preghiera presso la salma di P. Wlodimiro Ledóchowski, sino a ieri l'altro venerato Preposito Generale della Compagnia di Gesù, mi preme attestare a V. P. Rev.ma, chiamato dalla fiduciosa designazione del defunto a reggere la Compagnia stessa quale Vicario Generale, quanto la S. Congregazione per la Chiesa Orientale partecipi all'unanime rimpianto per la morte di così grande e fedele « miles Christi ».

La Compagnia di Gesù dirà del Padre Ledóchowski memorande e tutte edificantissime cose. Ma questo S. Dicastero può dire, come forse nessun altro, che il Generalato di Lui è stato anche luminosamente segnato dalla comprensione intima, generosa e ardita, che egli ebbe della necessità di favorire il costituirsi e lo svilupparsi di gruppi di Gesuiti che vivessero la immutata vigoria della loro vita religiosa nella varietà dei riti orientali. Proprio nel tempo del Generalato di Lui la Compagnia di Gesù fissò e diffuse, come un principio e come un anelito di vita cattolica, la prova concreta che i figli di Sant'Ignazio possono tanto più validamente operare in Oriente per la maggior gloria di Dio quanto più generosamente conservano e custodiscono la spontanea e tradizionale bellezza liturgica delle cristianità orientali. Per tale ragione, la S. Congregazione per la Chiesa Orientale eleva alla memoria di P. Ledóchowski testimonianza di fervida ammirazione e rimpiange la scomparsa di Lui come quella di un magnifico e sapiente collaboratore.

Voglia la dolcissima Madre di Dio — tenero legame di carità fra i Cattolici e i dissidenti — concedere, all'anima pia di

P. Ledóchowski, l'onnipotente consolazione della sua intercessione materna e raccogliere per Lui, anche in ragione dei meriti ch'Egli acquistò verso l'Oriente Cristiano, abbondanti tesori di misericordia divina!

Gradisca i sensi del mio distinto ossequio, col quale ho il piacere di dichiararmi

di V. P. Rev.ma
dev.mo nel Signore
EUGENIO Card. TISSERANT, *Segr.*

† ANT. ARATA, Arciv. di Sardi, *Assessore.*

Al Rev.mo P. ALESSIO AMBROGIO MAGNI
Vicario Generale della Compagnia di Gesù
Borgo Santo Spirito N. 5. - Roma.

Latina interpretatio.

Postquam una cum Exc.mo DD. Assessore et DD. Substituto huius S. Congregationis iusta funebria et preces exuviis Patris Ledóchowski Praepositi Generalis Societatis Iesu coram persolvi, nihil antiquius habui, quam ut Tibi, Reverende Pater, quem ille tanta cum fiducia Vicarium Generalem designavit, dolorem testarer, quo S. Congregatio pro Ecclesia Orientali communi luctui interest pro morte tam magni ac fidelis « militis Christi ».

Societas quidem Iesu complura memoratu digna rarissimique exempli de eo narrabit; haec tamen S. Congregatio id quod forsan nemo alius dicere poterit fatetur, nimirum in Praeposito Generali emicuisse intimum intellectum, magnanimum quidem illum ac fidentem, favendi institutioni et progressui quarumdam turmarum Sodalium, qui et diversos Ecclesiae Orientalis ritus induerent et immutatam suae vitae religiosae vim et rationem in illis servarent. Praeposito Generali Wlodimiro Ledóchowski, Societas Iesu illud, veluti principium quoddam et vitae catholicae anhelitum, statuit ac diffudit, Filios videlicet S. Ignatii eo validiorem maiori Dei gloriae in Oriente operam dare posse, quo generosius venustos et naturales Orientalis Ecclesiae ritus servarent et custodirent. Quamobrem S. Congregatio pro Ecclesia Orientali memoriam Patris Ledóchowski summa cum admiratione extollit, eiusque casum dolet, ac si magnificum et sapientem auxiliarem amisisset.

Faxit dulcissima Mater Dei, quae est gratum charitatis vincu-

lum dissidentes catholicis devinciens, piae Patris Ledóchowski animae validissimum solacium maternae suae deprecationis concedere eumque thesauris divinae misericordiae cumulare pro meritis etiam quibus Orienti Christiano profuit.

Acta quaedam in causis NN. BB. et VV.

23. 13 februarii 1942.

Examinantur scripta S. D. Francisci Garate, Coad. Temp. (1). — S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N. 478/4/942.

MATRITEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

FRANCISCI GARATE

FRATRIS COADIUTORIS SOCIETATIS IESU.

Instante Rev.mo P. Carolo Miccinelli, Societatis Iesu Postulatore Generali, E.mus ac Rev.mus Dominus Raphael Carolus Cardinalis Rossi, Causae Servi Dei Francisci Garate, eiusdem Societatis fratris coadiutoris, Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, dubium discutiendum proposuit super scriptis ipsius Servi Dei. Et E.mi ac Rev.mi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Ponentis, responderunt: Quum Servus Dei fuerit illiteratus, nihil obstare, quominus ad ulteriora procedatur. Die 3 februarii 1942.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XII. per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalem Praefectum relatis, Sanctitas Sua Purpuratorum Patrum responsum probare et confirmare benigne dignata est. Die 13 februarii 1942.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

---

(1) Cf. Act. Rom. vol. X, 1941, pag. 55.

24. **7 martii 1942.**

Conceditur, ut Processus ordinarius informativus S. D. Ludovici Stephani Rabussier Romae fiat et non Pictavii (1). — S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N. 490/1/942.

ROMANA SEU PICTAVIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

LUDOVICI STEPHANI RABUSSIER

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Pictavii in Gallia, die 9 decembris anno 1897, supremum diem obiit Dei Famulus Ludovicus Stephanus Rabussier, sacerdos professus Societatis Iesu. Quum vero pauci admodum sed magni momenti testes de visu supersint, quique in maxima parte Romae et in Curiis Galliae commorentur, nullus vero Pictavii, quo paucas ante hebdomadas idem Dei Famulus se contulerat, Rev.mus P. Carolus Miccinelli, eiusdem Societatis Postulator Generalis, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII. suppliciter exoravit, ut Processus ordinarius informativus Romae instrui valeat, et in forma rogatoriali in Curiis Galliae ubi sint testes, Pictavii vero Processus de non cultu.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab Ipso Sanctissimo Domino nostro tributarum, attentis expositis peculiaribus adiunctis, benigne in omnibus annuit pro gratia iuxta preces; servatis tamen omnibus de iure servandis. Quibuscumque contrariis non obstantibus.

Die 7 martii 1942.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*
A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

---

(1) P. Ludovicus Stephanus Rabussier (Prov. Franc.) ortus est in oppido Herblay dioecesis Versaliensis in Gallia die 12 decembris 1831. Societatem ingressus die 6 septembris 1851, professionem sollemnem emisit die 2 februarii 1868. Dein tota vita fuit operarius variis in locis vere strenuus, sed vitae interioris et se suaque occulandi perstudiosus,

25. 24 aprilis 1942.

Validi declarantur constructi Processus in causa SS. D. Petri Olivaint et Soc. MM. (1). — S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N. 305/14/942.

PARISIEN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII
SERVORUM DEI
PETRI OLIVAINT, LEONIS DUCOUDRAY,
ALEXII CLERC, JOANNIS CAUBERT
ET ANATOLII DE BENGY
SACERDOTUM PROFESSORUM SOCIETATIS IESU,
IN ODIUM FIDEI, UTI FERTUR, INTERFECTORUM.

Instante Rev.mo P. Carolo Miccinelli, Societatis Iesu Postulatore Generali, infrascriptus Cardinalis S. Rituum Congregationis Praefectus et Causae Servorum Dei Petri Olivaint, Leonis Ducoudray, Alexii Clerc, Joannis Caubert et Anatolii de Bengy, sacerdotum professorum Societatis Iesu, in odium fidei, uti fertur, interfectorum, Ponens seu Relator, in Ordinariis Particularibus S. Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, dubium discutiendum proposuit: An constet de validitate processuum tum ordinaria cum apostolica auctoritate constructorum; testes sint rite recteque examinati et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur. Et E.mi ac Rev.mi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem Cardinalis Ponentis, auditis quoque Rev.mis Praelatis Officialibus, nec non R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, rescribendum censuerunt: Affirmative, seu constare. Die 21 aprilis 1942.

Quibus omnibus SS. Domino nostro Pio Papae XII. per ipsum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua Purpuratorum Patrum

---

qua virtute eximius fuit. Congregationem monialium S. Familiae a S. Corde Iesu instituit. Obiit Pictavii die 9 decembris 1897.

(1) Cf. Act. Rom. vol. IX, 1940, pag. 530.

responsum probare et confirmare benigne dignata est. Die 24 aprilis 1942.

† Carolus Card. Salotti, *S. R. C. Praef.*

A. Carinci, *S. R. C. Secr.*

26. 27 iulii 1942.

Approbantur scripta quaedam, recenter inventa, S. D. Francisci de Paula Tarin (1). — S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum

N. 147/24/942.

HISPALEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

FRANCISCI DE PAULA TARIN

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Instante Rev.mo P. Carolo Miccinelli, Societatis Iesu Postulatore Generali, E.mus ac Rev.mus Dominus Alexander Cardinalis Verde, Causae Servi Dei Francisci de Paula Tarin, sacerdotis professi memoratae Societatis Iesu, Ponens seu Relator, in Ordinariis S. Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, dubium discutiendum proposuit super revisionem quorundam scriptorum recenter inventorum ipsius Servi Dei. Et E.mi ac Rev.mi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Ponentis, re diligenter perpensa, rescribendum censuerunt: Nihil obstare quominus ad ulteriora procedatur; reservato tamen iure Promotori Generali Fidei obiiciendi si et quatenus de iure. Die 27 iulii 1942.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII, per R. P. D. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem Generalem,

(1) De hac causa videas Act. Rom. vol. VII, 1934, pp. 702-705, 877 sqq.; vol. IX, 1938, pp. 154 sq.; 1939, pp. 326 sq.; 1940, pag. 526.

relatis, Sanctitas Sua Purpuratorum Patrum responsum probare et confirmare benigne dignata est. Die 2 augusti 1942.

A. CARINCI *S. R. C. Secr.*

L. ✠ S.

S. MATTEI, *Officialis.*

27. **5 augusti 1942.**

Positio causae S. D. Ioannis Roothaan strenue paratur. — S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
SECTIO HISTORICA.

Romae, die 5 augusti 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

Rispondo con piacere alla venerata lettera con la quale V. Paternità Rev.ma mi raccomanda lo studio della Causa del Servo di Dio Giovanni Roothaan.

Dirò subito, Padre Rev.mo, che lo studio di detta Causa è già avviato e procede bene. Un Rev.mo Consultore ha già esaminato profondamente alcune questioni più importanti ed è pervenuto a risultati del tutto favorevoli. Posso ora dare assicurazione alla P. V. Rev.ma che dopo le vacanze estive, ultimati ormai questi studi preparatori, ci metteremo senz'altro a preparare la Posizione per la stampa. Penso che questa notizia le farà piacere.

Io desidero, Padre Rev.mo, che il Signore le conceda ancora molti e molti anni di vita; ma d'altra parte anche il pensiero della Sua buona età costituisce indubbiamente una ragione di più per affrettare, quanto è possibile, il lavoro. E sarò lietissimo se avrò potuto contribuire in qualche modo a che V. Paternità abbia la consolazione di vedere avviata verso il porto la Causa così importante del Roothaan.

Colgo l'occasione per notificare alla Paternità V. Rev.ma che abbiamo terminato la Posizione della Serva di Dio Rosa Venerini. Appena ultimata la stampa ne invierò copia anche a Vostra Paternità, dato che si tratta di una gloria genuina della Compagnia.

Gradisca i miei religiosi ossequi, Padre Rev.mo mentre mi confermo

di V. Paternità Rev.ma
Dev.mo in Dno
Fr. F. ANTONELLI O. F. M.
[*Relat. Gen.*]

R.mo Padre
WLODIMIRO LEDÔCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

28. 18 augusti 1942.

Dantur Litterae Remissoriales, ut Maioricae in insulis Balearibus instituatur Processus Apostolicus de mire recuperata (ut fertur) valetudine, invocato B. Iosepho Pignatelli. — S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

ROMANA.

CANONIZATIONIS

B. IOSEPHI PIGNATELLI

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Cum ad invocationem B. Iosephi Pignatelli, cuius Causa reassumpta est die 19 iunii 1935 (1), in dioecesi Maioricensi mira quaedam feratur sanatio patrata in domina Maria Teresia Irache, Carolus Miccinelli S. I. Postulator Generalis, humiliter a Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. XII imploravit Litteras Remissoriales Exc.mo Episcopo Maioricen. dirigendas ad Processum apostolicum instituendum super praefata asserta sanatione.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab Ipso Sanctissimo Nostro tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces, et petitas Litteras Remissoriales in casu et ad effectum de quo agitur, expediendas benigne concessit Exc.mo Episcopo Maioricensi tanquam Praesidi et quatuor sacerdotibus in aliqua ecclesiastica dignitate constitutis: cum clausula tamen quod idem Exc.mus Vir cum duobus iudicibus, vel

(1) Cf. Act. Rom. vol. VIII, 1935, pag. 49 sqq.; vol. IX, pag. 323 sq.

ipso absente et annuente, tres saltem iudices omnibus et singulis actis Processus semper et coniunctim assistant; facta quoque potestate eidem Exc.mo Episcopo in casu mortis vel impedimenti unius vel plurium ex nominatis, alium aut alios ex eodem coetu substituendi, et cum ceteris facultatibus in similibus concedi solitis: adlecto insuper medico perito, qui, ad normam Iuris sessionibus tribunalis adsit: adsignato termino duorum annorum a die praesentationis et aperitionis Litterarum Remissorialium computando, ad memoratum processum apostolicum absolvendum; adhibitis, denique, ad rem peculiaribus Interrogatoriis a R. P. D. Fidei Promotore Generali tradendis. Servatis de cetero servandis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18 augusti 1942.

A. Carinci, *S. R. C. Secr.*

29. 22 octobris 1942.

Conceduntur Litterae Remissoriales et Compulsoriales ad Apostolicam inquisitionem instituendam de mira sanatione impetrata (ut fertur) ex invocato S. D. Adulpho Petit [1]. — S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum

N. 141 - 27/942.

GANDAVEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

ADULPHI PETIT

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Quum ad invocationem Servi Dei Adulphi Petit, sacerdotis professi Societatis Iesu, patrata feratur prodigiosa sanatio in persona Leonis Schaack, Dioeceseos Luxemburgensis, Rev.mus P. Carolus Miccinelli, eiusdem Societatis Iesu Postulator Generalis, a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII. Litteras Remis-

(1) Act. Rom. vol. VII, p. 121 sq.; p. 699 sq.; vol. VIII, p. 445, 519, 690-96, 766 sq.; vol. IX, p. 157 sq., 525.

soriales et Compulsoriales, ad Apostolicam Inquisitionem instituendam super asserta mira sanatione, enixe petiit.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab Ipso Sanctissimo Domino Nostro tributarum, petitas Litteras Remissoriales et Compulsoriales in casu et ad effectum de quo agitur, expediendas benigne concessit, easque dirigendas Exc.mo Episcopo Luxemburgensi tamquam praesidi ... (*cetera ad litteram sicut antea, pag.* 388 sq.).

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 octobris 1942.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

II. — PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS.

30. 27 ianuarii 1942.

Gratulatio pro Seminario Regionali Kinghsien in Sinis et pro Intentionibus Missionalibus Apostolatus Orationis. — Epist. EE. DD. a Secr. S. C. de Prop. Fid. ad A. R. Patrem Nostrum.

SACRA CONGREGATIO
« DE PROPAGANDA FIDE »
—
Prot. N. 102/42.

Roma, 27 gennaio 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

E' qui giunto il biglietto di V. P. Reverendissima in data 17 corr. con l'unita fotografia dei seminaristi del seminario regionale di Kinghsien e l'imagine riproducente le intenzioni dell'Apostolato della Preghiera per l'anno 1942.

Mentre La ringrazio anche a nome di Sua Eminenza per il gradito invio, profitto ben volentieri della occasione per fare i migliori auguri per il caro seminario regionale di Sienhsien, ricostituitosi già così vitale a Kinghsien e per compiacermi della scelta delle intenzioni dell'Apostolato della Preghiera, tutte dedicate al Clero Indigeno e quindi eminentemente missionarie. Son certo che il Cuore di Gesù ascolterà la supplica quotidiana di milioni di anime e ci darà un Clero Indigeno « virtute et numero » sempre più apprezzabile.

Voglia gradire i miei più rispettosi ossequi e credermi

di Vostra Paternità Rev.ma
devotissimo nel Signore
† CELSO COSTANTINI
Segr.

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

31. **30 ianuarii 1942.**

Amplae facultates ad decennium conceduntur celebrandi in templo nostro Matritensi festum et Missam B. M. V. a Bono Consilio. — S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N. 1322/42.

SOCIETATIS IESU.

Superior Domus Societatis Iesu Matritensis Sanctissimi Salvatoris et Sancti Aloisii [1] Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII humillime exposuit in templo adnexo exstare altare laterale in quo colitur Imago Beatae Mariae Virginis a Bono Consilio, et in quo residet Sodalitas Mariana iuvenum quae Beatam Mariam Virginem titulo Boni Consilii Patronam habet. Hinc Orator ab eodem Sanctissimo Domino Nostro suppliciter petiit ut, die festo eiusdem Virginis, omnes sacerdotes in templo celebrantes legere possint Missam Beatae Mariae Virginis dicti tituli, prouti invenitur in Missali Romano pro aliquibus locis; atque die dominico sequenti, non impedito, occasione conventus sodalium, celebretur una Missa de praedicta invocatione.

Sacra porro Rituum Gongregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributis, attentis expositis et R. P. Procuratoris Generalis Societatis Iesu commendationis officio, benigne annuit pro gratia iuxta preces ad proximum decennium, cum facultate celebrandi quotannis, die vigesima sexta aprilis, in festo Beatae Mariae Virginis, Boni Consilii Matris, omnes Misas de praedicto titulo mariali ab omnibus sacerdotibus ad illud templum confluentibus, dummodo non occurrat festum duplex primae vel secundae classis aut octava privilegiata. Indulsit insuper eadem Sacra Congregatio ut, die dominico proxime insequenti, idem festum cum unica Missa lecta celebrari valeat de Beata Maria Virgine titulo Boni Consilii Matris, dummodo non occurrat festum duplex primae vel secundae classis, aut Dominica privilegiata. Servatis Rubricis: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30 ianuarii 1942.

† CAROLUS Card. SALOTTI *S. R. C. Praef.*
A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

---

[1] P. Daniel Ruiz (Prov. Tol.).

32. 26 februarii 1942.

Summus Pontifex Coetum « Gli Amici della Civiltà Cattolica » confirmat eiusque operi benedicit. — Autogr. Pii XII.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
—
N. 46259.

Dal Vaticano, 26 febbraio 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

Mi allieto di significarLe che l'Augusto Pontefice con vivo piacere ha preso visione del Programma degli amici della « Civiltà Cattolica », la cui pergamena Le restituisco.

Sua Santità adeguatamente ha apprezzato tale iniziativa destinata a produrre eccellenti frutti di bene ed ha espresso il Suo augurio e la Sua Benedizione nel prezioso Autografo, scritto a calce dell'unito foglio della pergamena stessa.

Con sensi di religioso ossequio mi confermo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. G. MAGLIONE

Reverendissimo Padre
P. GIACOMO MARTEGANI S. I.
Direttore della « Civiltà Cattolica ». - Roma.
(con inserto)

Programma degli Amici
della « Civiltà Cattolica »

Un gruppo di laici sinceramente cattolici, profondamente convinti dell'importanza e necessità di un largo apostolato della stampa nella società moderna e desiderosi di dare con ciò un valido impulso non solo all'ulteriore perfezionamento della propria vita spirituale, ma anche alla diffusione dei santi principii religiosi e sociali, si propongono di aiutare il periodico « La Civiltà Cattolica » e di collaborare così, nella misura e nelle forme consentite dalla loro condizione, all'apostolato religioso e intellettuale ch'esso svolge tra le classi colte.

A questi volenterosi e a quanti desiderassero loro aggiungersi, la Direzione della « Civiltà Cattolica », insieme col suo plauso e il suo vivo ringraziamento, crede opportuno di presentare queste norme più particolareggiate:

Gli Amici della « Civiltà Cattolica » non costituiscono un'associazione, ma un libero gruppo, senza gerarchia tra loro nè interna nè esterna, solo uniti fraternamente nel vincolo della nostra santa religione allo scopo sopra indicato, sotto la guida immediata della Direzione del periodico.

L'adesione, che è pienamente facoltativa nè impone obblighi particolari di coscienza, avviene con la semplice ma esplicita accettazione dell'invito che verrà rivolto dalla Direzione della « Civiltà Cattolica ». Tale adesione s'intende di durata illimitata; ma può cessare in qualsiasi momento, oltre che per disposizione della Direzione stessa, anche per libera e insindacabile determinazione dell'aderente che significhi in qualche modo la sua nuova volontà.

Gli aderenti a quest'opera si propongono fini di ordine morale e religioso. Perciò si presuppone in essi una vita profondamente cristiana che, irradiandosi nell'attività esterna, intende giovare agli altri con desiderio e volontà di compiere opere di apostolato cristiano mantenendosi, in quanto aderenti a questo gruppo, al di fuori e al di sopra della politica di partito.

La collaborazione che la « Civiltà Cattolica » attende da questo gruppo di suoi Amici si attua principalmente:

con l'adesione personale di mente e di cuore ai sacrifici e ai meriti di questa forma di apostolato;

col favorire la simpatia al periodico e alle sue iniziative e promuoverne la diffusione specialmente tra le classi colte;

col trovare nuovi aderenti;

col promuovere contatti, con persone ed enti, rispondenti ai fini del periodico;

col procurare anche, possibilmente, qualche mezzo economico per facilitarne la maggior diffusione; col suggerire argomenti e trattazioni di più viva attualità.

Quest'ultimo modo di collaborazione, tutto proprio di questi Amici che vivono nel mondo, sarà assai giovevole e gradito alla Direzione, la quale, pur senza obbligarvisi, terrà nel debito conto tali suggerimenti.

A tale fine procurino gli Amici di notare le correnti intellettuali delle cerchie sociali, con cui la loro professione o condizione civile li pone più a contatto, seguirne le esigenze spirituali, le aspirazioni e i problemi, che più li attraggano nell'ora presente, le necessità più urgenti dello spirito moderno e riferirne, anche con relativa documentazione, per quanto riesca possibile, alla Direzione o agli scrittori del periodico, perchè vengano prontamente ed opportunamente incontro a tali bisogni. E' impossibile misurare tutto

il bene che in tal modo gli Amici della « Civiltà Cattolica » potranno fare non solo al periodico stesso, ma anche alla società moderna. Togliere a tempo un pregiudizio o infondere un sano principio in persona influente (come sono in certa misura tutte le persone colte) può essere un'attiva cooperazione ad un nuovo e più sano avviamento del pensiero moderno e con ciò stesso ad una cristiana rinnovazione della società, poichè sono le idee che governano il mondo.

Tutti gli aderenti, anche quelli che abitualmente non risiedono in Roma possono intervenire alle riunioni degli Amici che tratto tratto, dietro preavviso, si terranno presso la Direzione della « Civiltà Cattolica ».

Tali riunioni dalle quali esulerà ogni formalità ufficiale, si apriranno con un pensiero spirituale suggerito dal P. Direttore o da qualche altro dei Padri Dirigenti del periodico; si permetterà a ciascuno di riferire con libertà sul proprio lavoro personale, per mettere a profitto degli altri la propria esperienza; si scambieranno idee e suggerimenti sull'ulteriore attività; e si chiuderanno con una visita al SS. Sacramento e qualche preghiera comune.

Quelli che fossero assenti da tali riunioni, potranno essere messi al corrente dalla Direzione di ciò che in esse si sarà trattato.

Se col tempo fuori di Roma si venissero formando gruppi di Amici della « Civiltà Cattolica » e volessero tenere simili riunioni, dalla Direzione del periodico verranno date le norme adatte alle circostanze, e qualche volta vi potrà essere inviato qualche Padre delegato.

La Direzione della « Civiltà Cattolica » estende a tutti quelli che aderiranno a questo gruppo di suoi Amici i frutti spirituali e i meriti della vita e del lavoro in fraterna spirituale comunione di beni.

* * *

Amicis Commentarii « La Civiltà Cattolica », qui christianae doctrinae defendendae et diffundendae aemulo studio permoti eidem Commentario insignibus meritis praeclaro prece, opera, consilio, favore et quolibet adiumento opitulari contendunt, a Deo actuosae gratiae largitatem adprecamur et amanter benedicimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die 20ª Februarii 1942.

PIUS PP. XII.

33. **11 martii 1942.**

Insigni testimonio donantur Nostrorum opera in urbe Bagdad Missionis Iraquensis (*Prov. N. Angl.*). — Epist. Card. a Secr. S. C. pro Eccl. Or. ad A. R. Patrem Nostrum.

SACRA CONGREGAZIONE
« PRO ECCLESIA ORIENTALI »

N. 42/33.

Roma, 11 marzo 1942.

REV.MO PADRE GENERALE

Ho il vivo piacere di significare alla P. V. Rev.ma come le informazioni che mi pervengono sull'opera dei PP. Gesuiti a Bagdad siano per questo S. Dicastero motivo della più profonda soddisfazione. Essi hanno veramente e pienamente corrisposto alle speranze che si concepirono, quando si affidò loro quest'opera nella Capitale dell'Iraq, e godono di una stima e di una simpatia generale. E' questo il consolante risultato di un'attività condotta con intenti soprannaturali, lontana da qualunque forma di propaganda nazionalistica, con intenso amore al paese in cui i RR. Padri sono chiamati ad operare ...

Mentre sono lieto di portare quanto sopra a conoscenza della P. V.; Le rinnovo i sensi del mio distinto ossequio e mi confermo

di V. P. Rev.ma
dev.mo nel Signore
EUGENIO Card. TISSERANT, *Segr.*

† ANT. ARATA, Arciv. di Sardi, *Assessore.*

Al Rev.mo P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G.
Borgo S. Spirito, 5 - Roma.

34. **30 martii 1942.**

Summus Pontifex prosperitatem Convictus Damasceni de Urbe gratulatur. — Epist. Card. Tisserant ad Rectorem Convictus.

Sacra Congregazione
« pro Ecclesia Orientali »

N. 490/40/A.

Roma, 30 marzo 1942.

Rev.mo P. Rettore,

Ho il piacere di notificare alla P. V. Rev.ma che nell'Udienza di Sabato scorso, 28. corr., ho riferito al S. Padre circa il Collegio di S. Giovanni Damasceno. E' stata una vera soddisfazione per me il poter umiliare a Sua Santità le consolanti informazioni che V. P. mi ha dato circa il buon andamento del nuovo Istituto che forma tanta parte delle sollecitudini di V. P. ed al quale, amo pur dirlo, io porto un interesse particolarissimo. Sua Santità si è vivamente compiaciuta nell'udire i particolari sul funzionamento del caro Convitto sacerdotale, per quanto riguarda sia la Piètà e la disciplina, che il profitto negli studi ed anche le buone condizioni generali sulla salute.

Il Santo Padre auspica che il Damasceno sia, di giorno in giorno, sempre più ricco di frutti consolanti per il Clero Orientale; desidera perciò che sia dedicata pari attenzione alla pietà come agli studi. In segno poi del Suo augusto compiacimento Sua Santità ha affidato a me la Benedizione Apostolica che vuole paternamente comunicata alla P. V. ed a tutti i Superiori ed alunni del Damasceno.

Come mi è tornato particolarmente caro di poter dare al Santo Padre tali consolanti notizie in occasione della festiva ricorrenza del Santo, da cui si intitola il novello « Collegium », così è con soddisfazione tutta particolare che, mentre comunico, in questa circostanza, a V. P. la suddetta augusta Benedizione, Le esprimo i sensi della mia viva e sincera gratitudine per quanto Ella ha fatto e fa onde assicurare la buona riuscita della santa iniziativa.

Mi torna poi gradita la circostanza per augurarLe, ricolma di benedizioni la Santa Pasqua, e confermarmi

di V. P. Rev.ma
dev.mo nel Signore
Eugenio Card. Tisserant
Segr.

Al Rev.mo P. Emilio Herman S. I.
Rettore del Collegio S. Giovanni Damasceno
Via Carlo Cattaneo, 2 - Roma.

35. 5 maii 1942.

Summus Pontifex Pont. Sem. et Stud. Univ. Comillensis merita recenset et privilegia confirmat. — Epist. S. P. Pii XII ad A. R. Patrem Nostrum (1).

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 49522.

Dal Vaticano, 8 maggio 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

Ho il piacere di rimettere a Vostra Paternità Reverendissima il venerato Autografo, che l'Augusto Pontefice ha destinato alla Paternità Vostra per la celebazione cinquantenaria del Pontificio Seminario e della Università di Comillas.

Lieto di assolvere sì onorato incarico, profitto volentieri della circostanza per confermarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Reverendissima
aff.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.
(con Autografo Pontificio).

DILECTIS FILIIS
WLODIMIRO LEDOCHOWSKI
GENERALI SOCIETATIS IESU PRAEPOSITO
AC MODERATORIBUS ET ALUMNIS
PONTIFICII SEMINARII STUDIORUMQUE UNIVERSITATIS COMILLENSIS
PIUS PP. XII
DILECTI FILII,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Denis transactis lustris, postquam ex munifica nobilissimae familiae largitate Decessor Noster fel. rec. LEO XIII Pontificium Seminarium apud Comillas condidit, est profecto cur non modo sacrorum alumni, qui inibi rite instituuntur, non modo inclita Societas Jesu, cuius prudenti sapientique regimini hoc studiorum domicilium demandatum est, sed Hispaniae etiam Episcopi populusque universus, eiusmodi faustitatem commemorantes, immorta-

(1) A. A. S. XXXIV, 1942, pag. 228.

les Deo grates agant ob tot tantaque inde orta beneficia. Etenim, quamvis interdum, per emensum hoc annorum spatium, ob rerum angustias difficultatesque non paucas pacificus vitae cursus Instituti huius vel retardaretur, vel quasi interciperetur — quod quidem ob gravissimam praesertim eversionem accidit, qua nobilissima Hispanorum Natio paucis abhinc annis conflictata est — nihilo secius ita bonarum artium sacrarumque disciplinarum studium, una cum sedulo virtutis cultu, in juvenum animis effloruit ac viguit, ut ex Comillensi Universitate lectissimorum sacerdotum agmina proficiscerentur, qui vel in propria quisque Dioecesi, vel apud exteras regiones uberi cum fructu demandata sibi munia obirent. Quibus quidem in sacerdotalibus obeundis muneribus nonnulli ita virtute, scientia, prudentique agendarum rerum usu sese comprobarunt, ut digni haberentur, qui Episcopali augerentur dignitate; atque interdum etiam, Romanae purpurae majestate decorati, in Sacrum Ecclesiae Collegium cooptarentur. Nec defuere qui a catholici nominis osoribus injuste hostiliterque habiti, invicto animo insectationem eiusmodi perpeterentur; ac christifidelibus in exemplum praestantes, tam mordicus Jesu Christi fidem retinerent, tam strenue Catholicae Ecclesiae jura defenderent, ut suum potius sanguinem profunderent, quam susceptam sanctissimam causam vel proderent, vel derelinquerent. Quae omnia si Pontificii huius Seminarii alumni moderatoresque grato erga Deum animo repetunt atque perpendunt, ii profecto non modo ex hac celebratione habent quare superno afficiantur gaudio, sed cur etiam laeta faustaque auspicia sumant, quibus ad majora usque in Dei gloriam exantlanda animentur atque excitentur. In sacras omnes disciplinas rite tradendas riteve addiscendas, in errores omne genus, qui cotidie fucati veritatis specie renascuntur, refellendos profligandosque, in sacrosancta denique Ecclesiae jura pro viribus tuenda, alacri voluntate seduloque studio incumbant. Ac quandoquidem Comillense Institutum nomine et re Pontificium est, idcirco illud omnes peculiari modo sibi creditum officium habeant, quidquid nempe de fide ac moribus Apostolica haec Sedes doceat, moneat, jubeat, id omne dedito obedientique animo accipere, ac ceteris etiam, aptiore quo detur modo, Illustrare ac commendare. At si opus omnino est ut sacrorum alumni recta sanaque doctrina valeant ac praestent, multo quidem magis necesse est, ut virtute sanctitateque eniteant, qua dempta, inflat scientia, non aedificat. Quamvis igitur pernoscamus — idque magno Nobis solacio sit — ad utramque rem assequendam actuose allaborare ac contendere Comillensis Universitatis discipulos, cupimus tamen eos paterno adhortari ani-

mo ut, sapienti praeceptorum suorum magisterio ac regimine ducti, non tantum ad sacra capessenda munia doctrina cotidie altiore conformentur, sed virtuti potissimum, imprimisque pietati, tam impensa exercitatione assuescant, ut ad eam non tam instituti, quam veluti nati videantur. Ita profecto fiet ut Episcopi, qui eos in suam Dioecesim aliquando excipient, ex eorum sibi praestita navitate suum cuiusque pastorale munus sentiant multo esse ad gerendum facilius, ad utilitatem uberius. In praesens autem, Dilecti Filii, antequam scribendi finem facimus, placet Nobis, hanc opportunitatem nactis, jura omnia ac privilegia, quae Decessores Nostri — ac nominatim Leo XIII per Apostolicas Litteras « Sempiternam dominici gregis » d. d. XVI mensis Decembis, anno MDCCCLXXXX — Comillensi Seminario studiorumque Universitati concessere, Apostolica auctoritate Nostra confirmare. Ac celestium interea gratiarum auspicem, peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, Dilecte Fili, tum singulis universis eiusdem Seminarii moderatoribus et alumnis Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die V mensis Maii, anno MDCCCCXXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

(m. pr.)

PIUS PP. XII

36. **19 maii 1942.**

Quaedam Indulgentiae sodalibus Apostolatus Orationis in Italia confirmantur, quaedam negantur. — Rescript. S. Paenit. Apost.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Officium de Indulgentiis

N. 2473/42.

Beatissime Pater,

Moderator [1] in spiritualibus piae Unionis Apostolatus Orationis in Italia, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humiliter petit:

---

(1) P. Galileo Venturini (Prov. Rom.).

1. ut prorogetur gratia concessa per Rescriptum Apostolicum d. d. 14 maii 1935 (1), quo sodalibus praefatae piae Unionis, una e duodecim orationibus iaculatoriis « Cuor di Gesù, mandate ... Cuor di Gesù, vi raccomandiamo i Sacerdoti poveri, vecchi, malati o in qualsiasi modo bisognosi » pro Clero catholico recitantibus, partialis centum dierum Indulgentia ad septennium tribuebatur;

2. ut eadem ditetur Indulgentia altera series duodecim invocationum in favorem eorumdem sodalium.

Et Deus, etc. ...

Die 19 maii 1942

Sacra Paenitentiaria Apostolica, vi facultatum a SS.mo D. N. Pio Pp. XII sibi tributarum, quoad I.um benigne annuit pro petita prorogatione ad aliud septennium; quoad II.um respondet: *Non expedire.* Contrariis quibuslibet non obstantibus.

de mandato Eminentissimi
S. Luzio, *Regens.*
J. Rossi, *a Secr.*

37. 30 iulii 1942.

Summus Pontifex singulares gratias agit pro munifica stipe a nostris Domibus Americanis Ipsi oblata. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad R. P. Assist. Americ.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

N. 52106.

Vatican City, July 30, 1942.

Dear Father Maher,

I deem it an especial honor to acquit a charge graciously laid upon me by the Holy Father in acknowledging receipt of the very generous offering of twenty five thousand dollars which you presented to Him, in the name of the American Communities of the Society of Jesus, on the occasion of the twenty-fifth anniversary of His Episcopal Consecration. This further evidence of the loving homage and understanding attachment of the Fathers of the American Provinces has been a source of particular comfort and satis-

(1) Act. Rom. vol. VIII, 1935, pag. 75 seq.

faction to His Holiness, Who would have me assure you, dear Father, of His gratitude for this munificent contribution and of His heartfelt appreciation of the loyalty and devotion of which it is so eloquent a testimonial.

It is the earnest and confident prayer of the Common Father that Almighty God may grant to the generous donors an abundant share of divine assistance and favor, that they may be enabled to continue and augment their magnificent labors for the spread of Christ's Kingdom on earth.

As a pledge of that divine recompense and in affectionate token of His grateful benevolence, the Sovereign Pontiff imparts from His heart to you, dear Father Maher, and to all the members of the American Communities of the Society of Jesus, His paternal Apostolic Benediction.

Gladly availing myself of this occasion to renew to you the assurance of my sentiments of cordial esteem, I am

Devotedly yours in Christ
L. Card. MAGLIONE

Very Reverend ZACHEUS J. MAHER, S. J.
Assistant General of the Society of Jesus
Novitiate of St. Andrew-on-Hudson
Poughkeepsie, N. Y.

Latina interpretatio.

Ex Urbe Vaticana, 30 iulii 1942.

DILECTE PATER MAHER,

Magno honori mihi esse iudico exsequi mandatum mihi a Sancto Patre benigne datum, gratias agendi pro magnificentissimo dono viginti quinque milium thalerorum, quae, nomine Communitatum Americanarum Societatis Iesu, occasione vigesimi quinti anniversarii ab Eius Episcopali Consecratione, Ei obtulisti. Hoc novum indicium benevolae devotionis ac sapientis studii, quibus Patres Provinciarum Americanarum erga Eum afficiuntur, fuit magnae consolationi et satisfactioni Summo Pontifici, qui vult ut te, dilecte Pater, certiorem faciam de suo grato animo ob hanc munificam stipem et de sua sincera aestimatione fidelitatis ac devotionis, quarum ea est disertum testimonium.

Communis Pater enixe et confidenter Omnipotentem Deum precatur ut generosos donantes participes faciat auxilii ac benevolentiae divinae, ut possint continuare et augere splendidos labores ad regnum Christi in terris propagandum susceptos.

In pignus divinae remunerationis et in signum suae benevolentiae, Summus Pontifex ex corde impertitur tibi, dilecte Pater Maher, et omnibus sociis Americanarum Communitatum Societatis Iesu suam Apostolicam Benedictionem.

Gaudens quod hanc occasionem nactus sim... etc.

38. 12 septembris 1942.

Sanctuarium B. M. V. Auxiliatricis Christianorum in Zô-sè Miss. Shanghaiensis (Prov. Franc.) Basilicis Minoribus accensetur. — Epist. Summi Pontif. ad R. Patrem Nostrum (1).

Roma, 8 luglio 1942.

SACRA CONGREGATIO
« DE PROPAGANDA FIDE »

N. 1239/42.

REVERENDISSIMO PADRE,

Con lettera del 22 giugno u. s., il Rev.mo Procuratore Generale faceva noto il desiderio di S. E. Mgr. Haouisée che, in occasione del centenario della Missione nel Kiang-nan, il Santo Padre si degnasse inviare una speciale benedizione apostolica e concedere i privilegi di Basilica Minore alla Chiesa-Santuario della B. Vergine Ausiliatrice in Zô-sè.

Mi è gradito informare la Paternità Vostra Rev.ma che il Santo Padre, nell'Udienza concessa a Sua Eminenza il Cardinale Prefetto di questa Sacra Congregazione il 2 corr. mese, ha benevolmente accordato le grazie richieste.

Perciò questa Sacra Congregazione ha spedito il 3 corr. mese a S. E. Mgr. Haouisée il seguente telegramma:

« Nel centenario Missione Santo Padre benedice gran cuore Vostra Eccellenza, clero secolare regolare religiose fedeli tutti implorando abbondanza grazie celesti estensione Regno di Dio.

Card. FUMASONI ».

Per il 5 c. m. ha trasmesso alla Sacra Congregazione dei Riti la domanda per la concessione dei privilegi di Basilica Minore al Santuario di Zô-sè, raccomandando in nome del Santo Padre la sollecita evasione della pratica.

Frattanto mi è gradita l'opportunità per esprimerle i sensi del mio profondo ossequio, con cui mi raffermo

di Vostra Paternità Reverendissima
devotissimo servo
† CELSO COSTANTINI, *Segr.*

Reverendissimo
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G.

(1) A. A. S. XXXIV, 1942, pag. 366 sqq.

PIUS PP. XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Compertum habemus Beatae Mariae Virginis, quam titulo « Auxilium Christianorum » Christifideles Sinenses venerantur, Sanctuarium in « Zô-sè », hodierni Vicariatus Apostolici de Shang-hai intra fines, quod anno MCMXXXV sollemniter inauguratum est, praenobili formis, uti ajunt, romanicis structura ac multiplicibus artis operibus ornatum, sacris Sinarum memoriis quam maxime praestare. Loco enim parvi sanctuarii marialis exurgit, quod ad honorem Beatissimae Virginis Auxilii Christianorum, cujus maternae pietati Vicarius Apostolicus de Kiang-nan tunc temporis exsistens gregis sui tutelam difficillimis ipsis temporibus fidenter commiserat, anno millesimo octingentesimo sexagesimo septimo primum erectum est; quamvis postea, nempe anno MDCCCLXXIII, conlaticia stipe fidelium Missionis, quam Beatissima Virgo tempore persecutionis palam tuita erat, grati animi causa dignius exaedificatum est. Cum vero ex hoc ipso tempore peregre confluentes fideles singulari devotione ac fiducia, ingenti saepe numero, ad Sanctuarium Deiparae de « Zô-sè » accurrerint, auxilium Virginis indubium imploraturi; cumque, ob acceptas gratias, animorum ardor magis magisque in dies ac proinde peregrinorum concursus jugiter aucti sint, ulterioris hodierni novi ampliorisque templi necessitas orta est. Meminisse quidem juvat eodem in Sanctuario de « Zô-sè » Apostolicum in Sinis Delegatum una cum Episcopis ceterisque e primo Concilio Sinensi, anno millesimo nongentesimo vicesimo quarto in « Shang-hai » habito, Sinarum nationem Beatae Virgini Mariae jam publice consecrasse, atque etiam hodiernum Delegatum Apostolicum una cum Ecclesiasticis Adsistentibus ac Moderatoribus Actionis Catholicae in Sinis provehendae anno millesimo nongentesimo tricesimo quinto consecrationem eandem pie renovasse. Novi autem Praesules sinenses, qui hac Alma in Urbe Romana caractere episcopali aucti sunt, anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio in patriam reversi, Sanctuarium idem de « Zô-sè » ilico petierunt, ut Vicariatus sibi creditos sub potenti Virginis Auxiliatricis patronatu securius ponerent. Haec animo repetentes, cum nunc Apostolicus de « Shang-hai » Vicarius, sua et communia vota supplicesque preces cleri populique non modo sui Vicariatus sed aliarum quoque Sinensium Missionum depromens, Nos enixe roget ut idem Sanctuarium tot memoriis conspicuum ad Basilicae Minoris dignitatem evehere velimus; cumque preces has

cumulet atque ornet Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Sacrae de Propaganda Fide Congregationis Praefecti amplissimum suffragium. Nos hujusmodi optata excipienda ultro libenterque censemus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, sanctuarium Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis Christianorum in « Zô-sè », infra fines Apostolici « de Shang-hai » Vicariatus erectum, ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehimus, privilegiis, honorificentiisque adiectis quae hujus tituli propria sunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Faxit igitur Deus ut quemadmodum usque adhuc Christifideles Sinenses egregium suae fidelitatis erga Deiparam exemplum praebuerunt, ita hoc ipsi Nostrae voluntatis pignore commoti nova rei Christianae incrementa magis magisque in dies, pastorum suorum vestigiis insistendo, in Sinis, studiose procurent. Haec benigne edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces continuo exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite judicandum esse ad definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Septembris, anno MCMXXXXII, Pontìficatus Nostri quarto.

Aloys. Card. Maglione
a Secr. Stat.

L. ✠ S.
Brevi Apostolici
1942 N. 619

39. **Anno 1942.**

Quorundam e Nostris Pontificiae nominationes. — Ex Act. Ap. Sed.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, decreto Sacrae Congregationis Consistorialis dignatus est providere:

die 23 iunii 1942. - Titulari episcopali Ecclesiae Cinopolitanae in Arcadia R. P. Angelum M. Ocampo [1], Societatis Iesu, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Leonidae Medina, Episcopi Succurrensis et Sancti Aegidii.

die 24 septembris 1942. - Cathedrali Ecclesiae Macaonensi R. P. Ioannem de Deo Ramalho, Societatis Iesu [2].

SACRA CONGREGATIONE DEI RITI

24 martii 1942. - « Il sottoscritto Prefetto della S. Congregazione dei Riti, ha il piacere di comunicare al Rev. P. Vittorio Genovesi [3], S. I., che il Santo Padre si è degnato nominarlo Innografo della S. Congregazione dei Riti.

« Tanto si partecipa al prelodato Padre per sua intelligenza e norma ».

SEGRETERIA DI STATO

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre Pio XII felicemente regnante si è degnato di nominare:

21 gennaio 1942. - il Rev.mo P. Alfonso Raes [4] della Compagnia di Gesù, *Consultore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale* (*Sezione speciale per la liturgia*).

---

(1) Praep. Prov. Colomb.

(2) E Prov. Lusit. Erat Superior Regularis Missionis Macaënsis in Sinis.

(3) E Prov. Ven.-Med. Est Promotor Apostolatus Orationis et Consecrationis familiarum et concionator.

(4) E Prov, Belg. Sept. Est Professor liturgiae orientalis in Pont. Instituto Orientali de Urbe.

Litterae quaedam officiosae

40. **10 ianuarii 1942.**

Oblata sibi tria periodica, a Pont. Inst. Bibl. edita, Summus Pontifex apostolica dignatur laude. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad Rect. Inst. Bibl.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 44823.

Dal Vaticano, 10 gennaio 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

All'Augusto Pontefice hanno recato delicata fragranza di schietta fede e di viva devozione filiale gli auguri, che Ella Gli ha espressi nella ricorrenza delle feste natalizie anche a nome dei Professori e degli alunni del Pontificio Istituto Biblico.

Tali voti Gli sono stati impreziositi dalle preghiere, che essi a gara e ardentemente innalzano al Cielo per la Sua Persona, per la fecondità dei successi del ministero universale nel calamitoso tempo attuale e per l'avvento di una giusta e durevole pace.

Il compiacimento per tale espressione di nobili sentimenti è stato accresciuto nella Santità Sua dall'accettissimo omaggio dei numeri dell'Annata 1941 delle tre Riviste « Biblica », « Verbum Domini » e « Orientalia ».

Lieta messe di dotte investigazioni e severi studi, il contenuto di dette Riviste ha offerto al Comun Padre nuova occasione di rallegrarsi della operosa attività di codesta insigne Scuola e di constatare con quale serietà di propositi e fervore di iniziative questa prosegua i suoi alti fini e risponda alle speranze in essa riposte.

Desideroso che la Sua lode sia incitamento a conseguimento di mete sempre maggiori di virtù e di dottrina, il Santo Padre invoca copiosi i celesti favori a Lei e a quelli dei quali Ella Gli ha interpretato l'animo filiale, e a tutti imparte la Benedizione Apostolica.

RicambiandoLe i voti augurali a me pure da Lei formati, e porgendoLe il mio cordiale grazie per l'invio delle pubblicazioni

anzidette, che grandemente apprezzo, mi valgo volentieri della circostanza per confermarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Reverendissima

dev.mo nel Signore
L. Card. Maglione

Reverendissimo Padre
P. Agostino Bea, S. I.
Rettore del Pontificio Istituto Biblico. - Roma.

41. 12 ianuarii 1942.

Opus « Spiritualia Exercitia secundum RR. Pontificum documenta » magno Ecclesiae et ipsis Exercitiis honori esse declaratur. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad auctorem.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

N. 45042. *Dal Vaticano,* die 12 ianuarii 1942.

Admodum Reverende Pater,

Laetor tibi referre Augusto Pontifici pergratum fuisse obsequii et studii testimonium librum a te exaratum et Ipsi muneri missum, cui inscriptio « Spiritualia exercitia secundum Romanorum Pontificum documenta ».

Tuam cedit in laudem propositum, quod magna diligentia et alacri sollertia perfecisti, erga Societatem Iesu tuam amantissimi filii ostendens voluntatem, cum ab ipsius pontificia approbatione quartum saeculum conderetur.

A te collecta ingenti documentorum mole palam fit, quanti ab Ecclesia semper aestimatus sit et quantum ei utilitatis contulerit aureus S. Ignatii liber, qui ad pie cogitandum, ad strenue agendum, ad fortiter patiendum generosa ingenia informat et excolit.

Multum optans, ut a te conscriptum opus tibi merita et solacia haud parca et parva progignat, Beatissimus Pater tibi Apostolicam Benedictionem impertit.

Interea qua par est observantia me profiteor

tibi
addictissimum
Alois. Card. Maglione

Admodum Reverendo Patri
P. Canuto Hilario Marin, S. I.

42. 14 ianuarii 1942.

Aguntur gratiae pro Kalendario Apostolatus Orationis. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad P. Galilaeum Venturini.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 45032.

Dal Vaticano, 14 gennaio 1942.

REV.MO PADRE,

Anche il Calendario dell'*Apostolato della Preghiera* è opera di apostolato; e Sua Santità ne accoglie con compiacenza l'omaggio come di una iniziativa, che al carattere della strenna aggiunge graziosamente quello dell'opera buona.

Al Calendario si accoppia un tesoro spirituale, del cui valore — certamente immenso — è solo adeguato estimatore Colui che scruta i cuori e pesa più della stessa opera l'intenzione. Da parte Sua l'Augusto Pontefice è profondamente lieto di pensare che a tanta somma di preghiere e di buone opere Egli deve lumi incessanti ed energie spirituali e materiali proporzionate al grave peso dell'apostolico ministero.

Grato di così potente aiuto, il Suo cuore paterno si effonde in ringraziamenti all'indirizzo di tanti Suoi figli, che in ogni parte d'Italia, in ogni più oscuro angolo della Penisola, e sarei per dire, in ogni ora del giorno, innalzano al Signore la voce delle loro preghiere e il gemito delle loro mortificazioni.

A tutti renderà il Padre celeste la meritata ricompensa, con l'abbondanza della sua Grazia per una vita fervorosamente cristiana. E a questo santissimo fine rivolge a Lui la Sua preghiera riconoscente il Vicario di Gesù Cristo, mentre rinnovando tutti i Suoi voti per il maggior incremento di un'Opera di tanta carità e di tanta efficacia, invoca di cuore ai singoli ascritti, ai loro dirigenti e anzitutto alla Paternità Vostra, solerte e illuminato Direttore, la confortatrice Benedizione.

Mi permetto di aggiungere qui il mio ringraziamento per il Calendario a me cortesemente destinato; e nel ricambiarle gli auguri per il più fecondo anno lavorativo, mi professo

della Paternità Vostra
aff.mo nel Signore
Card. LUIGI MAGLIONE

Rev.mo Padre
P. GALILEO VENTURINI, S. I.
Direttore Generale
dell'Apostolato della Preghiera
per l'Italia. - Roma.

43. 30 martii 1942.

Summus Pontifex librum Pont. Univ. Comillensi dono mittit. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad Rect. Univ.

Dal Vaticano, die 30 martii 1942.

Rev.me Pater,

Augustus Pontifex Athenaeo, cui sollers praees, benevolentiae testandae causa exemplum libri, cui inscriptio « Index verborum iuris canonici » ab Arcturo Lauer compositi addicere dignatus est.

Quod tibi mittendi honorifico munere fungens, multum etiam gaudeo tibi atque universis in ista optimorum studiorum Sede docentibus et discentibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertitam renuntiare.

Interea valde optans te semper bene valere rebusque frui secundis, qua par est observantia, me profiteor

tibi
addictissimum
Alois. Card. Maglione

Rev.mo Patri
Joachim Salaverri, S. I.
Moderatori Pontificiae Studiorum
Universitatis Comillensis.

44. 17 aprilis 1942.

Opera apostolica et spiritus magisterium P. Octavii Marchetti (Prov. Rom.) ab ipso Summo Pontifice laudibus donatur. — Epist. autogr. Pii XII.

Al diletto Figlio
OTTAVIO MARCHETTI
della Compagnia di Gesù

Il pio raccoglimento nel quale la consumata saggezza del tuo spirito vuol celebrare un anniversario — il 50° del tuo sacerdozio — che è invito a solenni pensieri, non può essere turbato dal moto spontaneo del Nostro cuore di Padre, che desidera allietarlo con la sua buona testimonianza, suggerita da stima e da benevolenza particolari.

Ad esa fanno eco l'affetto e la riconoscenza che da molte parti benedicono alla tua vita di sacerdote e di religioso, spesa tutta, sotto

i segni del tuo gran Padre S. Ignazio, per l'edificazione delle anime e specialmente per quelle dei ministri del Santuario.

Di così fecondo ministero, frutto in pari tempo della soda coltura religiosa e della scienza dei Santi — attinte l'una e l'altra alle più pure fonti della Chiesa — come si compiacciono nel Signore fraterni cuori santificati e inquieti spiriti assicurati alla pace dell'eterno Vero e dell'eterno Amore, così vogliamo Noi con te, diletto Figlio, rallegrarCi in Dio, innalzando al Padre celeste la Nostra voce riconoscente, per i doni di cui Egli ha arricchito il tuo sacerdozio, e dei quali tu, servo buono e fedele, hai fatto e fai tuttora così largo uso a gloria di Lui.

Lieti di questa felice abbondanza di beni a te elargiti e da te dispensati, Noi formiamo il voto che la tua attività continui a lungo a seminare e a raccogliere alacremente nel campo del Padre di famiglia.

E mentre ti esprimiamo la Nostra gratitudine e benevolenza, invochiamo sulla tua persona e sulle tue fatiche la continua divina assistenza e t'impartiamo di gran cuore la confortatrice Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, 17 aprile 1942

PIUS PP. XII

45. **16 iunii 1942.**

Cruciatae Eucharisticae puerorum e Lusitania, stipem pro pueris bello oppressis mittenti, Summus Pontifex gratulatur. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad A. R. Patrem Nostrum.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 50332. *Dal Vaticano,* 16 giugno 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

La pia e generosa offerta dei diletti fanciulli portoghesi ascritti alla Crociata Eucaristica, con delicato pensiero destinata ai bambini vittime della guerra, dice all'Augusto Pontefice di quanto buono spirito cristiano siano essi nutriti per le sollecite cure dei buoni Padri della Compagnia di Gesù, dando così alla Santità Sua, nelle presenti dolorose circostanze, motivo di profondo conforto.

Voglia cortesemente la Paternità Vostra Reverendissima far giungere ai Padri ed ai fanciulli l'espressione del vivo compiacimento del Santo Padre insieme con la Sua fervida gratitudine.

Li assicuri altresì che la Santità Sua implorerà volentieri dal Signore, al Quale i poveri e i sofferenti sono particolarmente diletti, abbondanza di ricompense e ricchezze di grazie.

In segno poi di sovrana benevolenza, la medesima Santità Sua invia di cuore a tutti ed a ciascuno, premio ed incoraggiamento, la propiziatrice Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE

Reverendissimo Padre
P. WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Preposito Generale d. C. d. G. - Roma.

46. **20 iunii 1942.**

P. Alberto Vaccari Vicerectori Pont. Inst. Bibl. (Prov. Taur.), 50 vitae religiosae annos explenti ac de studiis SS. Bibliorum benemerenti, Summus Pontifex benedicit. — Telegr. ipsius Pii XII.

Città del Vaticano.

« Grati a Dio che nel pieno rendimento dei tuoi talenti ti concede di celebrare il 50° di professione religiosa, da Lui t'imploriamo nuova assistenza alla tua indefessa feconda attività e memori dei preziosi servizi da te resi alla causa dei Libri Santi t'impartiamo di gran cuore la confortatrice benedizione apostolica ».

PIUS PP. XII

47. **22 augusti 1942.**

Gratulatio pro Historia litterarum latinarum a P. Antonio D'Elia (Prov. Neap.) latine concinnata. — Epist. Card. Praef. S. C. de Sem. et Stud. Univ.

SACRA CONGREGATIO
DE SEMINARIIS
ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Romae, die 22 aug. 1942.

REVERENDE PATER,

Quod compendiariam litterarum latinarum historiam typis divulgandam curaveris ex animo gratulor, cum pro certo habeam non exiguae eandem utilitati humaniorum disciplinarum cultori-

bus futuram. Qua enim polles antiquitatis notitia et iuventutis instituendae peritia, nihil mirum quod Scriptorum opera temporumque ordines et dilucide explanes et perspicue describas, iis prudenter resecatis quae in id genus commentariis redundent quaeque facile in praelectionibus, si libuerit, a ludimagistro adiiciantur.

Est et alia ratio cur tibi gratuler: quod videlicet latinarum litterarum historiam nitido sermone latino exaraveris, cum haec docendi ratio non mediocriter latinae linguae studiosis sit profutura, iis potissimum qui in Seminariis in Ecclesiae spem adolescunt, quae quanti latinam linguam et fecerit et faciat nemo est qui ignoret.

Quamobrem confido fore ut opus tum honestissime ab omnibus excipiatur, maxime vero a Seminariorum Moderatoribus, in quibus sacri ordinis alumni litterariis et philosophicis disciplinis instituuntur.

J. Card. Pizzardo

Reverendo Patri
Antonio D'Elia S. I.

48. **30 septembris 1942.**

Gratulationes R. P. Alexio A. Magni, Assist. Ital. (Prov. Ven-Med.), L annum ab inita Societate explenti. — Telegr. ipsius Pii XII et Card. a Secr. Stat.

Città del Vaticano, 30 settembre 1942.

L'Apostolica Benedizione che di cuore ti impartiamo al compiersi del decimo lustro della tua vita religiosa ti sia testimonianza del nostro affetto e della nostra compiacenza per la feconda e molteplice attività da te svolta al servizio della Chiesa e delle anime e pegno di nuova copia di grazie celesti per nuova lunga serie di opere e di meriti.

PIUS PP. XII

Città del Vaticano, 30 settembre 1942.

Di tutto cuore partecipo celebrazione suo cinquantesimo vita religiosa formulando nella preghiera fervidi voti per sua degnissima persona e sua instancabile attività.

Cardinale Maglione

49. **5 novembris 1942.**

Instituti Biblici nova opera in lucem edita dilaudantur. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad Rect. Pont. Inst. Bibl.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 58163.

Dal Vaticano, 5 novembre 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

Le devo il vivo ringraziamento dell'Augusto Pontefice per l'omagio di «Acta Pontificii Instituti Biblici », chiara documentazione delle nobili e indefesse attività scientifiche di codesta alta scuola nel decorso anno, e di quelle che essa si propone nel nutrito e armonioso programma prefisso per l'anno in corso.

Sua Santità compiacendosi del Lavoro compiuto e auspicando fervore, costanza e successo a quello testè iniziato, forma sinceri voti perchè codesto Istituto corrisponda sempre meglio ai suoi alti fini ed eserciti sempre più luminosa ed efficace la sua azione nel mondo culturale e nella completa formazione di dotti ingegni a servizio della Santa Chiesa.

Nè con minore piacere la Santità Sua ha accolto il IV fascicolo del « Lexicon hebraicum » del R. P. Zorell, e anche per questo invio esprime il Suo grazie commosso non senza lode per la pregevolezza e l'utilità di tale accurato Dizionario.

Il Santo Padre infine, invocando dal Cielo copiosa luce e letizia imparte di cuore la Benedizione Apostolica a Lei, ai Superiori ed alunni di codesto Istituto a Lui carissimo.

Riconoscente per gli esemplari con tanta cortesia a me assegnati, mi valgo dell'occasione per professarmi con sensi di religioso ossequio

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE

Reverendissimo Padre
P. AGOSTINO BEA, S. I.
Rettore del Pont. Istituto Biblico. - Roma.

50. **25 novembris 1942.**

Summus Pontifex gratulatur, quod edita sint a P. Sebastiano Tromp. (Prov. Neerl.) « Opera Oratoria Postuma » (Vol. II) S. Roberti Bellarmino. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad Rect. Pont. Univ. Gregor.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 58050.

Dal Vaticano, 25 novembre 1942.

REVERENDISSIMO PADRE,

Il secondo volume delle « Opera Oratoria Postuma » di S. Roberto Bellarmino, che Vostra Paternità Reverendissima ha umiliato in omaggio a Sua Santità, ha meritato particolarmente l'augusta attenzione e compiacenza.

Il Santo Padre rivolge la Sua lode alla opportuna e felice iniziativa di pubblicare i discorsi e le prediche dell'eloquente Dottore della Chiesa, dove la elevatezza del pensiero e la schietta rettitudine della fede si associano alla soavità dello stile e all'abbondanza dell'eloquio, e augura che in breve tempo l'edizione sia completa. Ne avranno certamente utilità specialmente i sacerdoti, che attendono al ministero della divina parola.

La Santità Sua, riconoscente per il devoto invio, imparte la Benedizione Apostolica, auspicio di copiosi eletti favori, a Lei, al Molto Reverendo P. Sebastiano Tromp (1), che con tanta diligenza cura l'edizione su accennata.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE

Reverendissimo Padre
P. PAOLO DEZZA, S. I.
Rettore della Pont. Università Gregoriana. - Roma.

(1) Prof. theol. fund. in Pontificia Universitate Gregoriana.

51. **22 decembris 1942.**

Summus Pontifex P. Pasquali D'Elia (Prov. Neap.) opus « Fonti Ricciane » insigne christianae civilitatis monumentum, gratulatur. — Epist. Card. a Secr. Stat. ad auctorem.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N. 58921.

Dal Vaticano, 22 dicembre 1942.

REV.MO PADRE,

Alle pazienti ricerche e alle amorose premure della Paternità Vostra è dovuta in gran parte la pubblicazione di opere come quelle del P. Matteo Ricci, che tanta luce di scienza, di zelo e di carità irradiano sulla benemerita Compagnia di Gesù, a cui appartenne il celebre e dotto Missionario, degno per tanti titoli della gratitudine universale.

A Lei pertanto la Santità Sua esprime per mio mezzo la Sua augusta piena compiacenza per il segnalato servizio reso alla coltura e alla Chiesa. E mentre gode che, per la sua ardua fatica, l'opera monumentale delle « Fonti Ricciane » venga ad aggiungere la sua preziosa testimonianza alle benemerenze del Vangelo nel campo della coltura e della civiltà, invoca sulla Paternità Vostra e i suoi lavori l'abbondanza delle divine grazie e Le imparte di cuore la confortatrice Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Rev.ma
aff.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE

Rev.mo Padre
P. PASQUALE D'ELIA, S. I.
Roma.

Excerpta quaedam ex aliis Actis Sanctae Sedis anno 1942 editis

52. 15 augusti 1941 (1).

Commemoratur insignis cultus antiquorum Patrum Societatis erga Deiparam a SS. Rosario in Civitate Tucumanensi. — Ex Litt. Apost. Pii XII (2).

« ... Eodem in templo Imago, a qua ipsum suum assumit nomen, nunc pie servatur Nostrae Dominae a Rosario, vulgo « La Milagrosa » nuncupatae, satis antiqua, quam christifideles ab immemorabili venerantur, impenseque colunt ob multas potissimum gratias, quae ipsi intercessione Deiparae illo titulo invocatae iugiter obtinuerunt hodieque obtinent. Imago eadem tradita quidem fuit, sicut fertur, in custodiam Fratrum ex Ordine Praedicatorum, anno tantum millesimo septingentesimo nonagesimo primo; sed antea servabatur in ecclesia matrice Tucumanensi, cum in eandem translata esset post ex ipsa civitate digressum Patrum e Societate Iesu, qui thaumaturgum simulacrum in proprio templo in fidelium venerationem plus quam centum quinquaginta per annos iam produxerant ».

---

(1) Editum est in *Actis Apostolicae Sedis* dumtaxat anno 1942, vol. XXXIV, pag. 31.

(2) In his Litteris Apostolicis, sub anulo Piscatoris datis, Summus Pontifex titulum et privilegia Basilicae Minoris tribuit Tucumanensi templo *Nostrae Dominae a SS. Rosario.*

Tucumania una fuit e tribus regionibus, quae olim nostram Provinciam Paraquariensem constituebant, quae appellebantur Paraquaria, Rio de la Plata et Tucumania. Eius urbs caput est Tucumán, seu S. Miguel de Tucumán. Nostri in Tucumaniam vocati primum sunt anno 1586 a Francisco Victoria O. P., Episcopo Tucumanensi. R. P. Petrus de Oñate, Praepositus Provinciae Paraquariae in ipsa urbe Tucumán Collegium condidit anno 1615. Ab hoc tempore coepi dicendum est a Nostris evulgari cultum Deiparae a SS. Rosario, sed de eo nostri historici nihil dicunt (Iuvencius, Hist. Soc. Ies., P. V, L. XXIII, n. 21).

53. **7 septembris 1942.**

Summus Pontifex citat et sua facit loquens ad populum Brasiliensem tum sensus quosdam P. Antonii Vieira celeberrimi concionatoris, tum carmina quaedam Ven. P. Iosephi de Anchieta. — Ex Nunt. Radioph. Pii XII (1).

... Pois não era a viva fé que os animava, quando a notícia de um sacrilégio contra o Santíssimo, cometido em Lisboa, na Capela real, lançava na costernação as populações do Brasil, como se se tratasse de uma calamidade nacional, e logo organizavam procissões de penitência, e solenidades de reparação e desagravo? E quando mais tarde se viu ameaçada a unidade da pátria e a incolumidade da religião católica, não foi a fé em Jesus Sacramentado que deu coragem aos homens de armas para a refrega e para a vitória, e a tantos fiéis para abandonarem as próprias casas e todos os seus haveres, até para sacrificarem a vida antes que renegarem a fé? (2)

et infra:

.... como cantou o vosso grande apóstolo, o venerável José de Achieta,

è manjar de lutadores,
galardão devencedores
esforçados (3)

et infra iterum:

... como cantava Anchieta:

Como a vós em vós vivendo,
vivo em vós a vós comendo,
doce Amor! (4)

---

(1) Nuntius Radiophonicus a Beatissimo Patre die 7 septembris anni 1942 missus, ad Christifideles ob IV Conventum Eucharisticum e tota Brasilia in urbe S. Pauli coadunatos. *Act. Ap. Sed.* vol. XXXIV, 1942, pag. 265 sqq. Notum porro est, P. Antonium Vieira haberi inter oratores Lusitanos facile principem; Ven. autem P. Iosephum de Anchieta non solum praedicatione, sanctimonia, portentis fidem in Brasilia seminasse, verum etiam omnem indigenarum culturam omni ope provexisse ipsasque litteras, qua soluta oratione, qua carminibus.

(2) P. Antonio Vieira, *Sermão pelo bom sucesso das armas de Portugal,* Sermões III, 467 ss.

(3) P. José de Anchieta, *Hino ao SS. Sacramento.*

(4) P. José de Anchieta, *l. c.*

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

ACTA PRAEPOSITI GENERALIS

I. — PRO SOCIETATE

54. **22 februarii 1942.**

De iubilaeo episcopali S. P. Pii XII.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Die 13 proximi mensis maii, ut iam omnibus notum est, occurret vicesimus quintus anniversarius, ex quo Beatissimus Pater Pius XII episcopalem consecrationem recepit e manibus sanctae memoriae Benedicti XV. Ad hoc iubilaeum digne ubique celebrandum Coetus seu Comitatus quidam Centralis Romae constitutus est et in variis regionibus similes instituentur Comitatus Nationales, quibuscum Nostri studiose ex corde cooperentur oportet.

Verum, ut ipse Praeses Comitatus Centralis Eminentissimus Cardinalis Franciscus Marchetti-Selvaggiani litteris die 23 novembris anni nuper elapsi perbelle notabat, in hac filiorum concertatione primi inter omnes esse debent Religiosi; atque inter Religiosos (equidem adderem) decet profecto ut minima nostra Societas, cum ob peculiaria sua erga Summum Christi in terris Vicarium officia et nexus, tum ob singularem ipsius Beatissimi Patris Pii XII erga se benevolentiam, primas prorsus partes sibi vindicare contendat. Cumque, ex aperta Sanctitatis Suae voluntate, ab externis sollemnioribus festivitatibus, quippe quae cum hodiernis rerum condicionibus minus congruant, vix non omnino abstinendum sit, eo magis instandum erit assi-

duis ac fervidis precibus, quibus cum communi Patre spiritu uniemur pro Eo Eiusque augustis intentionibus orantes.

Ipso autem die festo Ascensionis Domini, 14 maii, Beatissimus Pater Missam iubilarem celebrabit in Basilica Vaticana et Homiliam habebit Radio transmittendam: quo die omnes totius catholici orbis Sacerdotes ut Missam pro Papa celebrent instanter rogantur. Nostri vero, praeterea, alteram Missam etiam prima intentione ad mentem Summi Pontificis celebrent intra annum iubilarem (13 maii 1942-13 maii 1943); itemque ii qui Sacerdotes non sunt totidem Missas, Communiones, Coronas offerant; aliasque preces, mortificationes et pia opera omnes pro cuiusque devotione addere velint, ut Vicarius Christi tot tantisque in difficultatibus a filiis Se adiutum sentiat et uberiore in die lumine ac virtute ex alto roboretur.

Invitandae quoque sunt, ut iam peculiaribus litteris petitum est a Congregationibus Marianis et Apostolatu Orationis, omnes consociationes nobis commissae, ut nempe similia spiritualia obsequia Beatissimo Patri exhibeant. Et certe Sanctitati Suae gratissimum est futurum, si etiam ab alumnis nostrorum Collegiorum aliquid huiusmodi accipiat: plurimum enim his spiritualibus auxiliis in Domino fidit.

Sed fausta haec commemoratio, quae in *Diem* quendam *Papalem*, plerumque ipso die 14 maii celebrandum, converget, opportunam quoque praebet occasionem christianum populum edocendi de divina Ecclesiae constitutione eiusque monarchico regimine, de sacra Hierarchia, de Romanae Sedis primatu, de maximo Summi Pontificatus momento, eiusque natura et praerogativis, et magnis etiam in civilem societatem meritis etc. Hanc occasionem ne praetermittant Nostri contionatores et scriptores, cum nunc, si unquam alias, haec catholicae doctrinae capita illustrentur oporteat, ut ad ea tamquam ad pharum genus humanum tot exagitatum procellis territos oculos convertat et amicam lucem meliora tempora spondentem inveniat. Curet igitur R. V., ut de locorum Ordinariorum consensu in sua Provincia, tempore et loco opportunis, conferentiae ad id habeantur secundum civium classes, articuli vel libelli spargantur aliisque aptis industriis hae veritates confirmentur.

Denique, quamquam Summus Pontifex aperte declaravit, nolle Se per haec festa iubilaria pretiosa dona excipere, quae

nova onera populo christiano imponant, si quid tamen pecuniae sponte omnino Ei offeratur, in novum templum impendetur Romae extruendum in honorem S. Eugenii I Papae, cuius nomen Ipse in baptismo acceperat, quemadmodum factum est anno 1888 pro iubilaeo sacerdotali Leonis XIII, quando collatis totius orbis catholici oblationibus pulchrum extructum est templum S. Ioachim.

Etiam Societatis domus ex sua paupertate aliquam modestam oblationem exhibeant oportet, quas oblationes R. V. colligere et ad nos mittere velit. Quod si fieri non possit, saltem certiores nos reddat de summa pecuniae oblata.

Atque haec sunt quae communiter suggerere equidem possum. Verum singulae Provinciae, pro sua erga Vicarium Christi reverentia et amore filiali, aliis quoque industriis, ut alicubi iam praestari coeptum est, ad id conferre curabunt, ut hoc iubilaeum, quantum fieri poterit, digne celebretur; quod quidem dum Supremi Pastoris cordi magno solacio est futurum, etiam toti Ecclesiae uberrimo erit fructui spirituali.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 22 februarii 1942,
in festo Cathedrae S. Petri Antiochiae.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

55. **22 martii 1942.**

Concessio et usus gratiae initiandi sacris, hoc anno, ante tempus, nostros Scholasticos.

AD QUOSDAM PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Cum R.a V.a communico facultatem a Sacra Congregatione Religiosorum benigne concessam (1), ut ordinationes nostrorum

(1) V. supra, pag. 310.

Scholasticorum, occasione iubilaei episcopalis Summi Pontificis, hoc anno anticipari possint. R.a V.a, si id sibi opportunum videatur, servatis de iure servandis, poterit hac facultate uti; novis tamen Sacerdotibus non permittat in Paroecia natali vel in qua parentes habitant Missam celebrare, nisi post absolutum annum scholasticum. Sciant etiam me Eminentissimo Cardinali Praefecto illius Sacrae Congregationis promisisse omnes, qui ita ante suum tempus Sacros Ordines suscepturi sint, ad eius intentiones tres Missas esse applicaturos.

Scholastici Collegii Romani, qui primi a me petierant ut hanc gratiam a Sancta Sede impetrarem, pium desiderium expresserunt, ut usque ad diem consuetae ordinationis sibi liceret Missas omnes offerre ad intentionem Summi Pontificis, quod eis ultro concessum fuit. Si R.a V.a suis Scholasticis idem vel simile quid concedere voluerit, rogo ut mihi numerum Missarum hac intentione offerendarum indicet, ut eas omnes Patri Nostro amantissimo die Sui iubilaei offerre possim, quod certo Ipsi valde gratum erit.

Commendo me sanctis Sacrificiis.

Romae, die 22 martii 1942.

R.ae V.ae
Servus in Christo
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

56. **24 martii 1942.**

Quaedam peculiaria praescribuntur pro celebrando iubilaeo episcopali S. P. Pii XII.

AD QUOSDAM PROVINCIARUM PRAEPOSITOS (1).

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

RVam. non latet quanto studio et amore omnes ubique terrarum sese accingant ad Iubilaeum Episcopale Beatissimi Pa-

(1) Haec epistola ad *omnes* profecto mittenda fuisset Provinciarum Praepositos; sed ob praesentes difficultates et temporis angustias, id fieri non potuit; imo neque eodem inscripta die ad eos, ad quos pervenire poterat, missa est.

tris Pii XII digne celebrandum. Societas nostra, sicut iam RVae. significabam meis litteris die 22 februarii datis, quae tot tamque singularibus rationibus cum Christi in terris Vicario intime est coniuncta, primas profecto partes sibi vindicare debet in hisce venerationis signis erga amantissimum Patrem, eo vel magis si oculos convertimus ad Eius erga nos paternam benevolentiam vere singularem.

Haec ego mente revolvens, quae sequuntur visa sunt mihi RVae. commendare:

1) ut Nostri omnes istius Provinciae messem precum operumque spiritualium offerant, quae, in fasciculos redacta, in donum Summo Pontifici exhiberi possint; sufficit ut RVa. summam totalem horum obsequiorum mecum communicet;

2) ut in nostris Domibus et Collegiis, facultate obtenta a legitima auctoritate, collecta fiat pro novo templo Romae exstruendo in honorem S. Eugenii I Papae;

3) ut in Domibus Probationis, in Collegiis Nostrorum, in Scholis Apostolicis aut Seminariis Minoribus Societatis, solemnis habeatur commemoratio *Diei Papalis instar;* idem fiat in Collegiis externorum;

4) ut Scholastici nostri, ad normam indicationum quas S. Congregatio de Seminariis faciebat hac super re, aliquibus litterariis laboribus operam navent circa Romanum Pontificem, ita ut ex his, si id Superiores opportunum iudicant, meliores seligantur qui S. Congregationi praesentari possint;

5) ut in Seminariis saecularibus nobis commissis, Rectores promoveant inter Seminaristas fidelem et generosam exsecutionem omnium earum indicationum quas S. Congregatio innuebat die 20-21 martii in ephemeride « Osservatore Romano », quarum exemplar RVae. mitto; dubito enim numerum memoratae ephemeridis ad vos pervenisse.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 24 martii 1942.

R.ae V.ae Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

57. **1 iunii 1942.**

Textus nn. 81-94 libelli « Practica quaedam » ad mentem decr. 37 Congr. Gen. XXVIII et Rationis Studiorum emendatur.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Ut praecipua praescripta Rationis Studiorum de examinibus in Philosophia et Theologia commodius ab omnibus, praesertim ab Examinatoribus, cognoscerentur et rite servarentur, iuvabat ea breviter in unum colligere, uti iam antea factum erat in Parte tertia libelli *Practica quaedam ad Formulam scribendi.* Hos ergo numeros 81-94 eiusdem libelli, ad normam Rationis Studiorum recognitos et auctos, mandante Patre Nostro, nunc ad Rm. Vm. mitto. Si numerus exemplarium non sufficit, ut omnes quorum interest singuli singula exempla habeant, plura Ra. Va. a me petere poterit.

Peculiari ratione ab Examinatoribus notanda erunt quae n. 84 in formula suffragii ferendi de examine ad gradum dicuntur de particulis modificativis ad normam Rat. Stud. n. 230 §§ 3, 4 et 5; necnon quae n. 85 nunc primum praescribuntur de modo mittendi Testimonium et Suffragium de examine ad gradum. Huius novae praescriptionis finis practicus est ut Rector (vel ille cui Rector rem commiserit). possit ex inscriptione in parte externa involucrorum clausorum facile scire num de singulis examinatis mittantur omnia suffragia quattuor Examinatorum et iudicium Praesidis examinis.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 1 iunii 1942.

R.ae V.ae Servus in Xto.
Ludovicus Dumoulin
Secr. S. I.

FORMULAE SUFFRAGII
IN EXAMINIBUS SCHOLASTICIS FERENDI

81. — *Praecipua quaedam praescripta de examinibus compendio exhibita.*

	Tempus examinis	Numerus Examinatorum	Suffragia requisita (1)	
			Numerus	Qualitas
I. - Examina nostrorum philosophorum				
A. Qui studia in ordine ad cursum maiorem Theologiae peragunt:				
1. de disciplina praecipua:				
anno primo	1/2 h.	4	2	6
anno secundo	1/2 h.	4	3	6
anno tertio	1	4	3	6
2. de ceteris disciplinis principalibus, spec., curs. pecul.:				
si oralia	1/4 h.	2 (2)	—	summa 12
si scripto	— (3)	1 (4)	1	6
3. de disciplinis auxiliaribus:				
si oralia	10 m.	2 (2)	—	summa 12
si scripto	— (3)	1 (4)	1	6
4. scriptum ad Licentiam . .	— (3)	1 (4)	1	6
5. Exercitationes		1 (4)	1	6
B. Qui studia in ordine ad cursum minorem Theologiae peragunt:				
1. de disciplina praecipua:				
singulis annis	1/2 h.	3	2	satisfecit
2. de aliis disciplinis:				
si oralia	10 m.	1	1	satisfecit
si scripto	— (5)	1 (6)	1	satisfecit
II. - Examina nostrorum theologorum				
A. Qui studia in cursu maiore peragunt:				
1. de disciplina praecipua:				
anno primo	1/2 h.	4	2	6
anno secundo	1/2 h.	4	3	6
anno tertio	1 h.	4	3	6
anno quarto (7)	2 h.	4	3	certo super. Insuper, pro parte theol. 6

	Tempus examinis	Numerus Examinatorum	Suffragia requisita (1): Numerus	Suffragia requisita (1): Qualitas
2. de Theologia Morali:				
annis primo et secundo .	1/4 h.	3	2	6
universa	1/2 h.	4	3	ut confessiones cum fructu...
3. de ceteris disciplinis principalibus, spec., curs. pecul.:				
si oralia	1/4 h.	2 (2)	—	summa 12
si scripto	— (3)	1 (4)	1	6
4. de disciplinis auxiliaribus:				
si oralia	10 m.	2 (2)	—	summa 12
si scripto	— (3)	1 (4)	1	6
5. scriptum ad Licentiam . .	— (3)	1 (4)	1	6
6. Exercitationes		1 (4)	1	6
B. Qui studia in cursu minore peragunt:				
1. de Theologia Fund. et Dogmat.:				
annis primo, secundo, tertio	1/2 h.	3	2	satisfecit
anno quarto	1 h.	3	2	satisfecit
2. de Theologia Morali.				
annis primo et secundo .	1/4 h.	3	2	satisfecit
universa	1/2 h.	4	3	ut confessiones cum fructu...
3. de ceteris disciplinis primariis:				
si oralia	1/4 h.	1 (8)	1	satisfecit
si scripto	— (5)	1 (6)	1	satisfecit
4. de disciplinis secundariis:				
si oralia	10 m.	1 (8)	1	satisfecit
si scripto	— (5)	1 (6)	1	satisfecit
III. - Examina ad Lauream cf. Rat Stud. 247-255.				
IV. - Examina Quinquennalia	1/2 h.	3	2	satisfecit

(1) Pro casu quo quis suffragia requisita non obtinuerit cf. Rat. Stud. nn. 239, 240, 241, 281.

(2) Cf. tamen Rat. Stud. n. 220 § 1, c.

(3) Cf. Rat. Stud. n. 221 § 2.

(4) Cf. tamen Rat. Stud. n. 220 § 1, d.

(5) Cf. Rat. Stud. n. 227 § 2.

(6) Cf. tamen Rat. Stud. n. 276, d.

(7) De relatione huius examinis ad Licentiam cf. Rat. Stud. nn. 226 § 2, 246 § 1, 4°.

(8) Cf. tamen Rat. Stud. n. 276, c.

ART. I — *De examine ad gradum Societatis.*

82. — TEXTUS LEGENDI AB EXAMINATORIBUS AD GRADUM ANTEQUAM HOC OFFICIUM PRIMA VICE EXERCEANT.

Ex praescriptis Coll. Decr. d. 119 et Rat. Stud. n. 227, Examinatores ad gradum, antequam hoc officium prima vice exerceant et iusiurandum emittant, debent legere decreta 118 et 121 Collectionis Decretorum.

Decretum 118 (Rat. Stud. n. 229):

« § 1. Examinatores declarare debent num examinatus certo superaverit mediocritatem in Philosophia et Theologia scholastica, ideoque actu habeat eam doctrinam conspicuam et selectam, quae in Bullis Pontificiis et Societatis Constitutionibus et Congregationum Generalium decretis ad professionem quattuor votorum requiritur.

§ 2. Superare autem certo mediocritatem dicitur ille, qui theses seu materiam pro examine propositam bene intelligit et cum satisfactione exponere ac tueri valet; idque non tantum vix aut aegre, sed clare et sine dubitatione.

§ 3. Hac doctrina praeditus, aptus censetur ad Philosophiam ac Theologiam scholasticam cum satisfactione docendam, adhibitis congruentibus praeparationibus et servatis de iure servandis.

§ 4. Iudicium de doctrina ferendum est non relative ad alios ad gradum iam promotos, sed absolute; et quidem, habita ratione non ingenii solum, sed etiam doctrinae quam actu habet dum examinatur ».

Decretum 121 (ut habetur, nonnullis adiectis explicationibus, in Rat. Stud. n. 230):

« § 1. Examinatores iudicium ferant secundum hanc formulam: « Ego N. examinavi de more (vel, si agatur de actu Theologiae ad normam Collectionis Decretorum d. 161 § 1, 3°, dicatur: audivi defendentem theses de universa Theologia) N., et iuratus censeo eum certo (vel: non certo) superare mediocritatem in Philosophia et Theologia scholastica, ideoque actu habere (vel: non habere) eam doctrinam conspicuam et selectam,

quam Collectio Decretorum d. 118 et formula iuramenti ad professionem quattuor votorum requirunt ».

§ 2. Ut quis censeatur habere doctrinam praescriptam, requiruntur tria suffragia positiva et clara; particulae « vix » et « aegre », aliaeque similes, in hoc examine relate ad professionem suffragium reddunt negativum; suffragium vero dubium pro nullo habeatur.

§ 3. Suffragium ut pro positivo habeatur, necesse est vocabulum *certo* prae se ferat. Inter suffragium quod est *certo superare* et suffragium quod est *vix superare* non est tertium medium.

§ 4. Quodsi tantam doctrinam non habeat candidatus, ut eum certo superare mediocritatem iudicari possit, diserte addatur unum ex hisce suffragiis: *vix superare, attigisse, vix attigisse, non attigisse* (mediocritatem), neque ulla alia suffragandi formula adhibeatur.

§ 5. Suffragio positivo addi possunt, prout res postulaverit, haec verba quibus modus ulterius significetur: *bene, cum laude, magna cum laude, summa cum laude*; haec tamen verba sub iuramento non sunt ».

83. — Formula iurisiurandi ferendi ab Examinatoribus ad gradum antequam hoc officium prima vice exerceant.

Ex praescripto Decreti 119 (Rat. Stud. n. 227) Examinatores, antequam hoc officium prima vice exerceant, debent iurare secundum formulam quae sequitur, qua se astringant ad fidelitatem in suffragio ferendo et ad secretum cum omnibus, praeterquam cum Generali ac Provinciali, servandum:

« Ego N., testem invoco Deum, cuius oculis nuda et aperta sunt omnia, me in examine praestiturum esse fideliter quae praescribuntur in Decreto 118, secundum propriam eius vim, ac proinde me, suffragium utrum candidatus mediocritatem in Philosophia et Theologia scholastica certo superaverit necne, laturum esse non comparative ad alios quosdam ante promotos, sed absolute, nec habita solum ingenii ratione, sed etiam doctrinae, quam quis actu habet, meque praeterea nemini revelaturum esse suffragium, praeterquam iis, ad quos pertinet ex officio. Ita iuratus promitto ».

84. — Paradigmata pro suffragiis ferendis (Cf. Rat. Stud. n. 230 §§ 1, 4 et 5).

§ 1. De singulis examinatis distinctis foliis scribatur suffragium secundum paradigma quod sequitur:

Suffragium de examine ad gradum

Collegium . . . .

Admodum Reverende in Xto. Pater,

P. Xti.

Ego . . . . examinavi de more P. . . . ., die . . . mens. . . . anni . . . , et iuratus censeo eum . . . (1) *certo superare mediocritatem in Philosophia et Theologia scholastica, ideoque actu . . .* (1) *habere eam doctrinam conspicuam et selectam quam Collectio Decretorum d. 118 et formula iuramenti ad professionem quattuor votorum requirunt.*

(Si suffragium sit positivum, addi potest) *Immo censeo eum mediocritatem superasse non tantum certo, sed etiam . . . . .*(2).

(Si suffragium sit negativum, addatur) *Censeo vero eum mediocritatem . . . . .* (3).

Paternitatis Vestrae
servus in Xto.
. . . .

---

(1) Addatur hic particula *non,* si examinatus *non certo* superavit.

(2) Hic addi possunt, prout res postulaverit, particulae modificativae: *bene, cum laude, magna cum laude, summa cum laude;* haec tamen verba sub iuramento non sunt.

(3) Hic addatur unum ex hisce suffragiis: *vix superasse, attigisse, vix attigisse, non attigisse,* neque ulla alia suffragandi formula adhibeatur.

§ 2. De singulis examinatis distinctis foliis scribatur testimonium Praesidis secundum paradigma quod sequitur:

FORMULA TESTIMONII PRAESIDIS EXAMINIS AD GRADUM

Collegium . . . .

Admodum Reverende in Xto. Pater,

P. Xti.

Praefui examini ad gradum quod subiit P. . . . . die . . . mensis . . . . . anni . . . et testor omnia rite fuisse peracta. (vel *et haec animadvertenda censeo . . . .*)

Paternitatis Vestrae
servus in Xto.
. . . .

§ 3. A iudicibus de successu Actus Generalis Theologiae adhibeatur formula quae sequitur:

SUFFRAGIUM DE ACTU THEOLOGIAE

Collegium . . . .

Admodum Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Ego . . . . audivi P. . . . . , die . . . mens. . . . . . anni . . . , defendentem theses de universa Theologia, et iuratus censeo . . . . (etc. omnino sicut in suffragio de examine ad gradum).

85. — Suffragia Examinatorum et testimonium Praesidis examinis ad gradum mittantur directe ad ipsum Generalem, et praeterea ad Praepositum tam Provinciae in qua examen factum est,

quam ipsius examinati, et quidem ad Provincialem litteris « soli » inscriptis (cfr. Coll. Decr. d. 122; Rat. Stud. n. 231).

De unoquoque examinato suffragium suum singuli Examinatores (et testimonium suum Praeses) ponant in involucris distinctis. In parte autem externa involucri inscribatur tum nomen Examinatoris (vel Praesidis) tum nomen examinati, fere hoc modo:

Collegium . . . .
Suffragium P. . . . .
(vel *Testimonium P. . . . .*)
de Examine ad Gradum P. . . . .

Art. II. — *De aliis examinibus decursu studiorum Philosophiae et Theologiae.*

86. Notanda quaedam communia.

Examinatores in dandis suffragiis sequentes praesertim numeros Rationis Studiorum prae oculis habeant: n. 234 §§ 1, 2, 3; n. 242, §§ 2 et 3; n. 280, §§ 1 et 2.

Particulae modificativae, quae ad normam Rat. Stud. n. 280 § 1 suffragiis positivis addi possunt, sunt v. gr.: *vix, aegre, bene, cum laude, magna cum laude,* etc.

Particula *fere* habenda est negativa.

87. — Formula suffragii ferendi in omnibus examinibus oralibus (excepto examine de universa Theologia morali).

A. — Pro Theologis cursus maioris et pro Philosophis qui studia peragunt in ordine ad hunc cursum.

Ego infrascriptus examinavi de . . . . (1) *sequentes Auditores Facultatis Theologicae,* (vel: *cursus maioris Theologiae,* vel: *Facultatis Philosophicae,* vel: *Philosophiae*) *et censeo*:
N. . . . . , Auditorem anni . . . . , dignum esse punctis . . .
N. . . . . , Auditorem anni . . . . , dignum esse punctis . . .
(*Locus, dies, mensis, annus*).

(1) Hic notetur materia examinis.

B. — Pro Theologis cursus minoris et pro Philosophis qui studia peragunt in ordine ad hunc cursum.

Ego infrascriptus examinavi de . . . . (1) *sequentes Auditores cursus minoris Theologiae,* (vel: *Auditores Philosophiae qui studia peragunt in ordine ad cursum minorem Theologiae*) *et censeo*:
N. . . . . , *Auditorem anni* . . . . (2) *satisfecisse.*
N. . . . . , *Auditorem anni* . . . . (2) *satisfecisse.*
(*Locus, dies, mensis, annus*).

(1) Hic notetur materia examinis.
(2) Si suffragium sit positivum, hic addi possunt, prout res ferat, particulae modificativae, v. g. *vix, aegre, bene, cum laude, magna cum laude, summa cum laude;* si vero suffragium sit negativum, addatur hic particula *non.*

88. — Formula suffragii ferendi ab Examinatoribus de universa Theologia morali.

Ego infrascriptus sequentes Auditores examinavi de universa Theologia morali et ad propositam quaestionem « num tantam habeant doctrinam ut confessiones cum fructu audire possint » censeo:
N. . . . . (1) *habere tantam doctrinam.*
N. . . . . (1) *habere tantam doctrinam.*
(*Locus, dies, mensis, annus*).

(1) Si suffragium sit negativum, addatur hic particula *non.*

89. — Formula suffragii ferendi de examinibus scriptis.

A. — Pro Theologis cursus maioris et pro Philosophis qui studia peragunt in ordine ad hunc cursum.

Ego infrascriptus legi scriptiones de . . . . . .(1), *confectas a sequentibus Auditoribus Facultatis Theologicae,* (vel: *cursus maioris Theologiae,* vel: *Facultatis Philosophicae,* vel: *Philosophiae*) *et censeo*:
N. . . . . , *Auditorem anni* . . . . , *dignum esse punctis* . . .
N. . . . . , *Auditorem anni* . . . . , *dignum esse punctis* . . .
(*Locus, dies, mensis, annus*).

(1) Hic notetur materia examinis.

B. — Pro Theologis cursus minoris et pro Philosophis qui studia peragunt in ordine ad hunc cursum.

Ego infrascriptus legi scriptiones de . . . . . . (1) *confectas a sequentibus Auditoribus cursus minoris Theologiae,* (vel: *Auditoribus Philosophiae qui studia peragunt in ordine ad cursum minorem Theologiae) et censeo*:
N. . . . . , Auditorem anni . . . . (2) *satisfecisse.*
N. . . . . , Auditorem anni . . . . (2) *satisfecisse.*

(*Locus, dies, mensis, annus*).

---

(1) Hic notetur materia examinis.
(2) Si suffragium sit positivum, hic addi possunt, prout res ferat, particulae modificativae, v. gr. *vix, aegre, bene, cum laude, magna cum laude, summa cum laude;* si vero suffragium sit negativum, addatur hic particula *non*.

90. — Formula testimonii et suffragii ferendi de Exercitationibus.

Ego infrascriptus testor sequentes Auditores Facultatis Theologicae (vel: *cursus maioris Theologiae,* vel: *Facultatis Philosophicae,* vel: *Philosophiae) statuto tempore Exercitationes quas ego moderor rite frequentasse, operam in iis cum sodalibus contulisse, atque aptitudinem ad laborem scientificum experimento scripto* (1) *demonstrasse, et censeo*:
N. . . . . . . , Auditorem anni . . . . , dignum esse punctis . . .
N. . . . . . . , Auditorem anni . . . . , dignum esse punctis . . .

(*Locus, dies, mensis, annus*).

91. — Formula suffragii ferendi de Dissertatione ad Lauream.

Ego infrascriptus legi Dissertationem quae inscribitur . . .
. . . .
et quam ad Lauream assequendam exhibuit N. . . . .

---

(1) In testimonio de Exercitationibus ad Lauream omittantur verba *experimento scripto*.

Censeo eam . . . [1] *esse approbandam. Huius iudicii rationes, animadversiones et emendationes faciendas folio separato adiungo* [2].

Censeo posse typis edi dissertationem integram (vel: *dissertationis partem, a pag. . . . ad pag. . . .*), *emendatam prout in folio separato adnotatur, quin* (vel: *dummodo*) *correctiones novae censurae subiciantur.*

Censeo dissertationem dignam esse punctis . . . . .

(*Locus, dies, mensis, annus*).

(1) Si suffragium sit negativum, addatur hic particula *non.*

(2) Animadversiones etc. in folio separato adiungantur secundum hoc fere schema:

1º Detur generale iudicium de dissertatione.

2º Indicentur emendationes auctori imponendae ante dissertationis defensionem.

3º Indicentur emendationes auctori imponendae antequam dissertatio typis edatur.

4º Addantur, prout res fert, aliae animadversiones utiles ad opus perpoliendum.

91 *bis*. — Formula iudicii ferendi de Dissertatione emendata antequam typis edatur.

Ego infrascriptus Dissertationem (vel: *Dissertationis partem*) *typis edendam, quae inscribitur . . . . , ab auctore N. . . . . emendatam, vidi et approbo.*

(*Locus, dies, mensis, annus*).

92. — Formula suffragii ferendi de Lectione coram habita.

Ego infrascriptus interfui Lectioni coram habita a N. . . . . in ordine ad Lauream in Theologia (*Philosophia*) *et illam censeo dignam punctis . . . . .*

(*Locus, dies, mensis, annus*).

93. — Formula suffragii ferendi de defensione Dissertationis.

Ego infrascriptus interfui defensioni Dissertationis N. . . .

. . . . in ordine ad Lauream in Theologia (Philosophia) et eam censeo dignam punctis . . . . .
(Locus, dies, mensis, annus).

ART. III. — *De examinibus quinquennalibus Neosacerdotum.*

94. — FORMULA SUFFRAGII FERENDI AB EXAMINATORIBUS.

Examinavi de more Neosacerdotes nostros et censeo:
P. N. . . . . , ... (1) *satisfecisse.*
P. N. . . . . , ... (1) *satisfecisse.*
(Locus, dies, mensis, annus).

(1) Si suffragium sit negativum, addatur hic particula *non.*

58. **2 iulii 1942.**

Epistola de Fratribus Coadiutoribus Societati comparandis riteque instituendis.

AD UNIVERSAM SOCIETATEM.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI,
P. XTI.

Inter alia, quae proxima Congregatio Generalis XXVIII Praeposito Generali exsequenda commendavit, hoc unum fuit, ut Instructionem de promovendis vocationibus ad gradum Fratrum Coadiutorum, ad Assistentiam Americae datam (1), universae Societati accommodaret (2).

Libentissime, ut et meum in Congregationem Generalem officium et paternus erga illos carissimos Fratres amor a me postulant, huic commendationi obtemperaturo, utile visum est ampliorem quandam rei expositionem facere, quae mentem Constitutionum, sive de gradu ipso Coadiutorum temporalium, sive de modo vocationes ad hunc gradum promovendi, sive etiam de candidatorum delectu et institutione, ratione habita condicionum hodiernarum, explicet.

(1) Cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1936, pp. 585-591.
(2) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, p. 27 (d. 23, n. 4).

I. - De gradu Coadiutorum temporalium.

1. — Et in primis, quid S. P. N. Ignatius de gradu Fratrum Coadiutorum senserit, ex hoc ipso nomine *Coadiutorum*, quo eos appellavit, facile intellegere licet.

Iam in deliberationibus anno 1539 habitis perceperant primi nostri Patres difficultatem curandi de rebus temporalibus, sine detrimento animarum, in quarum auxilium laborabant (3). Inivit ergo consilium S. Ignatius admittendi viros, qui « in rebus externis, quae necessariae sunt » Societatem adiuvarent (4), « ut alii, qui in vinea Christi Domini nostri laborant, vel litteris dant operam ut postmodum in ea laborent, subleventur, quo se in rebus ad maius Dei ac Domini nostri obsequium pertinentibus exerceant » (5).

Haec est ergo huius gradus proprietas prima, hic finis: *iuvare* Societatem « in iis rebus, in quibus occupari alii non possunt sine detrimento maioris boni » (6); quare nec plures esse debent nec, quoad eius fieri possit, pauciores, « quam qui necessarii sint ad sublevandam Societatem » (7).

Sed ita Societatem adiuvant, ut, de voluntate S. P. Ignatii, non sint meri rei domesticae administri, at simul « membra unius ac eiusdem corporis Societatis » (8), qui eundem ac reliqui omnes finem sibi proponunt (9), eandem mercedem eamque integram (10) sperant, atque adeo participes sunt « omnium bonorum operum, quae Deus per universam Societatem ad obsequium et laudem suam operari dignabitur, et omnium indulgentiarum et gratiarum, quae Professis ad suarum animarum bonum a Sede Apostolica concessae fuerint » (11).

2. — Inde patet quam longe a vero et a mente S. P. Ignatii

(3) Cf. *Mon. Ign.*, ser. III, vol. I, p. 6.
(4) Cf. *Exam.*, c. 6 n. 1.
(5) *Const.*, P. I c. 2 A.
(6) *Const.*, P. I c. 2 n. 2.
(7) *Const.*, ib.; cf. P. III cap. 2 n. 7.
(8) *Const.*, P. V c. 1 n. 1; cf. litt. A.
(9) Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 19.
(10) Cf. *Exam.*, c. 6 n. 3.
(11) *Exam.*, c. 6 n. 3; cf Paulus III, « *Exponi nobis* », « *Licet debitum* »; Iulius III, « *Exposcit debitum* »; Reg. Coad., 17.

aberrarent illi, qui contenti opera famulorum et officialium externorum minus solliciti essent de Coadiutoribus temporalibus Societati comparandis.

Quodsi, vel ab ipsis S. Patris nostri temporibus usa est Societas opera famulorum saecularium ([12]), hoc certe necessitate coacta fecit, non quod operam Fratrum Coadiutorum longe pluris non aestimaverit ([13]).

Nec mirum, cum utilitates, quas Fratres bene ad virtutem et ad sua munera informati Societati praebent, tot et tantae sint. Mitto impensas famulatus, quas multae domus facere nequeunt. Mitto difficultatem inveniendi, his praesertim temporibus, famulos aptos et fidos, qui ordinem, cui etiam famulos in domo religiosa oportet servire, non fastidiant, qui nostra in vulgus non efferant, qui domus commodo consulentes, nimiis sumptibus parcant. Etiamsi facile sit famulos invenire, sunt quidem multa quae eis committi nequeunt, sive quia Societati intima, ut negotia administrationis, munia Socii Provincialis, sive quia « honestius », ut vocabulo utar S. P. Ignatii ([14]), a Nostris quam ab externis fiunt, ut officia Infirmarii, Dispensatoris, Custodis vestium, Lotoris, Tonsoris, et alia id genus. Immo, vel illa negotia, quae tuto famulorum curae committi possunt, quanti refert utrum a mercenariis externis conficiantur, an a Fratribus nostris, qui « non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes », obsequium suum praestant, « sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei, ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino » ([15]); qui Deum Dominum nostrum « in alio ut in Illius imagine agnoscere » student ([16]); qui probe sciunt Dominum « tamquam Sibi ipsi exhibita agnoscere et remunerari quaecumque in ministerium fratrum suorum praestita fuerint » ([17]). Addite prudentiam, fidelitatem, diligentiam, qua res nostras, « tamquam bona Domini nostri Iesu Christi propria », curant ([18]).

([12]) Cf. *Mon. Ign.*, ser. I, vol. 5, p. 703; vol. 6, pp. 30, 80; *Mon. Lain.*, vol. 6, p. 632; etc.

([13]) Cf. *Mon. Ign.*, ser. I, vol. 4, p. 191; vol. 6, pp. 240, 413-414; etc.

([14]) Cf. *Const.*, P. III c. 2 H.

([15]) *Ephes.*, VI, 6-7.

([16]) *Const.*, P. III c. 1 n. 4; Reg. Sum. 29.

([17]) Reg. Coad., 16.

([18]) Cf. *Const.*, P. III c.2 n. 7.

Haec omnia in Missionibus quoque luculenter apparent, ubi quam pretiosum quantique aestimandum sit Fratrum nostrorum auxilium, frequentes ad me Episcoporum et Superiorum petitiones confirmant. Ibi enim, non solum maximo sunt solacio Missionario, non solum de omnibus Patri ad vitam necessariis modo quasi materno curant; sed etiam praedia perite colere, domos et templa affabre aedificare, artes et officia neophytos docere, morbis christianorum mederi, catechumenos ad baptismum parare, alia utilissima perficere saepe conspiciuntur (19).

At sunt alia maiora: solidae enim virtutes, continuae orationes, paenitentiae horum Fratrum nostrorum, mirabile pondus gratiarum et divinarum benedictionum afferunt domibus, in quibus morantur; nec solum Nostris, sed etiam externis stimulos ad virtutem admovet eorum aspectus recollectus, humilis, alacer in laboribus.

Contra, ubi Fratres Coadiutores desunt, quot incommoda, quot damna oriuntur! In primis, detrimentum capit disciplina regularis, cum non pauca sapientissima praescripta nostri Instituti, ut regula socii, visitatio orationis et examinis, lectio ad mensam, paenitentiae in triclinio, difficulter observari possint, si pro Fratribus Coadiutoribus domestici externi habentur. Dein, periculum non leve creatur ne Nostri, assueti conducto ministerio servorum, quibuscum ut domini agunt, propria commoda quaerere incipiant, et mundano quodam spiritu inficiantur.

3. — Sed gradus Fratrum Coadiutorum, non modo pluris habendus est ob singularia bona atque utilitates, quae ex eo toti Societati proveniunt, verum etiam vel maxime ob ipsam eius dignitatem, quae ex fine supernaturali illis assignato et ex mediis hunc finem consequendi facile concluditur. Nam, cum Fratres Coadiutores eundem finem in Societate propositum habeant ac Patres, sui et proximorum saluti ac sanctificationi operam dare; quare, non solum bono exemplo « totius vitae et virtutis christianae » (20), non solum « sanctis desideriis et orationibus » (21), non solum piis colloquiis, quibus « pro ratione sui gra-

(19) Cf., v. g., *Memorabilia*, vol. I, pp. 374 sq.; vol. III, pp. 618 sq.
(20) *Const.*, P. VII c. 4 n. 2.
(21) *Const.*, P. VII c. 4 n. 3.

dus » ([22]) proximos adiuvare debent ([23]), sed etiam ipsa ipsorum vita ipsisque muneribus, quibus Societatem adiuvant, salutem animarum, ad quam Societas tota vergit, consequuntur; tamen, liberi manent a multis periculis, quibus Operarii vineae dominicae obiciuntur; ita ut gaudeant fructu et merito vitae apostolicae, cum silentio et pace vitae absconditae. Vel hac una ratione valde excellentem dicebat P. Laínez hunc esse Societatis gradum: « quod ad ipsam veterum Patrum consuetudinem propius accederet, qui orando laborandoque omnem impendebant diem et cum ipsis manuum operibus cordis orationem amice sociabant » ([24]).

Qui autem lumine supernaturali rem inspiciat, maius quid in professione Fratrum Coadiutorum animadvertet: eorum officia, non modo B. V. Mariam et S. Ioseph amplexos esse, verum etiam ipsum « Christum Dominum nostrum per tot annos in Domo Nazarethana exercuisse et exercendo consecrasse » ([25]). Unde, « sicut per Eum crux, quae olim suppliciorum genus fuit maxime probrosum, pretiosissimas deinde gemmas aestimatione longe superavit; ita domestica munera atque officinarum opera ad divinam quandam dignitatem evecta sunt » ([26]). Quapropter nihil mirum si apud P. Natalem legamus hunc Societatis gradum « perfectissimo cuique desiderabilem esse, modo per obedientiam liceat, nec desiderabilem solum, sed desideratum etiam esse cum magna spiritus suavitate » ([27]). Profecto, ut omittam multos, quos per totam Societatem semper vidimus Scholasticos, Patres, Professores, Superiores, ipso praeeunte S. P. Ignatio ([28]), haec officia, « in quibus magis exercetur humilitas et caritas », avide et devote obeuntes ([29]); quot sunt praeterea illi qui huic gradui vitam totam devovere expetiverant, ut prae aliis B. Bernardinus Realinus, utriusque iuris laurea insi-

([22]) Cf. Reg. Coad., 14.

([23]) Cf. *Exam.*, c. 6 n. 4.

([24]) P. Vitelleschi, « De cura FF. Coadiutorum Superioribus habenda »: *Epist. select.*, pp. 89-90.

([25]) Reg. Coad., 16; cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, p. 26.

([26]) *Acta Rom.*, vol. II, 1917, p. 377.

([27]) *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 454.

([28]) Cf. Ribadeneira, *Vida de S. Ignacio*, l. 3, c. 2.

([29]) Cf. *Mon. Ign.*, ser. IV, vol. 1, pp. 309-310; ser. I, vol. 11, p. 246; *Polanci Compl.* vol. II, pp. 581, 600; *Litt. Quadrim.*, vol. I, pp. 22, 408; etc.

gnitus, B. Rodulfus Acquaviva, ex Hatriae Ducibus prognatus, Servus Dei P. Vincentius Carafa, qui Praepositus Generalis postea fuit, aliique sexcenti, quorum nominibus Menologia nostra sarciuntur ([30]); idque re vera obtinuit v. gr. B. Leonardus Kimura, nobili loco natus, qui Missionem Iaponensem vel in gradu Coadiutoris temporalis plurimum iuvit et dein glorioso martyrio illustravit.

Haec omnia, quae de praestantia huius gradus dixi, confirmata videmus exemplis virtutum eorum Fratrum nostrorum, qui cum SS. Alfonso Rodríguez, Iacobo Kisai, Renato Goupil, Ioanne de la Lande, et tot aliis Beatis Martyribus, sanctitatem adepti sunt. Quorum non paucos nostris temporibus, hisce proximis annis, vidimus in omnibus fere Provinciis cum fama sanctitatis animam Deo reddere. Praeter Servum Dei Franciscum Garate ([31]) de cuius beatificationis causa, expleto processu ordinario, mox ex officio introducenda iam Romae agi coeptum est ([32]), et complures Fratres ex Provinciis Hispaniae, qui annis 1934-1938 fortiter pro Christo sanguinem fuderunt; satis sit nominare FF. Ioannem Mancini ([33]), Aloisium Wieninger ([34]), Martinum Stähler ([35]), Iacobum Hassett ([36]), Iosephum Prieto ([37]), et multos alios, quorum memoria in benedictione est.

4. — Iam, conclusio huius primae partis meae epistolae haec sit oportet, ut conemur omnes aestimationem atque amorem huius gradus magis magisque et in nobismetipsis fovere et operibus ostendere.

Fratres ipsos amor erga propriam vocationem inducere debet ad fidelissimam observantiam suarum Regularum atque ad illarum virtutum studium, « quae hunc Societatis gradum in primis ornant atque perficiunt » ([38]). Non est cur commorer nunc in his virtutibus explicandis, quas Epitome sic e Consti-

---

([30]) Cf. GUILHERMY, *Ménologe*, Appendice, pp. 266-270.
([31]) † 1929: cf. *Memorabilia*, vol. III, p. 700.
([32]) Cf. *Acta Rom.*, vol. X, 1941, pp. 55 sq.
([33]) † 1928; cf. *Memorabilia*, vol. III, pp. 682-683.
([34]) † 1929; cf. *Memorabilia*, vol. III, p. 700-701.
([35]) † 1936; cf. *Memorabilia*, vol. VI, p. 610-613.
([36]) † 1938; cf. *Memorabilia*, vol. VI, p. 709.
([37]) † 1939; cf. *Memorabilia*, vol. VII, p. 78-79.
([38]) Reg. Coad., 2.

tutionibus et Congregationibus Generalibus collectas enumerat: sinceram pietatem, modestiam, studium paupertatis, amorem laboris, fidelem oboedientiam, humilitatem atque observantiam erga eos qui Coadiutores non sunt [39]; praesertim cum de illis fusius locutus fuerim in Epistola de tertio anno saeculari ab obitu S. Alfonsi Rodríguez [40]. Sufficiat ergo attentos reddere carissimos Fratres ad id quod fideli alacrique labore afferre possunt, ut omnes Nostri vitam religiosam diligant eamque laeti in Domino degant. Nam, ut decessor meus b. m. P. Antonius Maria Anderledy scribit, illi « cura et labore, quae impertiunt nobis, alacritatem et vocationis fovent amorem, vitam communem tutantur et amoenitatem addunt domibus, ubi commoditati religiosae et iucunditati prospiciunt, ac desiderium amovent res ad vivendum necessarias vel utiles aliunde sibi comparandi » [41].

Sed officio meo deesse putarem, si Fratres nostros non praemunirem contra modernum independentiae spiritum, a quo proxima Congregatio Generalis voluit ut ipsi immunes se custodirent. Cum enim nihil quidem tantopere S. P. Noster eis commendet quam ut sint « sorte Marthae in Societate contenti » [42], ut sint « quieti... in officiis ac ministeriis abiectis et humilibus ad auxilium domus et Societatis pertinentibus, cuiuscumque rationis illa sint, parati ad vitam omnem in eis exigendam » [43], ut « magna cum humilitate... in omnibus Creatori ac Domino suo iuxta primam suam vocationem inserviendo » perseverent [44]: ea tamen est horum temporum condicio, ut periculum sit ne illo mundano spiritu independentiae et aequalitatis, « qui superbiae spiritus est » [45], incauti inficiantur. Iam vero, hoc spiritu imbutus ab humilioribus officiis obeundis abhorrebit, oboedientiam et religiosam indifferentiam labefactans; qui, si quando in honorificentioribus inveniatur condicionibus, facile evenire potest, ut maior apud Nostros et apud externos videri cupiat

(39) Cf. Epit. n. 165.

(40) Cf. *Acta Rom.*, vol. II, 1917, pp. 381-389.

(41) Epistola « de repetenda subinde SS. Petri, Ioannis, et Alfonsi praeclare gestorum memoria »: *Epist. Gen.*, vol. IV, n. 131.

(42) *Const.*, P. I c. 2 n. 2; cf. litt. B.

(43) *Exam.*, c. 6 n. 7.

(44) *Exam.*, c. 6 n. 6.

(45) Epit., n. 208, 3°.

quam eius fert status, et observantiam ac reverentiam erga non Coadiutores non habeat, quam ei Regula praecipit (46).

Hoc autem mundano spiritu ut melius liberentur, maximo eis adiumento erit diligenter in se alere illam aliam virtutem, eorum modo vivendi maxime accommodatam, pietatem dico seu internam devotionem, non solum in cotidianis exercitiis spiritualibus, sed etiam in suis muneribus obeundis. Assuefiant, ut Regula eos hortatur (47), Christum in domo Nazarethana laborantem crebro considerare et Sibi exhibita agnoscentem quae in ministerium fratrum suorum praestantur (48). Immo, quoad per proprium officium eis liceat, ne vereantur addere illa extraordinaria pietatis exercitia, quae optimi quique Fratres semper cara habuerunt et ad internam devotionem conservandam et alendam magnopere iuvant: ut Sanctissimum Sacramentum saepius visitare, Stationes Viae Crucis percurrere, aliquid quoque temporis, quod diebus dominicis et festis sibi liberum maneat, orationi impendere et necessitates Ecclesiae ac Societatis Deo commendare.

Non parum etiam ad mundanum spiritum vitandum pertinebit, ut, secundum probatas Provinciae consuetudines, Fratres, veste religiosa induti incedant, nec nisi iusta de causa et de iudicio Superioris, eam deponant (49).

Hoc modo ostendent Fratres Coadiutores se suam vocationem magni facere eamque ut eximium Dei donum amare.

« Reliqui autem de Societate — nos admonet proxima Congregatio Generalis (50) — Coadiutores temporales vere aestiment ut fratres et cooperatores in Domino eosque sincero amore prosequantur ». Si enim, praeter praestantiam ipsius eorum gradus, quam ostendere supra conatus sum, principiis supernaturalibus ducti secum considerent dona naturalia et humana posthabenda esse gratiis illis, « quae gratas faciunt animas Creatori ac Domino suo » (51), in quibus Fratres nostri saepe excellunt; non modo, de S. P. Ignatii monito, sibi eos superiores du-

(46) Cf. Reg. Coad., 7.
(47) Cf. Reg. Coad., 16; *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, p. 26.
(48) Cf. *Mon. Ign., ser.* IV vol. I p. 81; *Mon. Nadal*, vol. IV p. 453.
(49) Cf. *Coll. Decret.*, d. 48; *Acta Rom.*, vol. I, 1913, p. 138.
(50) *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, p. 26 (d. 23, n. 2).
(51) *Mon. Ign.*, ser. III, vol. II, p. 125.

cent ([52]), verum etiam, sicut S. Franciscus Borgia ([53]), manus illas, quae servitio Dei ac Domini nostri consecratae sunt, religiose osculari cupient.

Huic autem reverentiae amor addatur oportet. « Quia fratres nostri sunt », ut saepius repetebat S. Ioannes Berchmans ([54]); immo, non solum fratres, sed quodammodo matres, quippe qui de cibo, de vestibus, de omnibus ad vitam nobis necessariis, materne curent. Omnes ergo ea illos benevolentia tractent, qua erga fratres decet, servato tamen gradu et subordinatione « quam exigit cuiusque status » ([55]). Patres, eorum recreationibus aliquando intersint ([56]), atque adeo, quo gratius eis reddatur ministerium, in quo ad maius Dei servitium et gloriam sunt constituti, interdum intra annum officia eorum obeant ([57]).

II. - De vocationibus Fratrum Coadiutorum fovendis.

5. — Vidimus, Reverendi Patres Fratresque carissimi, quam necessarii sint in Societate Fratres Coadiutores, quam praestans eorum gradus. At vero, pro dolor!, numerus eorum qui huic Societatis gradui addicuntur non respondet ei, quem et illa necessitas et haec praestantia postulant. Si enim non desunt Provinciae, quae debita eorum copia non careant, pleraeque tamen earum penuria laborant, immo multae in magnas angustias adductae sunt.

Illud autem magis sollicitum me tenet: ab ineunte hoc saeculo XX, in quo tam miro modo multiplicata est Societas nostra, augmentum Fratrum Coadiutorum constanter minus esse ([58]). Adeo ut superioribus annis, si annus 1940 excipiatur, nullum fuerit augmentum, sed constans deminutio ([59]).

([52]) Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 4; Reg. Sum., 29.

([53]) Cf. *Mon. Borg.*, vol. V, p. 871.

([54]) Cf. Cepari, *Vita di S. Giovanni Berchmans, Fiammingo, Religioso della C. di Gesù*, P. II, § 13.

([55]) *Const.*, P. III c. 1 n. 4; Reg. Sum., 29.

([56]) Cf. *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 77; *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 454.

([57]) Cf. *Const.*, P. III c. 1 n. 19.

([58]) Cf. *Memorabilia*, vol. VI, pp. 585-593.

([59]) An. 1937=—30; an. 1938=—36; an. 1939=—19. an. 1940=+29. —

Quodsi causas huius lugendae penuriae quaeramus, praecipua quidem petenda est ex illo spiritu mundano, de quo supra mentionem feci, qui his temporibus, magis fortasse quam antea, inducit hominum animos, ut non modo non alliciantur ad vitam in Christo absconditam, verum etiam ab ea abhorreant.

Sed huic malo accedit ignoratio huius tam pulchrae ac meritoriae vocationis. Quot enim inveniuntur, inter opifices praesertim parvorum pagorum, iuvenes bene morati, pii, altioris perfectionis cupidi, qui prorsus nesciunt ubi possint haec vota, quibus vocatio divina significatur, in effectum adducere! Quot qui, cum vitam totam Deo in salutem infidelium sacrificare desiderent, numquam audierunt splendida opera quae nostri Fratres in Missionibus perficiunt! Quid? si ne ipsi quidem Sacerdotes et Parochi, qui illos iuvenes docere debent, saepe cognoscant eiusmodi vitae modum in Societate inveniri?

Et hic necessarium existimo falsam nonnullorum opinionem refellere, qui dicunt in numero candidatorum multiplicando nihil nobis agendum esse, cum vocatio sit donum Spiritus Sancti, qui « ubi vult spirat » (60). Verum quidem est vocationem esse donum divinae Bonitatis, ob quam numquam Ei satis grati esse possumus; at Dei Providentia ministerio hominum uti solet. Quare nostrum est, debita quidem prudentia, non solum nascentem vocationem colere et tueri, sed etiam, ubi aptam terram invenerimus, desiderium vitae perfectae inserere. Ipse S. P. Ignatius haec diserte nos docuit in Constitutionibus, cum ait par esse « sollicite cooperari motioni ac vocationi divinae, curando ut augeatur in Societate numerus operariorum vineae Christi Domini nostri » (61); quod iam in libro Exercitiorum dixerat: « extra Exercitia licitum est et pro merito ducendum, si quis caelibatum, religionem et aliam quamcumque evangelicam perfectionem amplecti suadeat iis omnibus quos ex personarum et condicionum ratione probabile sit fore idoneos » (62). Et iam a primis ipsis temporibus, quibus idem S. Pater noster S. Franciscum Xaverium aliosque primos Patres ad Christi militiam ad-

---

Pro portione Sociorum: an. 1937=20,6%; an. 1938=20,1% an. 1939=19,8%; an. 1940=19,7%.

(60) Io., III, 8.

(61) *Const.*, P. I c. 1 C.

(62) Cf. Annot. 15.

duxit, semper usa est Societas illa, quam P. Natalis « piscationem » appellat, et ad quam accuratas et prudentissimas normas scriptis mandavit ([63]).

Omnes ergo Patres Fratresque carissimos magnopere hortor ut cum Superioribus in hoc tam praeclaro opere conspirent, et, secundum proximae Congregationis Generalis commendationem, « considerantes quanta sit in conspectu Dei illius status vitae praestantia, omnes promovendis Fratrum vocationibus pro viribus adlaborent » ([64]). Velint singuli Societatem hoc tam pretioso auxilio amanter recreare, proximos hac tam perfecta vita ad sanctitatem consequendam iuvare, Christo Regi ac Duci nostro socios ac milites comparare.

6. — Quodsi hunc pulcherrimum apostolatum suscipere volueritis, media quidem non deerunt. In eis autem, docente S. P. Ignatio, « primum medium et maxime consentaneum, orationum et Sacrificiorum » sit oportet; sine auxilio enim Eius per cuius gratiam Societas instituta est, frustra sperabimus fore ut ipsa conservetur et augeatur ([65]).

Humili et assiduae precationi accedat « bonum exemplum totius honestatis ac virtutis » ([66]), praesertim ipsorum Fratrum Coadiutorum. Spectaculum enim vitae laboriosae ac Dei servitio plene deditae, fulgor modestiae atque internae pacis, invitationes sunt omni verbo fortiores. Probe quidem nostis Servum Dei P. Leonardum Lessium confessum esse aspectum illius angelici F. Bertrandi Cornely stimulum sibi praecipuum fuisse ut Societati nomen daret ([67]).

Nec solum exemplo, sed piis etiam colloquiis possunt Fratres Coadiutores, sive famulos, qui forte domi ministrant, sive pueros, qui sanctae Missae in nostris Ecclesiis inserviunt, sive alios eiusmodi iuvenes, quibuscum ratione sui officii agere debent, ad pietatem adducere « et consilio ac exhortatione ad bona opera, praesertim ad Confessionem et frequentem Communionem excitare » ([68]); et si quos desiderium Societatem ingredien-

(63) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, pp. 313-316, 548-552; *Acta Rom.*, vol I, 1911, p. 139; vol. VII, 1934, p. 905.

(64) *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, p. 26 (d. 23, n. 2).

(65) Cf. *Const.*, P. X n. 1.

(66) *Const.*, P. VII c. 4 n. 2.

(67) Cf. GUILHERMY, *Ménologe, Germ.*, s. II, vol. 1, p. 6.

(68) Reg. Com., 40; Reg. Coad., 14.

di habere invenerint, eos ad aliquem Patrem dirigere. Hoc modo legimus Fratrem illum Melchiorem Bañares iuvenes amplius quinquaginta in varios Religiosos Ordines immisisse (69).

Patribus autem maior datur opportunitas exercendi hoc ministerium, quod P. Natalis ait esse praestantissimum omnium operum, quae ex instituto Societatis nobis sunt procuranda (70). Quibusdam enim continuus fere est usus et consuetudo cum iuvenibus et adolescentibus, sive in varii generis scholis, in quibus semper inveniuntur animae purae, piae, ingenuae; sive in consociationibus et operibus iuvenilibus, maxime vero in Congregationibus Marianis, in quibus materna cura Reginae Societatis Iesu optimae ubique semper pullularunt vocationes. Hi si quem iuvenem inveniant ad hunc gradum Societatis idoneum, postquam rem Deo enixe commendaverint, curent primum in eius animo rerum spiritualium amorem, humanarum fastidium, periculorum vitae saecularis timorem, inserere; dein, opportuno tempore et debita prudentia, nota ei faciant Societatis historiam, Institutum, Sanctos, gradum praesertim Coadiutoris temporalis et ea quae Fratres nostri pro gloria Dei in Provinciis atque in Missionibus perficiunt (71). His enim mediis uti solet divina Providentia, ut suos ad se vocet.

Alii Patres Exercitiis spiritualibus tradendis praecipue dant operam; iam vero, quamquam « tradens Exercitia non debet alterum impellere... ad hoc potius quam ad illud institutum vitae » (72), cotidiana tamen experientia et ipsius S. P. Ignatii vita nos docent hoc Exercitiorum tempore plurimos eosque optimos iuvenes divini Magistri invitationem percepisse, praesertim cum tota christianae perfectionis doctrina eis tradita sit.

Missionarii quoque, qui populares dicuntur, iuvenes pios, altioris perfectionis cupidos, semper inveniunt, quos verbum unum, liber commodatus, folium missionale, cursum vitae ad statum religiosum dirigere possunt. Si autem, ut fere accidit, illi in loco ad breve tempus commorentur, quaerere eis licet Parochorum operam ad hoc vocationum ministerium, quod maxime utile est ad ipsius Paroeciae vitam christianam alendam. Quare

---

(69) Cf. Cordara, *Hist. Soc. Iesu*, P. VI, l. 16, n. 389.
(70) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 313.
(71) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 313 ss.; *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 141.
(72) Annot. 15.

non omittant occasione data modum vivendi Fratrum Coadiutorum eis exponere librum aliquem de hac re ipsis legendum relinquere, libellos seu folia aliis distribuenda tradere.

Scriptores quoque haud sane pauca his vocationibus fovendis afferent, qui sive articulis in foliis periodicis scriptis, sive libris eo consilio editis, huius gradus Societatis condicionem atque praestantiam nota faciant, et exempla virtutum nostrorum Fratrum eorumque opera in Missionibus enarrent (73).

Ad haec, non sine fructu in aliquibus iam Provinciis Pater designatus est, qui calamo, conferentiis, colloquiis, visitationibus, his vocationibus fovendis in primis det operam (74).

Quodsi nihilominus eae sint fortasse temporum locorumque condiciones, quibus vocationes ad hunc gradum inter adultos difficile inveniantur; videant Superiores num sit opportunum pueros bonae indolis atque ex familiis vere christianis ortum ducentes in unum congregare, qui, ea fere ratione qua in aliquibus iam Provinciis pro Scholasticorum vocationibus factum est, praeter institutionem religiosam et quandam educationem generalem, technicam quoque formationem, eorum captui et futuro gradui accommodatam, accipiant, et ad hanc vitam in Societate agendam praeparentur. Quod quidem utilius locum habere potest in praeparandis Coadiutorum vocationibus ad Missiones exteras et praesertim in ipsis locis Missionum.

Videtis, Patres Fratresque carissimi, quot quantaque media ad excitandas Fratrum Coadiutorum vocationes divina Providentia vobis offerat, quae strictim tantum percurrere licuit.

7. — Neminem tamen fugit non satis esse vocationes fovere, sed necessarium esse eas diligenter seligere. Quae quidem selectio, si in candidatis Scholasticis requiritur et a S. P. Ignatio tam enixe commendatur, non minus habenda est in iis qui in gradum Coadiutorum admitti postulant. Quare attente considerent Examinatores et ii, qui facultatem habent admittendi, illam veram Coadiutoris temporalis imaginem, quam S. P. Ignatius in Parte I Constitutionum tam apte describit (75); et in iudicio de admittendis ferendo oculos ab ea numquam avertant. In primis autem videant utrum candidati, praeter rectitudinem con-

(73) Cf. *Memorabilia*, vol. I, pp. 104-105, 376.

(74) Cf. *Memorabilia*, vol. VI, pp. 204-206.

(75) Cf. *Const.*, P. I c. 2 nn. 1-4.

scientiae, praediti sint ingenio docili, tractabili, oboedienti, et pia quadam intentione serviendi Deo in omnibus ministeriis inferioribus et humilibus (76); eiusmodi enim viros, ut verbis P. Vitelleschi utar, « ad religionem crediderim peridoneos, etsi ad obeunda negotia non admodum alacres videantur...; tunc enim sedulo quis munus suum explet, cum spiritu agitur ac bene animatus affectusque est ad id quod iubetur, cum denique ex caritate propter Deum labores suscipit » (77). Tamen non adeo rudis ingenii sint oportet, ut inutiles Societati futuri esse videantur (78), vel etiam inhabiles ad naturam ipsam et vim vitae religiosae et christianae perfectionis animo solide percipiendam (79).

Nec excludendi sunt ab hoc gradu qui, aliis dotibus doctrinae et fortunae ornati, nolunt aut non possunt Scholastici cooptari, sed humili Coadiutoris gradu Deo servire praeferunt, in exemplum Illius qui, cum esset Rex regum et Dominus dominantium, per triginta annos servilibus ministeriis operam dedit (80). Hi quidem, nostris praesertim temporibus, admodum utiles Societati esse possunt. Prudenter tamen antiqua Instructio VI observabat in eiusmodi viris ad hunc gradum admittendis cautiores atque severiores nos esse oportere (81).

III. - De Fratrum Coadiutorum institutione.

8. — Huic labori colligendi candidatos eosque accurate seligendi, diligens institutio admissorum addenda est, sine qua omnes nostri priores conatus atque consilia frustra essent.

Duplex autem haec institutio dici potest: spiritualis altera, altera quam technicam appellare licet.

Primum enim et maxime necessarium est ut omnes, qui nostrorum Fratrum curam suscipiunt, sentiant obligationem qua

(76) Cf. *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 73.

(77) Epistola « de cura Fratrum Coadiutorum Superioribus habenda »: *Epist. select.*, p. 90.

(78) Cf. *Const.*, P. I c. 2 nn. 3-4.

(79) Cf. *Institutum Soc. Iesu*, Instructio VI n. 4 (edit. Florent., vol. III, p. 353 sq.).

(80) Cf. *Exam.*, c. 6, nn. 1, 3; Epit., n. 41.

(81) Cf. *Institutum Soc. Iesu*, Instructio VI n. 4 (edit. Florent., vol. III, p. 353 sq.).

tenentur eos ad perfectionem pro ratione status in quo sunt dirigere, ac vere spirituales viros efficere. Ut enim supra in memoriam revocavi, non sunt meri Societatis adiutores, sed sunt eiusdem membra, sunt religiosi, qui proinde tenentur « ad perfectionem sui status contendere » (82). « Atque hinc — ait P. Vitelleschi — hinc... oriri, hinc repeti debet quidquid utilitatis ex eorum opera Societas potest colligere; hinc fiet ut querimoniae deordinationesque penitus cessent, quae ex defectu spiritus et mortificationis nonnumquam profluunt » (83).

Haec vero spiritualis cura iam a *Postulatu* incipere debet. Quare ipso iure communi praecipitur, ut is peragatur « vel in domo Noviciatus vel in alia Religionis domo, in qua disciplina secundum Constitutiones accurate servetur » (84). Immo Exercitia spiritualia, quibus ante inceptum Noviciatum Postulantes vacare debent (85), in ipsa Noviciatus domo peragenda esse praescribitur (86).

Ubicumque autem hoc tempus praeparationis degant, Postulantes non ut boni quidam operarii, quibus omnia imponere licet etiam cum detrimento vocationis, sed ut veri Societatis candidati tractandi sunt; ac proinde committendi sollicitudini periti Patris ad id designati, qui eorum « curam spiritualem agat iisque iam elementarem aliquam informationem tradat in via spirituali et nominatim in modo orandi » (87). Immo sapienter praescribitur ut, praeter hunc Patrem, habeant quoque probatum quendam Fratrem Coadiutorem, a quo in addiscendis religiosae vitae usibus ac nostro modo procedendi quasi manu ducantur (88).

Postulatus autem non impedit quominus candidati quoque Coadiutores *primam probationem* agant (89), ut « de iis quae pertinent ad Societatem illi certiores reddantur, et Societas eosdem

(82) C. I. C., can. 593; cf. Pius XI « *Unigenitus Dei Filius* », A. A. S., vol. XVI, p. 146.

(83) Epistola « de cura Fratrum Coadiutorum Superioribus habenda »: *Epist. select.*, p. 90.

(84) C. I. C., can. 540, § 1.

(85) Cf. C. I. C., can. 541.

(86) Cf. Reg. Prov., 27.

(87) Reg. Man. Nov., 25; cf. Reg. Prov., 27.

(88) Cf. Reg. Mag. Nov., 25.

(89) Cf. Reg. Mag. Nov., 21.

plenius in Domino nostro cognoscat » (90). Hoc ergo tempore suam vocationem diligenter recognoscant « non quasi de illa dubitando, ut monet P. Natalis, sed illam confirmando et quaerendo unde illam confirment magis » (91).

Noviciatus, qui inclusa prima probatione per biennium durare debet, integer in ipsa Probationis Domo peragendus est; ita ut ne post finitum quidem annum canonicum, qui dicitur, possint Novicii Coadiutores ex ea educi sine Generalis facultate, « nisi ad tempus ut melius probentur » (92), et idcirco tantum ad modum exceptionis (93). Quare si, ratione habita boni spiritualis ipsius Novicii, non emolumenti domus ad quam mittatur, hoc modo educendus aliquis videatur, ob potiorem causam quam Postulantes, mittendus erit in domum « ubi strictior viget disciplina », ibique — ut ex Instructione VI commendabat P. Wernz — in officiis interioribus domus et sub alterius Fratris directione occupandus, non autem in iis officiis in quibus cum externis frequenter agere debeat; atque speciali providentiae Superioris et Patris Spiritualis committendus (94).

Necessarium non est quidquam addere de modo Novicios Coadiutores spiritualiter informandi, cum id in Regulis Magistri Noviciorum satis explicetur. Peculiari autem diligentia haec duo Magistro curanda sunt: primum ut non solum in Exercitiis spiritualibus, quae per mensem a Noviciis quoque Coadiutoribus peragenda sunt et utiliter, quod ad reformationem vitae atque instructiones spectat, eis seorsim a Scholasticis traderentur (95); sed reliquo etiam Noviciatus tempore, illos in via orationis instruat atque ad familiaritatem cum Deo quasi manu adducat, donec — ut ait P. Natalis — « fructum sentiant spiritus et ipsi per se commode orationem gubernent suam » (96). « O quanta... sanctimonia — exclamat ad haec verba P. Wernz — in nostris Fratribus cito elucebit, si vel hoc unum bene edoceantur et ad-

---

(90) *Const.*, P. I c. 4 n. 1.

(91) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, pp. 471-472.

(92) *Coll. Decr.*, d. 38, § 3.

(93) Cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, p. 377; R. P. P. Beckx, Epistola « de admittendorum delectu rectaque admissorum institutione »: *Epist. select.*, p. 150.

(94) Cf. *Act. Rom.*, vol. I, 1911, p. 73.

(95) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 452.

(96) *Mon. Nadal*, ib.

discant! » ([97]). Alterum est ut in propria vocatione secundum eorum captum plene instituantur ([98]) probeque intelligant se ad ministeria omnia inferiora et humiliora destinari ([99]); ea amore prosequantur, et sorte Marthae contenti, magnum illum fructum percipere discant, quem ex eis atque ex sublimi humilitate sui status percipere possunt, si « spiritualiter faciant illa exercitia in Christo et gratia suae vocationis » ([100]).

Ne omittatur praeterea Novicios Coadiutores « ad externam ac religiosam urbanitatem et decentem modum cum hominibus agendi » ([101]) diligenter informare; munditiem, quae in eorum Regulis singulari ratione commendatur ([102]), edocere; et curare ut « consuetudinem sibi asciscant omnia nitide, ex ordine, commode, in aedibus, in templis, in officinis, perenniter conservandi » ([103]).

Ad haec omnia munia obeunda accidere poterit ut Magister Noviciorum sufficere nequeat; quare in Provinciis, ubi numerus Noviciorum id requirere videatur, curet Provincialis, vel eiusmodi Socium Magistro praebere, cui hic possit specialem curam Noviciorum Coadiutorum et Postulantium committere, vel, si opus sit, alterum Socium designare, qui, subordinatus quidem Magistro et sub eius ductu, peculiari ratione de horum Fratrum institutione provideat.

Expleto biennio Noviciatus votisque emissis, ne putetur statim Coadiutores esse e Domo Probationis educendos et in Collegia vel Residentias mittendos. Scimus quidem quam prodigus fuerit S. P. Ignatius in annis formationi Nostrorum impendendis, et quo modo in hac longa praeparatione, in « diuturnis et diligentissimis probationibus » magna ex parte statuerit vim ac praesidium adversus difficultates et pericula, quae nostrae vitae rationem annexa habere noverat ([104]). Et videmus profecto quan-

---

([97]) *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 76.

([98]) Cf. Reg. Mag. Nov., 21.

([99]) Cf. *Exam.*, c. 6, n. 3.

([100]) *Mon. Nadal,* vol. IV, p. 453.

([101]) Epit. n. 154, 3°; cf. *Institutum Soc. Iesu,* Instruct. VI n. 4 (edit. Florent., vol. III, p. 354); *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 74.

([102]) Cf. Reg. Coad., 11.

([103]) *Acta Rom.*, vol. III, 1919, p. 155.

([104]) Cf. Iulius III, « *Exposcit debitum* », Formula Inst., n. 9.

to temporis spatio et quot curis virtus nostrorum Scholasticorum confirmetur ac solidetur; ut sperare vix possimus Fratres Coadiutores duobus vel tribus annis eam animi fortitudinem acquisituros, qua possint pericula et tentationes, quibus in variis eorum officiis facile exponentur, nisi extraordinario gratiae auxilio, superare.

Ne properemus igitur eos, praesertim si iuniores sint, e Domo Probationis educere; si tamen necessitas sit eos in aliam domum mittendi, praescriptum servetur ut « post absolutum Noviciatus biennium, per alterum saltem biennium collocentur in domo, ubi facilius iuvari possint in spiritu, et officio minoribus periculis exposito applicentur » (105). Immo, cum eatenus in virtute profecerint ut tandem foras mitti tuto posse videantur, ut Assistentiae Americae scribebam, « ne constituantur in parvis Residentiis, in quibus sibimet relicti, munimine vitae communis et commercio cum aliis Fratribus orbati, mox in eum statum deveniant, quo vix sortem boni et pii laici superare videantur » (106). Destinentur potius ad Domos Professas, Domos formationis, Collegia, ubi non modo maior Nostrorum numerus eis permittet et Exercitia pietatis debito tempore atque ordine peragere, et officiis occupari in quibus minus commercium cum externis habeant; verum etiam in ordinato vitae cursu Fratrum seniorum inclusi quodammodo inveniantur. Hoc enim semper curandum est, in illis etiam Provinciis ubi Fratres pauci admodum adhuc sunt: ne soli et dispersi per varias Provinciae domos mittantur, sed manipuli quidam eorum efformentur, ut plures coniuncti sese adiuvent atque ad virtutem et perfectionem cohortentur.

Non faciunt Coadiutores temporales *tertiam probationem*, quam S. P. Ignatius solis Scholasticis praescripsit (107), eo quod « ex illa... assidua contentione, quae per aliquot annos in excolendo per studia intellectu ponenda est, humilitatis ac devotionis fervor intepescere soleat » (108). Tamen, ut Coadiutoribus quoque copia fiat animum ante ultima vota, si forte tepuerit, refovendi, iubetur in Epitome ut « saltem per mensem mittantur ad ali-

(105) Epit., n. 167, § 1.

(106) *Acta Rom.*, vol. VIII, 1936, p. 590.

(107) Cf. *Exam.*, c. 1 n. 12; c. 6 n. 8; *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, p. 686.

(108) *Institutum Soc. Iesu*, Ordinationes, c. III, Pro iis qui tertium annum agunt probationis, n. 2 (edit. Florent., vol. III, p. 265).

quod Seminarium Nostrorum, quo maiore recollectione se ad gradum praeparent » ([109]). Id ergo Provinciales sedulo observare studeant, atque adeo maius temporis spatium concedere ne cunctentur, si in casibus singulis opportunum esse sibi videatur ([110]). Hoc autem mense Fratres a sollicitudinibus suorum officiorum aliquantum quiescant oportet, « ut animum foveant, aliquo orationis tempore praeter consuetum concesso; de suis defectibus moneantur, et modos quibus eos emendare possunt secum statuant; Regulas attentius legant et considerent; saepius cum Superiore vel Praefecto spiritus colloquantur; remque totam spiritualibus Exercitiis S. P. Ignatii claudant » ([111]).

Locus magis conveniens ubi ultima vota emittenda sunt, generatim erit ipsum Collegium vel Seminarium Nostrorum, in quo mensem praeparationis Fratres egerunt, praesertim si longum iter faciendum eis esset, ut in suam domum reverterentur; sed fortasse quandoque videbitur Provinciali praeferenda esse domus, ad quam Frater pertinet, ut votorum emissio et ad solatium communitatis et ad externorum aedificationem conferat.

At, quod caput est in hac spirituali institutione, ad ea quae diximus addi debet paterna Superiorum localium sollicitudo, ut bonum semen virtutum in Noviciatu exceptum non destruatur, sed germinet, adolescat et fructum plurimum ferat. Persuasum sibi habeant Superiores hanc curam domesticorum, et nominatim Fratrum Coadiutorum, praecipuam esse in munere sibi commisso, cui apostolicus eorum zelus in primis adhibendus est. Quamobrem, non solum Societas, cum saepe alias ([112]), tum nuper in Congregatione Generali XXVIII ([113]), verum etiam ipse Summus Pontifex Pius XI, in Epistola Apostolica ad Summos Moderatores Ordinum Regularium anno 1924 data, Superioribus singulari ratione commendavit, ne Fratres conversi, seu Coadiutores, spiritualibus subsidiis careant « quibus ad proficiendum perseverandumque indigent, iisdemque eo fortasse maioribus,

([109]) Epit., n. 167, § 2.

([110]) Cf. *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 74.

([111]) *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 75.

([112]) Cf. *Coll. Decr.*, d. 45: ex Congr. Gen. XVIII, d. 22, n. 7; Congr. Gen. XXII, d. 44, n. 6; Cong. Gen. XXIV, d. 20, n. 2; et cf. *Institutum Soc. Iesu*, Instructio VIII, n. 1 (edit. Florent., vol. III, p. 355).

([113]) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, p. 26 (d. 23, n. 3).

quo humiliore ii condicione sunt humilioribusque funguntur ministeriis » ([114]). Ne ergo satis se fecisse credant Superiores si Praefecto spiritus carissimos Fratres Coadiutores concrediderint; ipsi quoque eos alloquantur tam publice omnesque simul interdum, quam singulos in privato colloquio, in quo non solum de domesticis rebus agant, sed etiam de rebus spiritualibus, moestos solentur, omnesque Deo artius in dies obstringere studeant ([115]). Intersint quoque aliquando eorum relaxationibus eisque enarrent quae per universam Societatem ad Dei gloriam fiunt ([116]). Sentiant denique Fratres se in Superiore verum Patrem habere, qui, ut par est, de spirituali singulorum profectu est in primis sollicitus.

Ad haec, curare debent — sicut Congregatio Generalis XXVIII etiam commendavit — « ne quid iis desit ex illis perseverantiae et sanctificationis mediis, quae Institutum praevidet » ([117]). Itaque provideant ut eis « cotidie puncta meditationis matutinae breviter tradantur » ([118]); copia detur recollectionem menstruam tranquille peragendi ([119]); praesto sint libri meditationum, aliique libri spirituales eorum gradui accommodati ([120]); praebeatur christianae catechesis instructio, audientium condicioni aptata, quae ipso iure communi praescribitur ([121]), necnon ut ab ipsis Superioribus interdum fiat commendat Epitome ([122]). Quin etiam, optimo consilio agerent Superiores, qui, habita temporum locorumque ratione, Exercitia spiritualia annua — sicut

---

(114) Pius XI, « *Unigenitus Dei Filius* »: A. A. S., vol. XVI, 1924, pp. 146-147.

(115) Cf. *Coll. Decr.*, d. 45; Epit. n. 169, § 3; *Institutum Soc. Iesu,* Instruct, VIII, n. 1; Vitelleschi, « De cura FF. Coadiutorum »: *Epist. select.*, p. 91; Anderledy, « De reptenda... SS. Petri, Ioannis et Alfonsi... memoria »: *Epist. PP. Gen.*, vol. IV, p. 131; *Acta Rom.*, vol. II, 1917, p. 391.

(116) Cf. *Acta Rom.*, vol. II, 1917, p. 391-392; Institutum Soc. Iesu, Instruct. VIII, n. 1 (edit. Florent., vol. III, p. 355).

(117) *Act. Rom.*, vol. IX, p. 26 (d. 23, n. 3).

(118) *Coll. Decr.*, d. 46.

(119) Cf. Epit. n. 191; *Acta Rom.*, vol. VII, 1934, pp. 851-852.

(120) Cf. Epit., n. 169, § 2; Reg. Coad., 15; *Mon. Nadal,* vol. IV, p. 453.

(121) Cf. C. I. C., can. 509, § 2, 2°.

(122) Cf. Epit., n. 169, § 3.

decessor meus P. Wernz non semel commendaverat ([123]) et ipse alias commendavi ([124]) — Fratribus Coadiutoribus separatim a ceteris Nostris tradi curarent, quo melius eorum captui et condicioni accommodentur.

Sed ante omnia sigulari studio curandum Superioribus est ut, etiam in parvis Residentiis, Fratres omnes possint integram horam matutinae meditationi tranquille impendere, nec regulariter per totum tempus orationi assignatum vel per maximam eius partem Missis inserviendis occupentur. Scimus enim meditationem rite peractam etiam FF. Coadiutores, non solum ad conservandum primum fervorem multum iuvare, sed etiam ad sublimiores gratias a Deo accipiendas disponere ([125]).

Praeterea vos minime latet Fratribus Coadiutoribus, non minus quam Patribus, nimios labores impedimento esse quominus viri spirituales evadant. Curent ergo Superiores de illa moderatione a S. P. Ignatio tantopere commendata ([126]), quae, etiam ubi Fratres pauci sint, facultatem eis concedat Exercitia pietatis commode peragendi, immo — ut suadet P. Natalis ([127]) — orationi plus temporis vacandi, si per occupationes externas spiritus debilitari videretur.

Ad hanc paternam Superioris sollicitudinem operam suam conferre debet Praefectus spiritus, « ex optimis eligendus » ([128]), quippe cui primum omnium ministeriorum in domo committendum sit ([129]). Ille diligentiore etiam sedulitate officio suo cum Fratribus Coadiutoribus, praesertim iunioribus, fungatur ([130]), praescripta de colloquio menstruo studiose observet ([131]), singulos ut in devotione et perfectione semper proficiant hortetur ([132]),

---

([123]) Cf. *Acta Rom.*, vol. I, 1911, pp. 74, 149 (12 martii).

([124]) Cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, p. 172-173.

([125]) Cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, pp. 378-379.

([126]) Cf. *Const.*, P. III c. 2 nn. 4-5, F; P. X n. 10; *Mon. Ign.*, ser. I, vol. VI, p. 629; ser. IV, vol. I, pp. 166, 491; *Epist. mixtae*, vol. IV, p. 279.

([127]) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 334, et vide p. 319.

([128]) *Coll. Decr.*, d. 283.

([129]) Cf. Reg. Praef. rerum spir., 1.

([130]) Cf. Reg. Praef. rerum spir., 10.

([131]) Cf. *Coll. Decr.*, d. 283; Reg. Praef. rereum spir., 8.

([132]) Cf. Reg. Praef. rerum spir., 10; P. Vitelleschi, « De cura FF. Coadiutorum »: *Epist. select.*, pp. 90-91.

eosque praesertim ad bene orandum adiuvet ([133]), iter illis aperiens « ad illum modum orationis sibi eligendum qui magis unicuique conveniat » ([134]).

9. — Venio nunc ad institutionem quam technicam diximus, seu instructionem Fratrum Coadiutorum ad sua officia sollerter obeunda. Quae, licet secundo loco habenda sit, tamen omni cura comparari debet; ea enim et Societati utiliorem reddit Fratrum operam, et Fratribus ipsis, stabilius — ut volebat S. P. Ignatius ([135]) — in arte sibi cognita perseverantibus, laborem efficit faciliorem, animum alacriorem, intentionem mentis ad singula diligentiorem, atque adeo non parum confert ad tranquillitatem spiritus et ad stabilitatem vocationis; nec raro ad ipsas vocationes alliciendas iuvat. Quare S. P. Ignatius sapienter praescripsit « ut huiusmodi officia Coadiutores temporales, si ea ignorent, addiscant » ([136]) et ad ea explenda idonei evadant ([137]).

Omnes igitur Fratres ad consueta officia domestica obeunda rite instituantur, quod tempore Postulatus et Noviciatus optime fieri potest. Sed praeterea sunt alia officia, ut infirmarii, sartoris, fabri, quae accuratiorem formationem postulant. Immo aliqui Fratres, secundum talenta a Deo eis data et necessitates Provinciae, ad superiores etiam artes peculiari ratione informentur oportet. Neque opponere licet esse contra spiritum Societatis aliquos Fratres Coadiutores ad haec officia paratos admittere vel admissos diligenter parare. Profecto, ipse S. P. Ignatius in Examine aperte asserit, quamquam eorum magis proprium sit in ministeriis inferioribus et humilibus exerceri, posse tamen « in rebus maioribus, pro talenti eis a Domino concessi ratione, occupari » ([138]). Quare Congregatio Generalis XX declaravit Coadiutorum operam adhiberi posse ad docendos pueros legere et scribere, necnon picturam vel delineationem ([139]); et ex ipsorum Regulis constat Provinciali licere facultatem dare ut

([133]) Cf. Reg. Praef. rerum spir., 10.
([134]) *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, p. 378.
([135]) Cf. *Const.*, P. IV c. 10, E.
([136]) *Const.*, P. III c. 2 n. 7.
([137]) Cf. *Const.*, P. IV c. 10 n. 6.
([138]) *Exam.*, c. 6, n. 3.
([139]) C. G. XX, decr. 22; cf. *Coll. Decr.*, d. 143; *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 531.

plus litterarum addiscant, quam sciebant in ingressu ([140]). Quod quidem confirmatur usu ipso et historia Societatis totius: nam, ne quid dicam de S. Renato Goupil, qui in aegrotis ac feritis sanandis non solum Sancti caritatem, verum etiam periti chirurgi artem adhibebat, vel de B. Nicolao Owen, qui, latebris affabre construendis ad Sacerdotum refugia, sanctitatem et martyrium in Anglia assecutus est, vel iterum de B. Francisco Aranha, Martyre Salsettensi, qui templis vero Deo aedificandis meruit ut acerbior ac proinde gloriosior mors sibi ab infidelibus inferretur; quis ignorare potest operam nostrorum Fratrum, non solum in parvulis elementa docendis, non solum in domibus ecclesiisque nostris construendis, sed etiam in arte medicamentaria et medicinali, in qua eminuit ille Petrus Antonacci ([141]), scriptor magni operis de medicina in Missionibus, atque adeo in artibus quas ingenuas seu pulchras dicunt, quarum multi peritissimi evaserunt ut sua nomina memoriae tradiderint? Sic, ut quosdam tantum e notioribus recenseam, pictores Andreas Pozzo, Daniel Seghers, Iosephus Castiglione et Martinus Coronas. sculptores Ioannes Hörmann et Dominicus Beltrán, architecti Ioannes Petrus Huyssens et Stephanus Martellange, aliique non pauci, quorum artificiosa opera templa nostra ornant, vitam exemplaque Sanctorum illustrant, magno saepe adiumento Societati in suis ministeriis fuerunt.

Neque timendum est, ne haec uberior institutio technica occasionem praebeat Fratribus Coadiutoribus aut vocatione periclitandi, aut saltem indifferentiae ad varia officia domestica, quae omnibus Nostris maxime necessaria est, labefactandae, et quendam sensum superbiae atque independentiae admittendi. Si enim institutio spiritualis ea cura, quam paulo superius descripsimus, tradita eis fuerit, tam alta possunt vitae spiritualis fundamenta iacere, ut Deum tantum suis operibus quaerant, « omnia ad maiorem gloriam Dei Creatoris et Domini nostri semper dirigendo » ([142]), et non solum muneribus maioribus relictis humiliora libenter amplectantur, verum etiam promptius

([140]) Cf. Reg. Coad., 15.

([141]) Infirmarius et Pharmacopola prius in Pont. Collegio Urbano de Propaganda Fide, dein in Collegio Romano (†1874): cf. SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la C. d. J.*, vol. I, pp. 427 sqq.

([142]) *Const.*, P. III c. 2 n. 7.

ea suscipiant a quibus sensus magis abhorret [143]. Quod enim exspectamus a Patribus, qui studiis specialibus instruuntur et titulis academicis in Universitatibus civilibus donantur, id eodem iure a Fratribus Coadiutoribus exspectare licebit. Duo tantum anni expleti sunt, ex quo Frater ille Saturninus Aguirrebeña e vita discessit, qui, cum esset optimus ludimagister et praefectus disciplinae in Collegio Colombiano Pastensi, ut luctus discipulorum ob ipsius mortem satis demonstrat, exemplar Fratrum Coadiutorum simul fuisse dicitur, « serviendi studiosus, caritate fervens, vinculum pacis inter omnes nectens, oboediens ac diligens in omnibus sibi praescriptis » [144]. Et tempore S. P. Ignatii videmus illos duos fratres architectos, Laurentium et Ioannem Tristano, quorum alterum quidem tanti faciebat S. Pater Noster, ut diceret, si alius fructus e Collegio Ferrariensi perceptus non esset, minime esse paenitendum, ob aedificationem cui omnibus ille fuit, « non minus exemplo vitae quam arte » [145]; ut alterum vero Societati lucraretur, non dubitavit inter alia media ad ieiunia recurrere [146]. Ceterum, neminem latet ad eiusmodi officia praeparare non oportere nisi viros delectos et in virtutibus religiosis solide probatos.

Quodsi methodum quaeritis in hac technica institutione sequendam, Congregatio Generalis XXVIII animadvertit, et in Regulis Magistri Noviciorum iam dicebatur [147], convenire ut iam inde a tempore Postulatus ea incipiat [148]. Quare Magister Noviciorum et eius Socius, vel qui peculiarem Postulantium curam habeat, re cum Rectore collata, et ratione habita condicionis ipsius Postulantis necnon necessitatum Provinciae, capto quoque quoad eius fieri poterit experimento, explorare debent ad quid natus aptusque quisque videatur; et eum, praesertim a secundo anno Noviciatus, ad illud officium obeundum destinare, in quo, duce Fratre aliquo veterano illius artis vere perito, insignis evadere possit. Eodem tamen tempore curandum est ut, maxime in

(143) Cf. *Exam.*, c. 4, n. 28.
(144) *Memorabilia,* 1940, Nov., p. 66.
(145) *Chron.*, vol. II, pp. 491-492.
(146) Cf. *Mon. Ignat.*, ser. I, vol. X, p. 47.
(147) Cf. Reg. Mag. Nov., 63.
(148) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, p. 26 (d. 23, n. 3).

primo anno Noviciatus, ad communia sui gradus officia, quae paulo superius significavimus, diligenter instituantur ([149]).

Patet hanc specialem institutionem technicam in Noviciatu plenam esse non posse, maxime quia Novicii Coadiutores « eatenus tantum fungi possunt officiis Fratrum Coadiutorum (non tamen ut primarii Officiales) quatenus ab exercitiis Noviciatus pro ipsis constitutis non praepediantur » ([150]). Quamobrem absoluto biennio Noviciatus illam perficiant oportet, ut et necessarium esse et spiritualis eorum progressus ferre Superioribus videatur. Concredantur ergo moderationi alicuius magistri vere periti, sive e Coadiutoribus veteranis, sive, iis deficientibus, e sodalibus quoque alterius Religionis, prouti non semel factum est ut unus e Fratribus nostris a Fratribus Hospitalariis S. Ioannis de Deo optimus infirmarius efficeretur. Immo etiam officiales saeculares asciscere fas erit, vel eorum officinas adire, ut, debitis adhibitis cautelis, Fratres Coadiutores ab eis discant quae secus discere non possent ([151]).

Non omittant tandem Superiores iis Fratribus, qui alicuius artis periti evaserunt, illa media praestare, quibus artem suam magis magisque perficere eiusque progressus pernoscere possint.

* * *

Hoc modo, Reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, Societas habebit viros, quibus cum et virtutibus religiosis vigeant et suis officiis sint vere versati, confidenter possit committere res omnes suas temporales atque adeo valetudinem et vitam suorum filiorum; viros, qui exemplo vitae sint bonus odor Christi, et suis meritis suisque precibus efficiant, ut Deus sacris Nostrorum ministeriis abunde benedicat, ad sui sancti Nominis gloriam et salutem animarum.

Omnium vestrum precibus et ss. SS. me enixe commendo.

Romae, die festo Visitationis B. M. V.
2 iulii 1942.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

---

(149) Cf. Reg. Mag. Nov., 63.
(150) Reg. Mag. Nov., 60; cf. C. I. C., can. 565, § 3.
(151) Cf. *Acta Rom.*, vol. III, 1919, pp. 154-155.

SYNOPSIS TOTIUS EPISTOLAE

59. **15 augusti 1942.**

Notanda ad tertiam editionem Epitomes.

Cum secunda editio Epitomes Instituti nostri penitus exhausta esset et tamen undique, crescente in dies Societate, eius exemplaria a nobis continenter expeterentur, iamdudum necesse erat novam parare editionem, quae nunc tandem Societati universae offertur, simul cum Constitutionibus S. P. N. Ignatii in unum volumen compacta.

Huius autem novitatis haec fuit ratio: Congregatio Generalis XXVII ipso suo decreto 8 quo Epitome Instituti promulganda edicebatur, Nostris inculcabat ut omnes, praeter Epitomen, etiam et praecipue quidem Constitutiones S. P. N. Ignatii ad manus haberent et probe intellegerent, quippe quae praecipua pars iuris nostri semper maneant et ipsam sancti Fundatoris mentem exprimant (Coll. d. 8 § 4). Ut haec Congregationis commendatio ad effectum deduci posset, anno 1937 nova facta est Constitutionum editio manualis. Sed cum in Congregatione Generali XXVIII postulato quodam, a Commissione de Postulatis ad Generalem remisso, desiderium expressum esset ut, ad maiorem mentis S. P. Ignatii cognitionem, textus ipse Constitutionum a textu Epitomes ne separaretur, Pater Noster opportunum duxit Constitutiones in unum volumen cum hac tertia editione Epitomes compingere.

Textus Constitutionum hic allatus refert versionem latinam, quam Congregatio Generalis IV approbavit, et vulgatam seu authenticam et officialem habendam esse decrevit, quamque editio manualis anni 1937, itemque editio critica in « Monumentis historicis S. I. » (Mon. Ignat., ser. III, vol. III, anno 1938) exprimunt.

Quod ad dispositionem typographicam attinet, visum est Declarationes non ipsi textui Examinis et Constitutionum inserere, sed eas ad calcem paginarum reicere. Ibidem, id est ad imas paginas, non in marginibus, propter angustum spatium, apponuntur loci paralleli Examinis et Constitutionum, atque etiam Decreta e Collectione Decretorum, quae ad rem pertinent, item annotationes ex editione manuali anni 1937 desumptae.

In hac tertia editione Epitomes, ad mentem Congregationis Generalis XXVII (Coll. d. 8 § 3), ratio habita est:

I. Recentiorum Sanctae Sedis actorum, et praesertim:

1) Constitutionis Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » 24 maii 1931, et Ordinationum S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad eandem Constitutionem rite exsequendam 12 iun. 1931 (AAS. 1931, p. 241 sqq.; Stat. p. 35 sqq.);

2) Instructionis S. Congreg. de Religiosis 1 dec. 1931 « De formatione clericali et religiosa alumnorum ad sacerdotium vocatorum deque scrutinio ante ordinum susceptionem peragendo » (AAS. 1932, p. 74 sqq.; AR. 1932, p. 5 sqq.);

3) Litterarum Apostolicarum « Paterna caritas » 12 mart. 1933, quibus Institutum Societatis Iesu denuo plenissime approbatur (AAS. 1933, p. 245 sq.; AR. 1933, p. 273 sqq.);

4) Recentiorum Responsorum Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos.

II. Decretorum Congregationis Generalis XXVIII (1938).

III. Variarum Ordinationum Praepositi Generalis.

Quod ad studia nostra superiora pertinet, a *Ratione studiorum* quam Pater Noster, eo modo quem Congregatio Generalis XXVIII (dd. 38 et 39) praescripserat confectam, recens cum tota Societate experimenti gratia communicavit, solum quaedam Epitomae Instituti inseri potuerunt. Quare pro studiis nostris standum erit praescriptis particularibus in Ratione Studiorum et in Statutis Facultatum theologiae et philosophiae in Collegiis Societatis Iesu erectarum contentis. Item pro administratione temporali servanda est Instructio a P. Generali anno 1935 data, quamquam non omnia particularia in ipsa Epitome repetuntur.

Annotationes ad imas paginas, orthographia, ac praesertim index alphabeticus unicus ad locos tam Constitutionum quam Epitomes reiciens, novis curis recognita sunt.

Romae, die 15 augusti 1942.

LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

12 septembris 1942.

Communicantur Lectiones retractatae II Nocturni in festo B. M. V. a Strata, Lectiones contractae in Proprio S. I., Officium et Missa « Reginae Societatis Iesu ».

Ad OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Cum nonnulli Nostri historiae cultores, accedente quoque ante aliquot annos unius Provinciae postulato, exoptassent ut lectiones II Nocturni in festo B. Mariae Virginis a Strata ad normam recentiorum investigationum historicarum accuratius redigerentur, id efficiendum curavit Pater Noster et novas lectiones Sacrae Rituum Congregationi proposuit, quae Rescripto diei 11 iulii eas approbavit (1).

Foliola vero singulis Patribus distribuenda mox ad Provincias mittentur simul cum Officio et Missa Reginae Societatis Iesu, de qua nuper ad universam Societatem scripsit Pater Noster (2).

Ad Rm. Vm. autem mittuntur duo exemplaria libelli nuper editi, quo continentur « Lectiones contractae pro festis in Proprio S. I. contentis aliquando vel alicubi ad modum Simplicis recolendis ». Cum enim iamdiu huiusmodi Lectiones contractae a Nostris expeterentur, nunc tandem redigi potuerunt et a Sacra Rituum Congregatione die 22 maii approbatae sunt (3), ut habetur in Rescripto quod eidem libello praemittitur. Hae Lectiones in novas editiones Proprii S. I. inserentur; interea communicantur ad notitiam. Velit R. V. unum exemplar huius libelli Redactori Kalendarii Provinciae tradere, quem etiam de aliis mutationibus liturgicis supra indicatis iam nunc certiorem facere ne omittat.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 12 septembris 1942.

R.ae. V.ae Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

---

(1) V. supra, pag. 348.
(2) V. supra, pag. 351.
(3) V. supra, pag. 318.

Quodsi causas huius lugendae penuriae quaeramus, praecipua quidem petenda est ex illo spiritu mundano, de quo supra mentionem feci, qui his temporibus, magis fortasse quam antea, inducit hominum animos, ut non modo non alliciantur ad vitam in Christo absconditam, verum etiam ab ea abhorreant.

Sed huic malo accedit ignoratio huius tam pulchrae ac meritoriae vocationis. Quot enim inveniuntur, inter opifices praesertim parvorum pagorum, iuvenes bene morati, pii, altioris perfectionis cupidi, qui prorsus nesciunt ubi possint haec vota, quibus vocatio divina significatur, in effectum adducere! Quot qui, cum vitam totam Deo in salutem infidelium sacrificare desiderent, numquam audierunt splendida opera quae nostri Fratres in Missionibus perficiunt! Quid? si ne ipsi quidem Sacerdotes et Parochi, qui illos iuvenes docere debent, saepe cognoscant eiusmodi vitae modum in Societate inveniri?

Et hic necessarium existimo falsam nonnullorum opinionem refellere, qui dicunt in numero candidatorum multiplicando nihil nobis agendum esse, cum vocatio sit donum Spiritus Sancti, qui « ubi vult spirat » ([60]). Verum quidem est vocationem esse donum divinae Bonitatis, ob quam numquam Ei satis grati esse possumus; at Dei Providentia ministerio hominum uti solet. Quare nostrum est, debita quidem prudentia, non solum nascentem vocationem colere et tueri, sed etiam, ubi aptam terram invenerimus, desiderium vitae perfectae inserere. Ipse S. P. Ignatius haec diserte nos docuit in Constitutionibus, cum ait par esse « sollicite cooperari motioni ac vocationi divinae, curando ut augeatur in Societate numerus operariorum vineae Christi Domini nostri » ([61]); quod iam in libro Exercitiorum dixerat: « extra Exercitia licitum est et pro merito ducendum, si quis caelibatum, religionem et aliam quamcumque evangelicam perfectionem amplecti suadeat iis omnibus quos ex personarum et condicionum ratione probabile sit fore idoneos » ([62]). Et iam a primis ipsis temporibus, quibus idem S. Pater noster S. Franciscum Xaverium aliosque primos Patres ad Christi militiam ad-

---

Pro portione Sociorum: an. 1937=20,6%; an. 1938=20,1% an. 1939=19,8%; an. 1940=19,7%.

([60]) Io., III, 8.

([61]) *Const.*, P. I c. 1 C.

([62]) Cf. Annot. 15.

duxit, semper usa est Societas illa, quam P. Natalis « piscationem » appellat, et ad quam accuratas et prudentissimas normas scriptis mandavit ([63]).

Omnes ergo Patres Fratresque carissimos magnopere hortor ut cum Superioribus in hoc tam praeclaro opere conspirent, et, secundum proximae Congregationis Generalis commendationem, « considerantes quanta sit in conspectu Dei illius status vitae praestantia, omnes promovendis Fratrum vocationibus pro viribus adlaborent » ([64]). Velint singuli Societatem hoc tam pretioso auxilio amanter recreare, proximos hac tam perfecta vita ad sanctitatem consequendam iuvare, Christo Regi ac Duci nostro socios ac milites comparare.

6. — Quodsi hunc pulcherrimum apostolatum suscipere volueritis, media quidem non deerunt. In eis autem, docente S. P. Ignatio, « primum medium et maxime consentaneum, orationum et Sacrificiorum » sit oportet; sine auxilio enim Eius per cuius gratiam Societas instituta est, frustra sperabimus fore ut ipsa conservetur et augeatur ([65]).

Humili et assiduae precationi accedat « bonum exemplum totius honestatis ac virtutis » ([66]), praesertim ipsorum Fratrum Coadiutorum. Spectaculum enim vitae laboriosae ac Dei servitio plene deditae, fulgor modestiae atque internae pacis, invitationes sunt omni verbo fortiores. Probe quidem nostis Servum Dei P. Leonardum Lessium confessum esse aspectum illius angelici F. Bertrandi Cornely stimulum sibi praecipuum fuisse ut Societati nomen daret ([67]).

Nec solum exemplo, sed piis etiam colloquiis possunt Fratres Coadiutores, sive famulos, qui forte domi ministrant, sive pueros, qui sanctae Missae in nostris Ecclesiis inserviunt, sive alios eiusmodi iuvenes, quibuscum ratione sui officii agere debent, ad pietatem adducere « et consilio ac exhortatione ad bona opera, praesertim ad Confessionem et frequentem Communionem excitare » ([68]); et si quos desiderium Societatem ingredien-

---

([63]) Cf. *Mon. Nadal.* vol. IV, pp. 313-316, 548-552; *Acta Rom.*, vol I, 1911, p. 139; vol. VII, 1934, p. 905.

([64]) *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, p. 26 (d. 23, n. 2).

([65]) Cf. *Const.*, P. X n. 1.

([66]) *Const.*, P. VII c. 4 n. 2.

([67]) Cf. GUILHERMY, *Ménologe, Germ.*, s. II, vol. 1, p. 6.

([68]) Reg. Com., 40; Reg. Coad., 14.

di habere invenerint, eos ad aliquem Patrem dirigere. Hoc modo legimus Fratrem illum Melchiorem Bañares iuvenes amplius quinquaginta in varios Religiosos Ordines immisisse ([69]).

Patribus autem maior datur opportunitas exercendi hoc ministerium, quod P. Natalis ait esse praestantissimum omnium operum, quae ex instituto Societatis nobis sunt procuranda ([70]). Quibusdam enim continuus fere est usus et consuetudo cum iuvenibus et adolescentibus, sive in varii generis scholis, in quibus semper inveniuntur animae purae, piae, ingenuae; sive in consociationibus et operibus iuvenilibus, maxime vero in Congregationibus Marianis, in quibus materna cura Reginae Societatis Iesu optimae ubique semper pullularunt vocationes. Hi si quem iuvenem inveniant ad hunc gradum Societatis idoneum, postquam rem Deo enixe commendaverint, curent primum in eius animo rerum spiritualium amorem, humanarum fastidium, periculorum vitae saecularis timorem, inserere; dein, opportuno tempore et debita prudentia, nota ei faciant Societatis historiam, Institutum, Sanctos, gradum praesertim Coadiutoris temporalis et ea quae Fratres nostri pro gloria Dei in Provinciis atque in Missionibus perficiunt ([71]). His enim mediis uti solet divina Providentia, ut suos ad se vocet.

Alii Patres Exercitiis spiritualibus tradendis praecipue dant operam; iam vero, quamquam « tradens Exercitia non debet alterum impellere... ad hoc potius quam ad illud institutum vitae » ([72]), cotidiana tamen experientia et ipsius S. P. Ignatii vita nos docent hoc Exercitiorum tempore plurimos eosque optimos iuvenes divini Magistri invitationem percepisse, praesertim cum tota christianae perfectionis doctrina eis tradita sit.

Missionarii quoque, qui populares dicuntur, iuvenes pios, altioris perfectionis cupidos, semper inveniunt, quos verbum unum, liber commodatus, folium missionale, cursum vitae ad statum religiosum dirigere possunt. Si autem, ut fere accidit, illi in loco ad breve tempus commorentur, quaerere eis licet Parochorum operam ad hoc vocationum ministerium, quod maxime utile est ad ipsius Paroeciae vitam christianam alendam. Quare

---

([69]) Cf. CORDARA, *Hist. Soc. Iesu*, P. VI, l. 16, n. 389.
([70]) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 313.
([71]) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 313 ss.; *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 141.
([72]) Annot. 15.

non omittant occasione data modum vivendi Fratrum Coadiutorum eis exponere librum aliquem de hac re ipsis legendum relinquere, libellos seu folia aliis distribuenda tradere.

Scriptores quoque haud sane pauca his vocationibus fovendis afferent, qui sive articulis in foliis periodicis scriptis, sive libris eo consilio editis, huius gradus Societatis condicionem atque praestantiam nota faciant, et exempla virtutum nostrorum Fratrum eorumque opera in Missionibus enarrent (73).

Ad haec, non sine fructu in aliquibus iam Provinciis Pater designatus est, qui calamo, conferentiis, colloquiis, visitationibus, his vocationibus fovendis in primis det operam (74).

Quodsi nihilominus eae sint fortasse temporum locorumque condiciones, quibus vocationes ad hunc gradum inter adultos difficile inveniantur; videant Superiores num sit opportunum pueros bonae indolis atque ex familiis vere christianis ortum ducentes in unum congregare, qui, ea fere ratione qua in aliquibus iam Provinciis pro Scholasticorum vocationibus factum est, praeter institutionem religiosam et quandam educationem generalem, technicam quoque formationem, eorum captui et futuro gradui accommodatam, accipiant, et ad hanc vitam in Societate agendam praeparentur. Quod quidem utilius locum habere potest in praeparandis Coadiutorum vocationibus ad Missiones exteras et praesertim in ipsis locis Missionum.

Videtis, Patres Fratresque carissimi, quot quantaque media ad excitandas Fratrum Coadiutorum vocationes divina Providentia vobis offerat, quae strictim tantum percurrere licuit.

7. — Neminem tamen fugit non satis esse vocationes fovere, sed necessarium esse eas diligenter seligere. Quae quidem selectio, si in candidatis Scholasticis requiritur et a S. P. Ignatio tam enixe commendatur, non minus habenda est in iis qui in gradum Coadiutorum admitti postulant. Quare attente considerent Examinatores et ii, qui facultatem habent admittendi, illam veram Coadiutoris temporalis imaginem, quam S. P. Ignatius in Parte I Constitutionum tam apte describit (75); et in iudicio de admittendis ferendo oculos ab ea numquam avertant. In primis autem videant utrum candidati, praeter rectitudinem con-

(73) Cf. *Memorabilia*, vol. I, pp. 104-105, 376.

(74) Cf. *Memorabilia*, vol. VI, pp. 204-206.

(75) Cf. *Const.*, P. I c. 2 nn. 1-4.

scientiae, praediti sint ingenio docili, tractabili, oboedienti, et pia quadam intentione serviendi Deo in omnibus ministeriis inferioribus et humilibus (76); eiusmodi enim viros, ut verbis P. Vitelleschi utar, « ad religionem crediderim peridoneos, etsi ad obeunda negotia non admodum alacres videantur...; tunc enim sedulo quis munus suum explet, cum spiritu agitur ac bene animatus affectusque est ad id quod iubetur, cum denique ex caritate propter Deum labores suscipit » (77). Tamen non adeo rudis ingenii sint oportet, ut inutiles Societati futuri esse videantur (78), vel etiam inhabiles ad naturam ipsam et vim vitae religiosae et christianae perfectionis animo solide percipiendam (79).

Nec excludendi sunt ab hoc gradu qui, aliis dotibus doctrinae et fortunae ornati, nolunt aut non possunt Scholastici cooptari, sed humili Coadiutoris gradu Deo servire praeferunt, in exemplum Illius qui, cum esset Rex regum et Dominus dominantium, per triginta annos servilibus ministeriis operam dedit (80). Hi quidem, nostris praesertim temporibus, admodum utiles Societati esse possunt. Prudenter tamen antiqua Instructio VI observabat in eiusmodi viris ad hunc gradum admittendis cautiores atque severiores nos esse oportere (81).

III. - De Fratrum Coadiutorum institutione.

8. — Huic labori colligendi candidatos eosque accurate seligendi, diligens institutio admissorum addenda est, sine qua omnes nostri priores conatus atque consilia frustra essent.

Duplex autem haec institutio dici potest: spiritualis altera, altera quam technicam appellare licet.

Primum enim et maxime necessarium est ut omnes, qui nostrorum Fratrum curam suscipiunt, sentiant obligationem qua

(76) Cf. *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 73.

(77) Epistola « de cura Fratrum Coadiutorum Superioribus habenda »: *Epist. select.*, p. 90.

(78) Cf. *Const.*, P. I c. 2 nn. 3-4.

(79) Cf. *Institutum Soc. Iesu*, Instructio VI n. 4 (edit. Florent., vol. III, p. 353 sq.).

(80) Cf. *Exam.*, c. 6, nn. 1, 3; Epit., n. 41.

(81) Cf. *Institutum Soc. Iesu*, Instructio VI n. 4 (edit. Florent., vol. III, p. 353 sq.).

tenentur eos ad perfectionem pro ratione status in quo sunt dirigere, ac vere spirituales viros efficere. Ut enim supra in memoriam revocavi, non sunt meri Societatis adiutores, sed sunt eiusdem membra, sunt religiosi, qui proinde tenentur « ad perfectionem sui status contendere » (82). « Atque hinc — ait P. Vitelleschi — hinc... oriri, hinc repeti debet quidquid utilitatis ex eorum opera Societas potest colligere; hinc fiet ut querimoniae deordinationesque penitus cessent, quae ex defectu spiritus et mortificationis nonnumquam profluunt » (83).

Haec vero spiritualis cura iam a *Postulatu* incipere debet. Quare ipso iure communi praecipitur, ut is peragatur « vel in domo Noviciatus vel in alia Religionis domo, in qua disciplina secundum Constitutiones accurate servetur » (84). Immo Exercitia spiritualia, quibus ante inceptum Noviciatum Postulantes vacare debent (85), in ipsa Noviciatus domo peragenda esse praescribitur (86).

Ubicumque autem hoc tempus praeparationis degant, Postulantes non ut boni quidam operarii, quibus omnia imponere licet etiam cum detrimento vocationis, sed ut veri Societatis candidati tractandi sunt; ac proinde committendi sollicitudini periti Patris ad id designati, qui eorum « curam spiritualem agat iisque iam elementarem aliquam informationem tradat in via spirituali et nominatim in modo orandi » (87). Immo sapienter praescribitur ut, praeter hunc Patrem, habeant quoque probatum quendam Fratrem Coadiutorem, a quo in addiscendis religiosae vitae usibus ac nostro modo procedendi quasi manu ducantur (88).

Postulatus autem non impedit quominus candidati quoque Coadiutores *primam probationem* agant (89), ut « de iis quae pertinent ad Societatem illi certiores reddantur, et Societas eosdem

---

(82) C. I. C., can. 593; cf. Pius XI « *Unigenitus Dei Filius* », A. A. S., vol. XVI, p. 146.

(83) Epistola « de cura Fratrum Coadiutorum Superioribus habenda »: *Epist. select.*, p. 90.

(84) C. I. C., can. 540, § 1.

(85) Cf. C. I. C., can. 541.

(86) Cf. Reg. Prov., 27.

(87) Reg. Man. Nov., 25; cf. Reg. Prov., 27.

(88) Cf. Reg. Mag. Nov., 25.

(89) Cf. Reg. Mag. Nov., 21.

plenius in Domino nostro cognoscat » (90). Hoc ergo tempore suam vocationem diligenter recognoscant « non quasi de illa dubitando, ut monet P. Natalis, sed illam confirmando et quaerendo unde illam confirment magis » (91).

Noviciatus, qui inclusa prima probatione per biennium durare debet, integer in ipsa Probationis Domo peragendus est; ita ut ne post finitum quidem annum canonicum, qui dicitur, possint Novicii Coadiutores ex ea educi sine Generalis facultate, « nisi ad tempus ut melius probentur » (92), et idcirco tantum ad modum exceptionis (93). Quare si, ratione habita boni spiritualis ipsius Novicii, non emolumenti domus ad quam mittatur, hoc modo educendus aliquis videatur, ob potiorem causam quam Postulantes, mittendus erit in domum « ubi strictior viget disciplina », ibique — ut ex Instructione VI commendabat P. Wernz — in officiis interioribus domus et sub alterius Fratris directione occupandus, non autem in iis officiis in quibus cum externis frequenter agere debeat; atque speciali providentiae Superioris et Patris Spiritualis committendus (94).

Necessarium non est quidquam addere de modo Novicios Coadiutores spiritualiter informandi, cum id in Regulis Magistri Noviciorum satis explicetur. Peculiari autem diligentia haec duo Magistro curanda sunt: primum ut non solum in Exercitiis spiritualibus, quae per mensem a Noviciis quoque Coadiutoribus peragenda sunt et utiliter, quod ad reformationem vitae atque instructiones spectat, eis seorsim a Scholasticis traderentur (95); sed reliquo etiam Noviciatus tempore, illos in via orationis instruat atque ad familiaritatem cum Deo quasi manu adducat, donec — ut ait P. Natalis — « fructum sentiant spiritus et ipsi per se commode orationem gubernent suam » (96). « O quanta... sanctimonia — exclamat ad haec verba P. Wernz — in nostris Fratribus cito elucebit, si vel hoc unum bene edoceantur et ad-

(90) *Const.,* P. I c. 4 n. 1.

(91) Cf. *Mon. Nadal,* vol. IV, pp. 471-472.

(92) *Coll. Decr.,* d. 38, § 3.

(93) Cf. *Acta Rom.,* vol. VIII, 1935, p. 377; R. P. P. Beckx, Epistola « de admittendorum delectu rectaque admissorum institutione »: *Epist. select.,* p. 150.

(94) Cf. *Act. Rom.,* vol. I, 1911, p. 73.

(95) Cf. *Mon. Nadal,* vol. IV, p. 452.

(96) *Mon. Nadal,* ib.

discant! » ([97]). Alterum est ut in propria vocatione secundum eorum captum plene instituantur ([98]) probeque intelligant se ad ministeria omnia inferiora et humiliora destinari ([99]); ea amore prosequantur, et sorte Marthae contenti, magnum illum fructum percipere discant, quem ex eis atque ex sublimi humilitate sui status percipere possunt, si « spiritualiter faciant illa exercitia in Christo et gratia suae vocationis » ([100]).

Ne omittatur praeterea Novicios Coadiutores « ad externam ac religiosam urbanitatem et decentem modum cum hominibus agendi » ([101]) diligenter informare; munditiem, quae in eorum Regulis singulari ratione commendatur ([102]), edocere; et curare ut « consuetudinem sibi asciscant omnia nitide, ex ordine, commode, in aedibus, in templis, in officinis, perenniter conservandi » ([103]).

Ad haec omnia munia obeunda accidere poterit ut Magister Noviciorum sufficere nequeat; quare in Provinciis, ubi numerus Noviciorum id requirere videatur, curet Provincialis, vel eiusmodi Socium Magistro praebere, cui hic possit specialem curam Noviciorum Coadiutorum et Postulantium committere, vel, si opus sit, alterum Socium designare, qui, subordinatus quidem Magistro et sub eius ductu, peculiari ratione de horum Fratrum institutione provideat.

Expleto biennio Noviciatus votisque emissis, ne putetur statim Coadiutores esse e Domo Probationis educendos et in Collegia vel Residentias mittendos. Scimus quidem quam prodigus fuerit S. P. Ignatius in annis formationi Nostrorum impendendis, et quo modo in hac longa praeparatione, in « diuturnis et diligentissimis probationibus » magna ex parte statuerit vim ac praesidium adversus difficultates et pericula, quae nostrae vitae rationem annexa habere noverat ([104]). Et videmus profecto quan-

---

([97]) *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 76.

([98]) Cf. Reg. Mag. Nov., 21.

([99]) Cf. *Exam.*, c. 6, n. 3.

([100]) *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 453.

([101]) Epit. n. 154, 3°; cf. *Institutum Soc. Iesu*, Instruct. VI n. 4 (edit. Florent., vol. III, p. 354); *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 74.

([102]) Cf. Reg. Coad., 11.

([103]) *Acta Rom.*, vol. III, 1919, p. 155.

([104]) Cf. Iulius III, « *Exposcit debitum* », Formula Inst., n. 9.

to temporis spatio et quot curis virtus nostrorum Scholasticorum confirmetur ac solidetur; ut sperare vix possimus Fratres Coadiutores duobus vel tribus annis eam animi fortitudinem acquisituros, qua possint pericula et tentationes, quibus in variis eorum officiis facile exponentur, nisi extraordinario gratiae auxilio, superare.

Ne properemus igitur eos, praesertim si iuniores sint, e Domo Probationis educere; si tamen necessitas sit eos in aliam domum mittendi, praescriptum servetur ut « post absolutum Noviciatus biennium, per alterum saltem biennium collocentur in domo, ubi facilius iuvari possint in spiritu, et officio minoribus periculis exposito applicentur » (105). Immo, cum eatenus in virtute profecerint ut tandem foras mitti tuto posse videantur, ut Assistentiae Americae scribebam, « ne constituantur in parvis Residentiis, in quibus sibimet relicti, munimine vitae communis et commercio cum aliis Fratribus orbati, mox in eum statum deveniant, quo vix sortem boni et pii laici superare videantur » (106). Destinentur potius ad Domos Professas, Domos formationis, Collegia, ubi non modo maior Nostrorum numerus eis permittet et Exercitia pietatis debito tempore atque ordine peragere, et officiis occupari in quibus minus commercium cum externis habeant; verum etiam in ordinato vitae cursu Fratrum seniorum inclusi quodammodo inveniantur. Hoc enim semper curandum est, in illis etiam Provinciis ubi Fratres pauci admodum adhuc sunt: ne soli et dispersi per varias Provinciae domos mittantur, sed manipuli quidam eorum efformentur, ut plures coniuncti sese adiuvent atque ad virtutem et perfectionem cohortentur.

Non faciunt Coadiutores temporales *tertiam probationem*, quam S. P. Ignatius solis Scholasticis praescripsit (107), eo quod « ex illa... assidua contentione, quae per aliquot annos in excolendo per studia intellectu ponenda est, humilitatis ac devotionis fervor intepescere soleat » (108). Tamen, ut Coadiutoribus quoque copia fiat animum ante ultima vota, si forte tepuerit, refovendi, iubetur in Epitome ut « saltem per mensem mittantur ad ali-

---

(105) Epit., n. 167, § 1.

(106) *Acta Rom.*, vol. VIII, 1936, p. 590.

(107) Cf. *Exam.*, c. 1 n. 12; c. 6 n. 8; *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, p. 686.

(108) *Institutum Soc. Iesu*, Ordinationes, c. III, Pro iis qui tertium annum agunt probationis, n. 2 (edit. Florent., vol. III, p. 265).

quod Seminarium Nostrorum, quo maiore recollectione se ad gradum praeparent » (109). Id ergo Provinciales sedulo observare studeant, atque adeo maius temporis spatium concedere ne cunctentur, si in casibus singulis opportunum esse sibi videatur (110). Hoc autem mense Fratres a sollicitudinibus suorum officiorum aliquantum quiescant oportet, « ut animum foveant, aliquo orationis tempore praeter consuetum concesso; de suis defectibus moneantur, et modos quibus eos emendare possunt secum statuant; Regulas attentius legant et considerent; saepius cum Superiore vel Praefecto spiritus colloquantur; remque totam spiritualibus Exercitiis S. P. Ignatii claudant » (111).

Locus magis conveniens ubi ultima vota emittenda sunt, generatim erit ipsum Collegium vel Seminarium Nostrorum, in quo mensem praeparationis Fratres egerunt, praesertim si longum iter faciendum eis esset, ut in suam domum reverterentur; sed fortasse quandoque videbitur Provinciali praeferenda esse domus, ad quam Frater pertinet, ut votorum emissio et ad solatium communitatis et ad externorum aedificationem conferat.

At, quod caput est in hac spirituali institutione, ad ea quae diximus addi debet paterna Superiorum localium sollicitudo, ut bonum semen virtutum in Noviciatu exceptum non destruatur, sed germinet, adolescat et fructum plurimum ferat. Persuasum sibi habeant Superiores hanc curam domesticorum, et nominatim Fratrum Coadiutorum, praecipuam esse in munere sibi commisso, cui apostolicus eorum zelus in primis adhibendus est. Quamobrem, non solum Societas, cum saepe alias (112), tum nuper in Congregatione Generali XXVIII (113), verum etiam ipse Summus Pontifex Pius XI, in Epistola Apostolica ad Summos Moderatores Ordinum Regularium anno 1924 data, Superioribus singulari ratione commendavit, ne Fratres conversi, seu Coadiutores, spiritualibus subsidiis careant « quibus ad proficiendum perseverandumque indigent, iisdemque eo fortasse maioribus.

(109) Epit., n. 167, § 2.

(110) Cf. *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 74.

(111) *Acta Rom.*, vol. I, 1911, p. 75.

(112) Cf. *Coll. Decr.*, d. 45: ex Congr. Gen. XVIII, d. 22, n. 7; Congr. Gen. XXII, d. 44, n. 6; Cong. Gen. XXIV, d. 20, n. 2; et cf. *Institutum Soc. Iesu*, Instructio VIII, n. 1 (edit. Florent., vol. III, p. 355).

(113) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, p. 26 (d. 23, n. 3).

quo humiliore ii condicione sunt humilioribusque funguntur ministeriis » ([114]). Ne ergo satis se fecisse credant Superiores si Praefecto spiritus carissimos Fratres Coadiutores concrediderint; ipsi quoque eos alloquantur tam publice omnesque simul interdum, quam singulos in privato colloquio, in quo non solum de domesticis rebus agant, sed etiam de rebus spiritualibus, moestos solentur, omnesque Deo artius in dies obstringere studeant ([115]). Intersint quoque aliquando eorum relaxationibus eisque enarrent quae per universam Societatem ad Dei gloriam fiunt ([116]). Sentiant denique Fratres se in Superiore verum Patrem habere, qui, ut par est, de spirituali singulorum profectu est in primis sollicitus.

Ad haec, curare debent — sicut Congregatio Generalis XXVIII etiam commendavit — « ne quid iis desit ex illis perseverantiae et sanctificationis mediis, quae Institutum praevidet » ([117]). Itaque provideant ut eis « cotidie puncta meditationis matutinae breviter tradantur » ([118]); copia detur recollectionem menstruam tranquille peragendi ([119]); praesto sint libri meditationum, aliique libri spirituales eorum gradui accommodati ([120]); praebeatur christianae catechesis instructio, audientium condicioni aptata, quae ipso iure communi praescribitur ([121]), necnon ut ab ipsis Superioribus interdum fiat commendat Epitome ([122]). Quin etiam, optimo consilio agerent Superiores, qui, habita temporum locorumque ratione, Exercitia spiritualia annua — sicut

---

([114]) Pius XI, « *Unigenitus Dei Filius* »: A. A. S., vol. XVI, 1924, pp. 146-147.

([115]) Cf. *Coll. Decr.*, d. 45; Epit. n. 169, § 3; *Institutum Soc. Iesu*, Instruct, VIII, n. 1; Vitelleschi, « De cura FF. Coadiutorum »: *Epist. select.*, p. 91; Anderledy, « De reptenda... SS. Petri, Ioannis et Alfonsi... memoria »: *Epist. PP. Gen.*, vol. IV, p. 131; *Acta Rom.*, vol. II, 1917, p. 391.

([116]) Cf. *Acta Rom.*, vol. II, 1917, p. 391-392; Institutum Soc. Iesu, Instruct. VIII, n. 1 (edit. Florent., vol. III, p. 355).

([117]) *Act. Rom.*, vol. IX, p. 26 (d. 23, n. 3).

([118]) *Coll. Decr.*, d. 46.

([119]) Cf. Epit. n. 191; *Acta Rom.*, vol. VII, 1934, pp. 851-852.

([120]) Cf. Epit., n. 169, § 2; Reg. Coad., 15; *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 453.

([121]) Cf. C. I. C., can. 509, § 2, 2°.

([122]) Cf. Epit., n. 169, § 3.

decessor meus P. Wernz non semel commendaverat ([123]) et ipse alias commendavi ([124]) — Fratribus Coadiutoribus separatim a ceteris Nostris tradi curarent, quo melius eorum captui et condicioni accommodentur.

Sed ante omnia sigulari studio curandum Superioribus est ut, etiam in parvis Residentiis, Fratres omnes possint integram horam matutinae meditationi tranquille impendere, nec regulariter per totum tempus orationi assignatum vel per maximam eius partem Missis inserviendis occupentur. Scimus enim meditationem rite peractam etiam FF. Coadiutores, non solum ad conservandum primum fervorem multum iuvare, sed etiam ad sublimiores gratias a Deo accipiendas disponere ([125]).

Praeterea vos minime latet Fratribus Coadiutoribus, non minus quam Patribus, nimios labores impedimento esse quominus viri spirituales evadant. Curent ergo Superiores de illa moderatione a S. P. Ignatio tantopere commendata ([126]), quae, etiam ubi Fratres pauci sint, facultatem eis concedat Exercitia pietatis commode peragendi, immo — ut suadet P. Natalis ([127]) — orationi plus temporis vacandi, si per occupationes externas spiritus debilitari videretur.

Ad hanc paternam Superioris sollicitudinem operam suam conferre debet Praefectus spiritus, « ex optimis eligendus » ([128]), quippe cui primum omnium ministeriorum in domo committendum sit ([129]). Ille diligentiore etiam sedulitate officio suo cum Fratribus Coadiutoribus, praesertim iunioribus, fungatur ([130]), praescripta de colloquio menstruo studiose observet ([131]), singulos ut in devotione et perfectione semper proficiant hortetur ([132]),

---

([123]) Cf. *Acta Rom.*, vol. I, 1911, pp. 74, 149 (12 martii).

([124]) Cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, p. 172-173.

([125]) Cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, pp. 378-379.

([126]) Cf. *Const.*, P. III c. 2 nn. 4-5, F; P. X n. 10; *Mon. Ign.*, ser. I, vol. VI, p. 629; ser. IV, vol. I, pp. 166, 491; *Epist. mixtae*, vol. IV, p. 279.

([127]) Cf. *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 334, et vide p. 319.

([128]) *Coll. Decr.*, d. 283.

([129]) Cf. Reg. Praef. rerum spir., 1.

([130]) Cf. Reg. Praef. rerum spir., 10.

([131]) Cf. *Coll. Decr.*, d. 283; Reg. Praef. rereum spir., 8.

([132]) Cf. Reg. Praef. rerum spir., 10; P. VITELLESCHI, « De cura FF. Coadiutorum »: *Epist. select.*, pp. 90-91.

eosque praesertim ad bene orandum adiuvet ([133]), iter illis aperiens « ad illum modum orationis sibi eligendum qui magis unicuique conveniat » ([134]).

9. — Venio nunc ad institutionem quam technicam diximus, seu instructionem Fratrum Coadiutorum ad sua officia sollerter obeunda. Quae, licet secundo loco habenda sit, tamen omni cura comparari debet; ea enim et Societati utiliorem reddit Fratrum operam, et Fratribus ipsis, stabilius — ut volebat S. P. Ignatius ([135]) — in arte sibi cognita perseverantibus, laborem efficit faciliorem, animum alacriorem, intentionem mentis ad singula diligentiorem, atque adeo non parum confert ad tranquillitatem spiritus et ad stabilitatem vocationis; nec raro ad ipsas vocationes alliciendas iuvat. Quare S. P. Ignatius sapienter praescripsit « ut huiusmodi officia Coadiutores temporales, si ea ignorent, addiscant » ([136]) et ad ea explenda idonei evadant ([137]).

Omnes igitur Fratres ad consueta officia domestica obeunda rite instituantur, quod tempore Postulatus et Noviciatus optime fieri potest. Sed praeterea sunt alia officia, ut infirmarii, sartoris, fabri, quae accuratiorem formationem postulant. Immo aliqui Fratres, secundum talenta a Deo eis data et necessitates Provinciae, ad superiores etiam artes peculiari ratione informentur oportet. Neque opponere licet esse contra spiritum Societatis aliquos Fratres Coadiutores ad haec officia paratos admittere vel admissos diligenter parare. Profecto, ipse S. P. Ignatius in Examine aperte asserit, quamquam eorum magis proprium sit in ministeriis inferioribus et humilibus exerceri, posse tamen « in rebus maioribus, pro talenti eis a Domino concessi ratione, occupari » ([138]). Quare Congregatio Generalis XX declaravit Coadiutorum operam adhiberi posse ad docendos pueros legere et scribere, necnon picturam vel delineationem ([139]); et ex ipsorum Regulis constat Provinciali licere facultatem dare ut

---

([133]) Cf. Reg. Praef. rerum spir., 10.

([134]) *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, p. 378.

([135]) Cf. *Const.*, P. IV c. 10, E.

([136]) *Const.*, P. III c. 2 n. 7.

([137]) Cf. *Const.*, P. IV c. 10 n. 6.

([138]) *Exam.*, c. 6, n. 3.

([139]) C. G. XX, decr. 22; cf. *Coll. Decr.*, d. 143; *Mon. Nadal*, vol. IV, p. 531.

plus litterarum addiscant, quam sciebant in ingressu [140]. Quod quidem confirmatur usu ipso et historia Societatis totius: nam, ne quid dicam de S. Renato Goupil, qui in aegrotis ac feritis sanandis non solum Sancti caritatem, verum etiam periti chirurgi artem adhibebat, vel de B. Nicolao Owen, qui, latebris affabre construendis ad Sacerdotum refugia, sanctitatem et martyrium in Anglia assecutus est, vel iterum de B. Francisco Aranha, Martyre Salsettensi, qui templis vero Deo aedificandis meruit ut acerbior ac proinde gloriosior mors sibi ab infidelibus inferretur; quis ignorare potest operam nostrorum Fratrum, non solum in parvulis elementa docendis, non solum in domibus ecclesiisque nostris construendis, sed etiam in arte medicamentaria et medicinali, in qua eminuit ille Petrus Antonacci [141], scriptor magni operis de medicina in Missionibus, atque adeo in artibus quas ingenuas seu pulchras dicunt, quarum multi peritissimi evaserunt ut sua nomina memoriae tradiderint? Sic, ut quosdam tantum e notioribus recenseam, pictores Andreas Pozzo, Daniel Seghers, Iosephus Castiglione et Martinus Coronas. sculptores Ioannes Hörmann et Dominicus Beltrán, architecti Ioannes Petrus Huyssens et Stephanus Martellange, aliique non pauci, quorum artificiosa opera templa nostra ornant, vitam exemplaque Sanctorum illustrant, magno saepe adiumento Societati in suis ministeriis fuerunt.

Neque timendum est, ne haec uberior institutio technica occasionem praebeat Fratribus Coadiutoribus aut vocatione periclitandi, aut saltem indifferentiae ad varia officia domestica, quae omnibus Nostris maxime necessaria est, labefactandae, et quendam sensum superbiae atque independentiae admittendi. Si enim institutio spiritualis ea cura, quam paulo superius descripsimus, tradita eis fuerit, tam alta possunt vitae spiritualis fundamenta iacere, ut Deum tantum suis operibus quaerant, « omnia ad maiorem gloriam Dei Creatoris et Domini nostri semper dirigendo » [142], et non solum muneribus maioribus relictis humiliora libenter amplectantur, verum etiam promptius

(140) Cf. Reg. Coad., 15.

(141) Infirmarius et Pharmacopola prius in Pont. Collegio Urbano de Propaganda Fide, dein in Collegio Romano (†1874): cf. SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la C. d. J.*, vol. I, pp. 427 sqq.

(142) *Const.*, P. III c. 2 n. 7.

ea suscipiant a quibus sensus magis abhorret [143]. Quod enim exspectamus a Patribus, qui studiis specialibus instruuntur et titulis academicis in Universitatibus civilibus donantur, id eodem iure a Fratribus Coadiutoribus exspectare licebit. Duo tantum anni expleti sunt, ex quo Frater ille Saturninus Aguirrebeña e vita discessit, qui, cum esset optimus ludimagister et praefectus disciplinae in Collegio Colombiano Pastensi, ut luctus discipulorum ob ipsius mortem satis demonstrat, exemplar Fratrum Coadiutorum simul fuisse dicitur, « serviendi studiosus, caritate fervens, vinculum pacis inter omnes nectens, oboediens ac diligens in omnibus sibi praescriptis » [144]. Et tempore S. P. Ignatii videmus illos duos fratres architectos, Laurentium et Ioannem Tristano, quorum alterum quidem tanti faciebat S. Pater Noster, ut diceret, si alius fructus e Collegio Ferrariensi perceptus non esset, minime esse paenitendum, ob aedificationem cui omnibus ille fuit, « non minus exemplo vitae quam arte » [145]; ut alterum vero Societati lucraretur, non dubitavit inter alia media ad ieiunia recurrere [146]. Ceterum, neminem latet ad eiusmodi officia praeparare non oportere nisi viros delectos et in virtutibus religiosis solide probatos.

Quodsi methodum quaeritis in hac technica institutione sequendam, Congregatio Generalis XXVIII animadvertit, et in Regulis Magistri Noviciorum iam dicebatur [147], convenire ut iam inde a tempore Postulatus ea incipiat [148]. Quare Magister Noviciorum et eius Socius, vel qui peculiarem Postulantium curam habeat, re cum Rectore collata, et ratione habita condicionis ipsius Postulantis necnon necessitatum Provinciae, capto quoque quoad eius fieri poterit experimento, explorare debent ad quid natus aptusque quisque videatur; et eum, praesertim a secundo anno Noviciatus, ad illud officium obeundum destinare, in quo, duce Fratre aliquo veterano illius artis vere perito, insignis evadere possit. Eodem tamen tempore curandum est ut, maxime in

---

(143) Cf. *Exam.*, c. 4, n. 28.
(144) *Memorabilia*, 1940, Nov., p. 66.
(145) *Chron.*, vol. II, pp. 491-492.
(146) Cf. *Mon. Ignat.*, ser. I, vol. X, p. 47.
(147) Cf. Reg. Mag. Nov., 63.
(148) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, p. 26 (d. 23, n. 3).

primo anno Noviciatus, ad communia sui gradus officia, quae paulo superius significavimus, diligenter instituantur (149).

Patet hanc specialem institutionem technicam in Noviciatu plenam esse non posse, maxime quia Novicii Coadiutores « eatenus tantum fungi possunt officiis Fratrum Coadiutorum (non tamen ut primarii Officiales) quatenus ab exercitiis Noviciatus pro ipsis constitutis non praepediantur » (150). Quamobrem absoluto biennio Noviciatus illam perficiant oportet, ut et necessarium esse et spiritualis eorum progressus ferre Superioribus videatur. Concredantur ergo moderationi alicuius magistri vere periti, sive e Coadiutoribus veteranis, sive, iis deficientibus, e sodalibus quoque alterius Religionis, prouti non semel factum est ut unus e Fratribus nostris a Fratribus Hospitalariis S. Ioannis de Deo optimus infirmarius efficeretur. Immo etiam officiales saeculares asciscere fas erit, vel eorum officinas adire, ut, debitis adhibitis cautelis, Fratres Coadiutores ab eis discant quae secus discere non possent (151).

Non omittant tandem Superiores iis Fratribus, qui alicuius artis periti evaserunt, illa media praestare, quibus artem suam magis magisque perficere eiusque progressus pernoscere possint.

* * *

Hoc modo, Reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, Societas habebit viros, quibus cum et virtutibus religiosis vigeant et suis officiis sint vere versati, confidenter possit committere res omnes suas temporales atque adeo valetudinem et vitam suorum filiorum; viros, qui exemplo vitae sint bonus odor Christi, et suis meritis suisque precibus efficiant, ut Deus sacris Nostrorum ministeriis abunde benedicat, ad sui sancti Nominis gloriam et salutem animarum.

Omnium vestrum precibus et ss. SS. me enixe commendo.

Romae, die festo Visitationis B. M. V.
2 iulii 1942.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
Wlodimirus Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Iesu.

(149) Cf. Reg. Mag. Nov., 63.
(150) Reg. Mag. Nov., 60; cf. C. I. C., can. 565, § 3.
(151) Cf. *Acta Rom.,* vol. III, 1919, pp. 154-155.

SYNOPSIS TOTIUS EPISTOLAE

59. **15 augusti 1942.**

Notanda ad tertiam editionem Epitomes.

Cum secunda editio Epitomes Instituti nostri penitus exhausta esset et tamen undique, crescente in dies Societate, eius exemplaria a nobis continenter expeterentur, iamdudum necesse erat novam parare editionem, quae nunc tandem Societati universae offertur, simul cum Constitutionibus S. P. N. Ignatii in unum volumen compacta.

Huius autem novitatis haec fuit ratio: Congregatio Generalis XXVII ipso suo decreto 8 quo Epitome Instituti promulganda edicebatur, Nostris inculcabat ut omnes, praeter Epitomen, etiam et praecipue quidem Constitutiones S. P. N. Ignatii ad manus haberent et probe intellegerent, quippe quae praecipua pars iuris nostri semper maneant et ipsam sancti Fundatoris mentem exprimant (Coll. d. 8 § 4). Ut haec Congregationis commendatio ad effectum deduci posset, anno 1937 nova facta est Constitutionum editio manualis. Sed cum in Congregatione Generali XXVIII postulato quodam, a Commissione de Postulatis ad Generalem remisso, desiderium expressum esset ut, ad maiorem mentis S. P. Ignatii cognitionem, textus ipse Constitutionum a textu Epitomes ne separaretur, Pater Noster opportunum duxit Constitutiones in unum volumen cum hac tertia editione Epitomes compingere.

Textus Constitutionum hic allatus refert versionem latinam, quam Congregatio Generalis IV approbavit, et vulgatam seu authenticam et officialem habendam esse decrevit, quamque editio manualis anni 1937, itemque editio critica in « Monumentis historicis S. I. » (Mon. Ignat., ser. III, vol. III, anno 1938) exprimunt.

Quod ad dispositionem typographicam attinet, visum est Declarationes non ipsi textui Examinis et Constitutionum inserere, sed eas ad calcem paginarum reicere. Ibidem, id est ad imas paginas, non in marginibus, propter angustum spatium, apponuntur loci paralleli Examinis et Constitutionum, atque etiam Decreta e Collectione Decretorum, quae ad rem pertinent, item annotationes ex editione manuali anni 1937 desumptae.

In hac tertia editione Epitomes, ad mentem Congregationis Generalis XXVII (Coll. d. 8 § 3), ratio habita est:

I. Recentiorum Sanctae Sedis actorum, et praesertim:

1) Constitutionis Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » 24 maii 1931, et Ordinationum S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad eandem Constitutionem rite exsequendam 12 iun. 1931 (AAS. 1931, p. 241 sqq.; Stat. p. 35 sqq.);

2) Instructionis S. Congreg. de Religiosis 1 dec. 1931 « De formatione clericali et religiosa alumnorum ad sacerdotium vocatorum deque scrutinio ante ordinum susceptionem peragendo » (AAS. 1932, p. 74 sqq.; AR. 1932, p. 5 sqq.);

3) Litterarum Apostolicarum « Paterna caritas » 12 mart. 1933, quibus Institutum Societatis Iesu denuo plenissime approbatur (AAS. 1933, p. 245 sq.; AR. 1933, p. 273 sqq.);

4) Recentiorum Responsorum Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos.

II. Decretorum Congregationis Generalis XXVIII (1938).

III. Variarum Ordinationum Praepositi Generalis.

Quod ad studia nostra superiora pertinet, a *Ratione studiorum* quam Pater Noster, eo modo quem Congregatio Generalis XXVIII (dd. 38 et 39) praescripserat confectam, recens cum tota Societate experimenti gratia communicavit, solum quaedam Epitomae Instituti inseri potuerunt. Quare pro studiis nostris standum erit praescriptis particularibus in Ratione Studiorum et in Statutis Facultatum theologiae et philosophiae in Collegiis Societatis Iesu erectarum contentis. Item pro administratione temporali servanda est Instructio a P. Generali anno 1935 data, quamquam non omnia particularia in ipsa Epitome repetuntur.

Annotationes ad imas paginas, orthographia, ac praesertim index alphabeticus unicus ad locos tam Constitutionum quam Epitomes reiciens, novis curis recognita sunt.

Romae, die 15 augusti 1942.

LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

12 septembris 1942.

Communicantur Lectiones retractatae II Nocturni in festo B. M. V. a Strata, Lectiones contractae in Proprio S. I., Officium et Missa « Reginae Societatis Iesu ».

Ad OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Cum nonnulli Nostri historiae cultores, accedente quoque ante aliquot annos unius Provinciae postulato, exoptassent ut lectiones II Nocturni in festo B. Mariae Virginis a Strata ad normam recentiorum investigationum historicarum accuratius redigerentur, id efficiendum curavit Pater Noster et novas lectiones Sacrae Rituum Congregationi proposuit, quae Rescripto diei 11 iulii eas approbavit (1).

Foliola vero singulis Patribus distribuenda mox ad Provincias mittentur simul cum Officio et Missa Reginae Societatis Iesu, de qua nuper ad universam Societatem scripsit Pater Noster (2).

Ad Rm. Vm. autem mittuntur duo exemplaria libelli nuper editi, quo continentur « Lectiones contractae pro festis in Proprio S. I. contentis aliquando vel alicubi ad modum Simplicis recolendis ». Cum enim iamdiu huiusmodi Lectiones contractae a Nostris expeterentur, nunc tandem redigi potuerunt et a Sacra Rituum Congregatione die 22 maii approbatae sunt (3), ut habetur in Rescripto quod eidem libello praemittitur. Hae Lectiones in novas editiones Proprii S. I. inserentur; interea communicantur ad notitiam. Velit R. V. unum exemplar huius libelli Redactori Kalendarii Provinciae tradere, quem etiam de aliis mutationibus liturgicis supra indicatis iam nunc certiorem facere ne omittat.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 12 septembris 1942.

R.ae. V.ae Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

(1) V. supra, pag. 348.
(2) V. supra, pag. 351.
(3) V. supra, pag. 318.

61. **12 septembris 1942.**

De cultu Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis promovendo.

OMNIBUS EDITORIBUS PERIODICORUM APOSTOLATUS ORATIONIS, SECRETARIIS NATIONALIBUS APOSTOLATUS ORATIONIS, EIUSDEMQUE MODERATORIBUS DIOECESANIS ET CRUCIATAE EUCHARISTICAE PROMOTORIBUS.

Reverende in Xto.,
P. Xti.

Apostolatus Orationis, ut R. V. bene novit, cultui SS. Cordis Iesu semper sociavit etiam cultum Purissimi Cordis Beatissimae Virginis: cotidiana orationum, laborum et dolorum oblatio semper fit « per immaculatum Cor Beatae Mariae Virginis »; proximis hisce superioribus decenniis inter intentiones generales a Summo Pontifice approbatas iam quater habebatur illa de promovenda fidelium pietate erga purissimum Cor Mariae. Iamvero, cum nostris hisce temporibus, tot inter rerum perturbationes et omnimodas difficultates, peculiari fiducia christifideles, Spiritu Sancto sane afflante, ad Cor Mariae sese vertant, nostrum esse visum est, ut omnes Socios Apostolatus Orationis exhortemur quo instantius divinam Misericordiam per Purissimum Cor Beatae Virginis implorent, prout ipsa Beatissima Virgo, ut pie creditur, abhinc 25 annis Fatimae in Lusitania tribus pueris apparens etiam atque etiam expetivit. Id autem procul dubio menti quoque Summi Pontificis respondet, qui ad divinam Clementiam per Beatam Virginem impetrandam omnes saepius hortatus est.

Ut autem ex rerum agendarum ordine, et, ut ita dicam, concordia, aliquod magnum in hunc finem obtineatur, liceat mihi proponere:

1) Ut *omnes*, nostri ubique terrarum socii, invitentur ad divinam Misericordiam per Purissimum Cor Mariae impensius implorandam;

2) Ut in periodicis nostris doctrina christiana de cultu Purissimi Cordis Mariae clare et iteratim exponatur et inculcetur;

3) Ut quotidiana et cum pia mysteriorum meditatione coniuncta Rosarii recitatio maxime commendetur;

4) Ut in honorem Purissimi Cordis Mariae, ad impetrandam conversionem peccatorum et divinam misericordiam super genus humanum, Communio Reparatrix etiam singulis *primis Sabbatis* cuiusque mensis promoveatur;

5) Ut in singulis Centris Apostolatus Orationis notentur socii, separatim laici adulti et parvuli Cruciati, qui *quinquies saltem primis Sabbatis continuis* illam Communionem in finem indicatum obtulerunt. Summa eorum, non autem ipsa nomina, mittatur, ad Secretarios Nationales vel Nuntiorum Editores, qui curam habebunt, ut Directio Generalis Apostolatus Orationis Romae, ante festum Purissimi Cordis Mariae (postridie festi SS. Cordis) quidquid ab eo circa hunc cultum in singulis regionibus factum sit, Summo Pontifici monstrare possit. — Quod attinet ad petitiones, ut Vicarius Christi totum genus humanum Purissimo Cordi Mariae consecret, hae non ad Directionem Generalem Apostolatus Orationis, sed potius a collectoribus cuique suo Ordinario loci mittantur.

Et haec omnia, ut verbis finiam toties repetitis a tribus pueris quibus apparuit Virgo Fatimensis, « pro amore Iesu, pro conversione peccatorum, pro Sanctissimo Papa nostro et in reparationem iniuriarum Cordi Immaculato Mariae illatarum ».

In unione precum cum SS. Cordibus Iesu et Mariae.

Romae, in festo SS. Nominis Mariae
12 septembris 1942.

R.ae V.ae
Servus addictissimus
IACOBUS I. ZEIJ, S. I.
Dir. Gen. Del. Ap. Or.

62. 18 septembris 1942.

Mors et suffragia R. P. Ferdinandi Gutiérrez del Olmo (Prov. Legion.), Assistentis Hispaniae.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Hodie, summo mane, hora circiter 4ª, sanctis morientium Sacramentis iam pridem tempestive riteque munitus, pie in Domino quievit R. P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, Assistens Hispaniae, aetatis anno 67, Societatis 52.

Ad initium usque superioris mensis augusti bona valetudine usus, coepit tunc febri modo sat gravi modo levi at cotidie laborare. Febris autem post mensem iam evanuerat, ita ut Pater aliquam horam e lectulo surgere potuerit, cum ecce necopinato peritonitis apparuit, quae post aliquot dies eius mortali vitae finem imposuit. Carissimus Pater mortem sibi proximam iam inde ab initio morbi persenserat et gratias Deo agebat quod tam aptum praeparationis tempus sibi dedisset. Per totum mensem, quo decubuit, sed potissimum ultimis diebus, singularis patientiae et pietatis exempla nobis praebuit, et hilari vultu Nomen Iesu saepissime ingeminans animam Deo reddidit.

P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo Celanovae in Galicia (Hispania), in dioecesi Auriensi, ortus est die 28 maii 1876. Post studia media in nostro Collegio Carrionensi peracta, die 20 iulii (1) 1891 Societatem ingressus est Loyolae, Provinciae Castellanae adscriptus, donec post divisionem illius Provinciae (anno 1918) in novam Provinciam Legionensem est cooptatus. Praeter consuetum studiorum curriculum, physicis scientiis per biennium studuit, in iisque academicum licentiae gradum adeptus est. Has scientias simul cum mathesi decem annos, partim ante partim post sacerdotium, quo initiatus est die 30 iulii 1907, egregie docuit in Collegio Maximo Oniensi, cuius deinde Rector fuit. Hoc eodem munere functus in Pont. Seminario Comillensi, anno de-

(1) Secundum id quod R. P. Gutiérrez dicebat, ipse hoc die 20 iulii Societatem ingressus est, non autem die 28, ut fert Catalogus Provinciae.

mum 1920 die 25 augusti regimen suae Provinciae Legionensis suscepit et sex annos optime administravit, cuius officii causa etiam Congregationi Generali XXVII (1923) adfuit. Tum Instructor tertiae probationis anno 1926 renuntiatus, magna cum satisfactione Tertianos Nostros excoluit, donec die 31 iulii 1929, P. Iosepho Barrachina non ita pridem vita functo, Assistens Hispaniae renuntiatus, Romam venit et mox etiam officium Praefecti spiritus nostrae domus assumpsit.

Vir valde pius, apprime fidelis, Societatis amantissimus, prudentiae et discretionis dono haud mediocriter praeditus, suis muneribus unice intentus et religiosae observantiae studiosissimus, omnium sibi animos conciliabat.

Quod igitur iam pridem more receptum et a Congregatione IX decreto 21° firmatum, Congregatio Generalis XXVII iterum edixit (Coll. decr., d. 290, 7°; Epit. n. 854 § 2, 7°), id R. V. indicendum curet: nimirum, praeter consueta suffragia in Provinciis Romana (utpote pro huic addicto in eaque defuncto) et Legionensi (utpote pro huius olim Praeposito) indicenda, singuli Sacerdotes pro eius anima in tota quidem Assistentia Hispaniae et in iis quoque Provinciis Assistentiae Americae Latinae, quae olim ad Assistentiam Hispaniae pertinebant, *tria Sacra* faciant, in reliqua autem Societate *unum;* ii vero qui sacerdotes non sunt, totidem Missas, Communiones et coronas offerant.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 18 septembris 1942.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

63. **28 novembris 1942.**

Nunciatur novus Assistens Hispaniae, R. P. Severianus Azcona (Prov. Castell.).

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Post mortem R. P. Ferdinandi Gutiérrez del Olmo, Assistentis Hispaniae, pro novo Assistente extra Congregationem Generalem eligendo tempestive praestanda curavi, quae in Constitutionibus (P. IX c. 5 n. 3) et Congregationum Generalium Decretis (*Coll. Decr.*, d. 269) ea de re praescribuntur. Cumque, hodiernis rerum condicionibus non obstantibus, iam plerorumque Praepositorum Provincialium responsa affirmativa ad nos pervenerint, duco eius nominationis promulgationem non esse diutius differendam.

Itaque R.m V.m certiorem facio R. P. Severianum Azcona, e Provincia Castellana, novum Assistentem Hispaniae rite esse constitutum.

Commendo me ss. SS.

Romae, die festo B. Iosephi Pignatelli,
28 novembris 1942.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

De aegrotatione et morte
A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski

64. **26 octobris 1942.**

A. R. Pater Noster in valetudinarium urbanum effertur.

AI SUPERIORI DELLE CASE DI ROMA.

REVERENDO IN XTO PADRE,
P. XTI.

Come V. R. già sa, il venerato Padre Nostro è a letto dal giorno di S. Francesco Borgia, senza che la malattia finora pre-

senti sintomi allarmanti, la febbre anzi è cessata da vari giorni, ma permane una grande prostrazione di forze. Ora poi i medici hanno riscontrato un ascesso interno, per il quale assai probabilmente si renderà necessario un piccolo intervento chirurgico. Perciò stamane Nostro Padre sarà trasportato alla clinica Quisisana.

I Nostri sono pregati di astenersi dall'andarlo a visitare o di telefonare alla Clinica per chiedere notizie. Sarà nostra cura di far pervenire regolarmente ogni giorno a tutte le Case le notizie più recenti del venerato infermo.

Data l'età avanzata e lo stato di debolezza, benchè in sè il male non dia luogo a seri timori, si rende ancor più necessario che tutti i Nostri intensifichino le loro preghiere, affinchè il Signore ci ridia presto Nostro Padre pienamente ristabilito.

In unione dei ss. SS.

Roma, 26 ottobre 1942.

di V. R. Servo in Xto.
MAURIZIO SCHURMANS S. I.
Vic. Gen.

65. **26 octobris 1942.**

Societas certior fit de aegrotatione A. R. Patris Nostri.

Ad OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Pietati, qua omnes Nostri filiorum instar dilectissimum Patrem Nostrum Generalem prosequuntur, debitor equidem sum, ut de eius valetudine certos nuntios cum R. V. et per eam cum tota ista Provincia tempestive communicem.

Sat bene pro sua aetate Pater Noster se habuit usque ad diem 9 octobris et mira alacritate, ut solet, negotiis expediendis operam dabat. At nocte, quae festum S. Francisci Borgiae praecedebat, febri tentari coepit et malo quod medici colitem vocant, quaeque plus minusve eum tenuerunt per decem continenter

dies: morbus tamen peritis nullatenus gravis visus. Excussa febri, maior profecto apparuit virium debilitas ex diuturno decubitu et cibi inappetentia valde aucta. Accedit quod parvus abscessus internus sese prodidit, quem arte chirurgica rescindere medici necessarium duxerunt. Hodie propterea carissimum infirmum in nosocomium urbanum « Quisisana » nuncupatum transferendum curavimus, ubi cras a peritissimo chirurgo incisio fiet, levis ea quidem in se spectata, nisi facienda esset in aegroto iam debilitato et sat provectae aetatis.

Haec sincere exponere volui, non sane ut spem minuam, quam omnes firmam habemus, fore ut omnia optime procedant, sed ut omnes Nostri magis urgeantur ad fervidas preces Deo fundendas pro optimo Societatis Patre. Rae. Vae. relinquo decernendum, num et quid deceat in hunc finem praescribere communiter in Provincia praestandum.

Identidem nova quae circa carissimum infirmum occurrant, cum R. V. communicare non omittam.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 26 octobris 1942.

R.ae V.ae Servus in Xto.
MAURITIUS SCHURMANS S. I.
Vic. Gen.

66. 13 novembris 1942.

A. R. Pater Noster schedam secretam, post obitum suum legendam, scribit, qua Vicarium Generalem constituit.

Oboediens Sancti Instituti nostri praescriptis, divino implorato auxilio, Vicarium Generalem post mortem meam constituo: R. Patrem Alexium Magni, Assistentem Italiae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Animam vero meam enixe precibus carissimorum Patrum Fratrumque commendo.

Romae, die 13 novembris 1942.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

67. 23 novembris 1942.

Indicuntur novendiales preces ad Immaculatum Cor B. M. V. pro valetudine A. R. Patris Nostri.

Roma, 23 novembre 1942.

REVERENDO IN XTO. PADRE,
P. XTI.

In preparazione alla festa dell'Immacolata, nei giorni 29 novembre-7 dicembre faremo in Curia una novena al Cuore Immacolato di Maria per ottenere per intercessione del P. Roothaan la guarigione di Nostro Padre, se così piacerà al Signore. A tal fine dopo le Litanie reciteremo la preghiera, qui annessa, ed offriremo ogni giorno SS. Messe e Comunioni.

Sarebbe molto bello che almeno le nostre Case di Roma si associassero a queste nostre preghiere, affinchè così, uniti tutti nella stessa supplica essa divenga ancora più efficace ed accetta alla Vergine ed al Suo Figliuolo.

Io stesso ne avviserò quelle Case che dipendono direttamente da Nostro Padre (1).

Conviene che tutti i Nostri di Roma sappiano che le ossa del P. Roothaan si trovano attualmente al lato « evangelii » dell'altare della sagrestia del Gesù.

In unione de' ss. SS.

di V. R.
Servo in Xto.
MAURIZIO SCHURMANS S. I.
Vic. Gen.

R. P. EMANUELE PORTA
Prep. Prov. - Roma.

---

(1) Nuncius datus est eodem die Pont. Instituto Biblico, Pont. Instituto Orientali, Pont. Collegio Russico, Collegio Scriptorum Ephemeridis « La Civiltà Cattolica », Domui Scriptorum Societatis, per litteras R. P. Vicarii Generalis.

Formula precandi haec fuit:

NOVENA AL CUORE IMMACOLATO DI MARIA
PER LA GUARIGIONE DI NOSTRO PADRE.

O Cuore Immacolato di Maria, Regina e Madre della nostra Compagnia, che a Voi tutta e per sempre si è solennemente consacrata, ascoltate le umili suppliche che Vi rivolgiamo per il venerato Padre Nostro. Presso di Voi interponiamo l'intercessione del Servo di Dio Giovanni Roothaan, grande Vostro devoto e propagatore del Vostro culto. Vogliate Voi glorificarlo con la piena guarigione di Nostro Padre, in modo che possa reggerci ancora a lungo, e con noi venerare sugli altari il P. Roothaan, tanto benemerito della risorta Compagnia.

O Cuore Immacolato, in Voi riponiamo tutta la nostra fiducia.

℣. Viam mandatorum tuorum cucurri.

℟. Cum dilatasti cor meum.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde Beatae Mariae Virginis dignum Spiritus Sancti habitaculum praeparasti: concede propitius; ut eiusdem Purissimi Cordis memoriam devota mente recolentes, secundum Cor tuum vivere valeamus.

Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo infirmo, pro quo misericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

68. **29 novembris 1942.**

De reditu A. R. Patris Nostri aegrotantis in Curiam et susceptis ab eo ultimis sacramentis.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Post telegramma heri hinc missum (1) R. V. iure pleniores nuntios expectat de valetudine Patris Nostri.

---

(1) Pridie, i. e. d. 28 novembris, viginti duo telegrammata R. P. Vi-

Mense integro in nosocomio transacto, cum vulnus ab incisione chirurgica (necessaria ea quidem) relictum, peritissimorum medicorum curis et industriis nequidquam iuvantibus, apertum et sanie fere continenter manans permaneret et vires paulatim deficerent, accedente quoque die 26 novembris sat gravi haemorrhagia ex eodem vulnere, ipse Pater Noster sponte et instanter petiit, ut domum rediret; quo revera traslatus est die 27, magna cum sua consolatione. Eo ipso die vespere rogavit, ut in crastinum morientium Sacramentis sibi liceret muniri: quod profecto, quamquam imminens periculum nondum appareret, denegari non potuit.

Atque ita hesterna die, in festo B. Iosephi Pignatelli, mane hora 11, convenimus omnes in sacellum domesticum indeque SS. Sacramentum pie comitati sumus in parvum cubiculum, ubi nunc in valetudinario recumbit Pater Noster, ibique sacrum Viaticum et Extremam Unctionem ei administravi et Apostolicam Benedictionem impertivi, adstantibus nobiscum pluribus Superioribus et sociis ex aliis domibus nostris Romanis. Antequam SS. Christi Corpus sumpsit, magna cum omnium commotione, venerandus infirmus firma voce et intima pietate ac humilitate, a Domino veniam petiit seque et universam Societatem Cordi Iesu per Cor Mariae Immaculatum commendavit, rogans ut genuinus Societatis spiritus indemnis servaretur, et vitam suam Deo obtulit pro Ecclesia, pro Summo Pontifice, pro dilectissima Societate. Ipsa amantissima verba, quae reverenter ex eius ore collegimus, suo tempore cum Nostris omnibus communicabimus (1).

Ipse vero, post administrata Sacramenta, nomine totius Societatis ei gratias egi, de nostris defectibus veniam petii et benedictionem in Societatem universam rogavi; cui petitioni Pater Noster libentissime annuit et dextera manu elata benedictionem paternam ex imo corde impertiit, addens in fine formulae consuetae: « ... maneat semper ad maiorem Dei gloriam ».

Nunc tranquillus videtur et sereno animo in Dei beneplacitum exspectandum et adimplendum unice intendit. Nos vero

---

carius Generalis misit, quocumque nempe licuit, quibus nuntiabatur; Patrem Nostrum in Curiam regressum esse et ultima sacramenta recepisse.

(1) V. infra, pag. 486 sq.

impensis precibus exposcimus, ut optatissimus Pater Societati servetur: in omnibus Romanis domibus nostris nunc ipsum novendialia Missarum et precum peraguntur in honorem Purissimi Cordis B. Mariae Virginis, interposita intercessione Servi Dei P. Ioannis Roothaan; et spem fovemus, fore ut Regina Societatis, cuius cultum Pater Noster nuper augendum curavit, velit simul maestos filios solari et insignis illius Servi Dei et sui glorificationem accelerare, pristinae sanitati dilectissimum Patrem restituendo.

Vix dici potest quot etiam inter externos praesertim Praelatos et Religiosos summo studio et sincera aestimatione nuntios de Patre Nostro exquirant nobisque socientur in precibus pro eo ad Deum fundendis. Unum omittere nequeo, quod etiam nobis magno est solacio: Summus Pontifex maxima cum benevolentia de morbi vicibus continenter certior fieri vult, et frequenter Patri Nostro Apostolicam Benedictionem transmittendam curat: hesterna vero die, occasione susceptionis Sacramentorum, iterum et effusiore animo, misso telegrammate, peramanter benedixit (1).

Ex multis Societatis Provinciis et domibus filiorum sensus et vota accepimus et in dies accipimus, et scimus quam studiose omnes Nostri pro aegroto Patre orare non desinant. Haec omnia Patri Nostro singillatim fideliterque referuntur, qui gratissimo animo ea excipit et singulis dilectissimis filiis gratias agit et benedicit.

Velit R. V. haec cum Nostris istius Provinciae communicare ad eorum aliquale solacium et ut precibus impensius insistant.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 29 novembris 1942.

R.ae V.ae Servus in Xto.
MAURITIUS SCHURMANS S. I.
Vic. Gen.

---

(1) V. supra, pag. 376.

69. **14 decembris 1942.**

Nuntiatur, misso telegrammate, mors A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS ET VISITATORES.

Pater Generalis pie obiit die 13 decembris, hora 18,45: Pater Magni Vicarius Generalis proclamatus, plena potestate Praepositi Generalis gaudens vi indulti Summi Pontificis anno 1939 concessi (1); vestras facultates Visitatoris (2) confirmat (3).

L. Dumoulin.
Secr. Soc. Iesu.

---

(1) V. supra, pag. 301.

(2) Praeter RR. PP. Adelardum Dugré Assistentem Angliae et Zachaeum Ios. Maher Assistentem Americae, quibus facultates Visitatoris pro sua cuique Assistentia ab A. R. Patre Nostro p. m. collatae fuerant, continuandae quoque post eius obitum ex pontificio indulto diei 17 maii 1940 (V. supra, pag. 304), alios quinque Visitatores idem Pater Noster constituerat, scilicet:

R. P. Iosephum Demaux Lagrange (Praep. Prov. Tolos.) pro Assistentia Galliae,

R. P. Thomam I. Travi (Praep. Prov. Argent.) pro America linguae hispanicae, Mexico excepto,

R. P. Aloisium Riou (Praep. Prov. Bras. Centr.) pro Brasilia,

R. P. Ioannem B. Moyersoen (Sup. Reg. Miss. Calcutt.) pro Missionibus Indiae et Ceylon,

R. P. Georgium Marin (Sup. Pekin. Dom. Stud.) pro Missionibus Sinensibus.

(3) Visitatorum munus, mortuo Generali, finem habet; ideo illi confirmarentur, necesse fuit: quinque enim postremos Visitatores indultum diei 17 maii 1940 non comprehendebat. Prima porro res, quam R. P. Vicarius Generalis gessit, ea fuit, ut illos confirmaret. In primo etiam alloquio, quod mox cum Summo Pontifice habuit, statim impetravit pro iisdem sanationem in radice eorum omnium, quae, ab obitu A. R. Patris Nostri usque ad instauratum a R. P. Vicario Generali munus, egissent.

Nota. - Provinciales Italiae pridie vespere de morte P. N. statim telegrammate certiores facti erant; sed cum Stationes Radiophonicae sine dubio tristem nuntium in mundum universum statim diffudissent, visum est sufficere ut ceteri Provinciales postridie unico telegrammate certiores fierent de morte P. N. et de nominatione Vicarii Generalis.

70. **14 decembris 1942.**

Promulgatur Vicarius Generalis, R. P. Alexius Ambrosius Magni, Assist. Ital. (Prov. Ven.-Med.).

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Postquam A. R. P. N. Wlodimirus Ledóchowski heri vespere, hora 18,45, ut iam R.ae V.ae per telegramma nuntiatum est, pie in Domino quievit, cum R. P. Mauritius Schurmans, hactenus Vicarius Generalis, per mortem Generalis ab officio suo decidisset, urgebat in primis ad promulgationem Vicarii Generalis devenire. Iamvero hodie, hora 16a, coram RR. PP. Assistentibus et Professis quattuor votorum fere omnibus qui in Urbe degunt, tempestive in hanc Curiae domum convocatis, ad normam decreti 262 § 1 Collectionis Decretorum (Epit. n. 792 § 1) reserata a me fuit schedula, qua dictus Pater Noster Vicarium Generalem post suam mortem promulgandum designaverat; eamque recognoscendam tradidi RR. PP. Norberto de Boynes et Camillo Crivelli, professione antiquissimis inter Assistentes, quorum antiquior, R. P. de Boynes, eam palam legit. Atque ita renuntiatum esse constitit Vicarium Generalem usque ad electionem novi Praepositi Generalis R. P. Alexium Ambrosium Magni, Assistentem Italiae (1).

Mandante autem eodem R. P. Vicario nuper constituto et RR. PP. Assistentibus approbantibus, haec praeterea cum R. V. communicanda habeo:

Cum b. m. Pater Noster, pro sua vigili prudentia, extraordinaria rerum adiuncta praecavisset, quibus post suam mortem Congregatio Generalis diu forte impediretur, iis, ne Societas aliquid inde damni pateretur, tempestive occurrens, iam die 18 aprilis 1939 supplici libello (2) ad Summum Pontificem Pium XII per Em.mum Cardinalem Maglione, a Secretis Status, binas facultates petierat: alteram quidem ad modum quod attinet pro-

(1) Verba schedulae allata sunt pag. 472.
(2) Eius textum videas supra, pag. 301.

mulgandi Vicarium, si forte ipse Praepositus extra Urbem et plerisque Assistentibus ab eo absentibus mortuus esset (quae facultas hac vice usui non fuit); alteram vero de potestate ipsius Vicarii in iis difficilioribus adiunctis: ut nempe Vicarius, salvo hoc solo Instituti praescripto generali, quo iubetur ut « ad spiritum et sensum Generalis demortui se componat », in ceteris plenam Praepositi Generalis potestatem habeat, donec Congregatio Generalis indici possit; indicta vero Congregatione, Vicarius intra limites ei ab Instituto definitos se continere debeat. Porro Summus Pontifex die 21 aprilis eiusdem anni 1939 petitioni Patris Nostri benevolentissime propria manu subscripsit: « In omnibus pro gratia iuxta preces. — Pius PP. XII ».

Itaque, pro hac vice, usque ad indictionem Congregationis Generalis, non vigent restrictiones potestatis Vicarii Generalis, de quibus in n. 794 Epitomes, sed Vicarius plenum habet iurisdictionis exercitium quod Praeposito Generali competit, salva obligatione, pro sua prudentia et rerum adiunctis pensanda, sese componendi ad spiritum et sensum defuncti Patris Nostri.

Velit R. V. de his omnibus suos subditos quamprimum certiores facere, ut in tanti Parentis amissione Societatis filii aliquod levamen habeant.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 14 decembris 1942.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Ludovicus Dumoulin
Secr. Soc. Iesu.

71. **14 decembris 1942.**

De obitu et suffragiis A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Ut iam R.ae V.ae per telegramma nuntiatum est, desideratissimus Societatis nostrae Praepositus Generalis A. R. P. N. Wlo-

dimirus Ledóchowski heri vespere, hora 18,45′, anno sui regiminis vicesimo octavo, aetatis vero anno septuagesimo septimo, Societatis quinquagesimo quarto, placido exitu in pace Christi quievit. Dum tantum Patrem nobis ereptum deflemus, dum nobiscum magno animorum consensu dolent tot vel excellentissimi Viri cum ecclesiastici tum laici et Familiae Religiosae, nobis sane solacio est eius praeclaras dotes et eximias virtutes memoria recolere, ob quas iam nunc eum inter maximos nostros Praepositos Generales recensere possumus, cum P. Claudio Acquaviva ex altera parte, ex altera vero cum P. Ioanne Roothaan haud temere comparandum.

Ex nobili familia polonica Halka de Ledóchowski, tunc in Austria degente, ortus erat die 7 octobris 1866 in pago Loosdorf in dioecesi Sancti Hyppoliti, patre comite Antonio, cuius patruelis erat clarissimus Cardinalis Miecislaus Ledóchowski, matre comitissa Iosephina Salis-Zizers ex Helvetia. Binae eius sorores paulo maiores natu, Maria Teresia et Iulia (dein Mater Ursula dicta), novis institutis Religiosarum Sodalitatibus, magnam sibi in Ecclesia laudem promeruerunt, prima praesertim, de cuius beatificationis causa proxime Romae introducenda nunc agitur; utraque vero soror fratrem maximi faciebat eiusque consiliis iuvabatur.

Wlodimirus Vindobonam, in Austriae caput, adolescens missus, litterarum humaniorum curriculum confecit in Academia Teresiana; quo tempore etiam regii pueri munere identidem fungebatur in Aula Imperiali Austriaca. Ad Legationum officia a patre destinatus, studium iuris civilis inchoarat, cum anno 1885, se ad sacerdotium vocatum esse firmiter declarans, a piis parentibus, qui non ita pridem in Poloniam redierant, obtinuit ut Seminarium Tarnoviense ingrederetur, theologiae operam daturus. Mox tamen Romam missus et in Collegium Germanicum cooptatus, theologiam intermisit ut philosophiae scholasticae per biennium 1887-1889 studeret in nostra Universitate Gregoriana, de qua deinde tam bene meritus erat futurus. Laurea philosophica ornatus, domesticis difficultatibus fortiter superatis, die 24 septembris 1889 ad noviciatum nostrum Staraviensem (Provinciae tunc Galicianae, nunc Poloniae Minoris) convolavit. Post probationem, rhetoricam per annum recoluit; dein studia theologica olim intermissa continuanda sumpsit ac demum Cracoviae die 10 iunii 1894 sacerdotio est initiatus ab Episcopo

Cracoviensi Card. Dunajewski. Tertia probatione anno 1895-1896 Tarnopoli peracta, Domui Scriptorum Cracoviensi et Residentiae ad S. Barbarae est addictus, cuius domus et operis annis 1898-1900 fuit etiam Superior et Director. Die 25 martii 1901, dum ab anno praecedenti Collegium Maximum Cracoviense regebat, solemnem quattuor votorum professionem ante tempus consuetum emisit, eoque ipso die totam Galicianam Provinciam regere coepit, primum quidem titulo Viceprovincialis sed pleno Praepositi iure (siquidem Praepositus ante finem sui triennii gravi infirmitate correptus erat), dein a die 21 februarii 1902 etiam pleno Provincialis nomine.

R. P. Ludovico Martin vita functo, Romam venit ad Congregationem Generalem XXV, a qua, post electum novum Praepositum Generalem R. P. Franciscum Xaverium Wernz, die 14 septembris 1906 constitutus est Assistens Germaniae. Notum autem est, quantum ei fideret Rev. Pater Wernz, cui toto generalatus tempore fidelis adstitit non modo consiliarius sed in multis negotiis etiam validus minister. Demum, post mortem Patris Wernz, a Congregatione Generali XXVI in festo B. M. V. Immaculatae de Lourdes die 11 februarii 1915, « magna animorum consensione secundo scrutinio ac longe pluribus medietate suffragiis », ut legitur in decretis (decr. 3), creatus est Praepositus Generalis.

Ad supremum hoc munus insignes prorsus, ut omnes vidimus et experti sumus, attulit dotes, quae eum quam proxime, quantum pro humana fragilitate fieri potest, appropinquarunt absolutissimae illi Praepositi Generalis imagini, quam S. P. Ignatius in Parte IX Constitutionum descripsit. Non huius est loci nec temporis, ne brevi quidem recensione, tangere quot quantaque et alta mentis acie conceperit et magna animi fortitudine aggressus sit et mira constantia ad finem usque perduxerit; idque fragili licet valetudine usus ac medias inter rerum publicarum perturbationes identidem bellorum strepitu totum fere orbem personantes. Ceterum de eius generalatu, qui annorum numero in tota Societatis historia a tribus tantum Praepositis (Acquaviva, Vitelleschi, Beckx) superatur, anno 1939, quinto ab electione lustro decurrente, aliquid commemoratum est (*Memor. S. I.*, vol. VII, fasc. III, 13 nov. 1939), reliqua vero ampliori for-

tasse narrationi, dante Deo, reservantur. Ut pauca quaedam enumerem, ei post Deum maxima ex parte debetur mirum operum et sociorum incrementum, quo Societas proximis hisce decenniis ante praesens bellum floruit, ita ut ipse, sui generalatus tempore, viginti eoque amplius novas Provincias vel Viceprovincias independentes (ne de Viceprovinciis dependentibus verba faciam) constituerit; ei, auctus Missionum et Missionariorum numerus et sapienter promota ad mentem Sanctae Sedis cleri indigenae formatio; ei, novus inter Orientales simul cum ritu labor susceptus, et Pontificium Institutum Orientale ad praesentem floridum statum evectum, itemque Pontificium Collegium Russicum a Sancta Sede Societati commissum; ei, peritis Postulatoribus utique scite adiuto, debetur auctus et fere duplicatus nostrorum Sanctorum et Beatorum numerus; ei, plena totius Instituti recognitio gravi diuturnoque labore parata et in binis Congregationibus Generalibus, quas praeter morem se vivente coëgit et prudentissime direxit, sancita; ei, nova eaque amplissima Instituti approbatio et confirmatio a benevolentissimo Patre Pio XI obtenta; ei, nova « Ratio Studiorum » tandem promulgata; ei, nova Curiae domus et aptior dispositio; ei, novae aedes Pontificiae Universitatis Gregorianae eiusque maior in dies aestimatio qua fulget in Ecclesia Dei; ei, Pontificium Institutum Biblicum magis in dies florens; ei, Institutum Historicum Societatis apud Curiam erectum; et alia id genus bene multa.

Quotquot e Nostris Romam veniebant (et multo frequentiora quam antea fuerunt haec Nostrorum itinera Romana, praesertim ad varios tamque utiles conventus ad opera nostra promovenda) et maxime nos qui ei aderamus, actuosissimum eius studium in bonum Societatis promovendum admirabamur: hoc unum cogitabat, hoc unum avebat, hoc unum spirabat, ut nempe Societas et indemnem servaret genuinum S. P. Ignatii spiritum, et suam in mundo missionem nunc quoque compleret, et ad novas Ecclesiae necessitates apte se pararet. Quod quidem triplex beneficium pro Societate etiam moriens impense a Deo rogabat, ut satis apparet ex tenerrima supplicatione ante SS. Viaticum pronuntiata, de qua iam dictum est in epistola R. P. Vicarii ad R.m V.m die 29 novembris data. Nunc vero ipsa paterna verba tunc prolata, in calce huius epistolae exscri-

pta, cum omnibus Nostris communicare possum; idque non meo nomine sed nomine ipsius Patris Nostri, qui et textum prout ex eius ore collectum fuerat accurate recognoscere voluit et iam in eo erat ut per se ipse ad universam Societatem illa sua verba mitteret, cum, deficientibus viribus, a mittendis litteris iam paratis sed a se nondum approbatis supersedendum esse iussit, totam rem (ait) divinae Providentiae committens, quae disposuit ut Societas illa verba exciperet quasi dilectissimi Patris spirituale quoddam testamentum. Haec autem erat eius mens in iis litteris dictandis: fatebatur nempe se dum sacrum Viaticum sumeret intimos animi sui sensus coram dulcissimo nostro Redemptore cum omni simplicitate effudisse; cumque circa lectulum suum in Patribus et Fratribus Curiae aliisque Nostris, qui ex variis domibus Romanis convenerant, veluti breviatam cerneret imaginem totius Societatis, quo arctius in tam sollemni momento cum ea se coniunctum sentiret, illos suos animi sensus elata voce pandit; et illa verba ideo ad universam Societatem se transmittere velle, ut omnibus dilectissimis filiis suis testimonio essent paterni amoris, quo semper ipsos in Domino esset prosecutus, simulque iis gratum suum animum ostenderent ob preces et vota pro ipso ad Deum oblata.

Post accepta die 28 novembris ultima morientium Sacramenta, de divina Voluntate in se perficienda unice sollicitus, die noctuque animum in Deum intentum habere visus est. Enituit enim toto hoc eius morbi tempore insignis illa simulque simplex et ingenua pietas, quam semper in eo admirati sumus, erga SS. Cor Iesu, erga Beatissimam Virginem, erga S. P. Ignatium aliosque Sanctos Societatis, cuius reliquias apud se habebat; et saepe litanias SS. Cordis, orationem ad Cor Immaculatum B. Mariae Virginis aliasque preces cum Fratre Coadiutore, qui ei semper aderat, recitare vel saltem ab illo recitatas audire et mente sequi exoptabat. Nuper ad Provincias missa est brevis oratio, Indulgentiis ditata pro Nostris tantum, ad pacem et concordiam populorum impetrandam: sciant tamen Societatis filii illam orationem ab ipso Patre Nostro compositam esse dum mense novembri in nosocomio versaretur et saepe ab ipso esse recitatam, ut vel etiam e suorum dolorum lectulo aliquid conferret ad intentiones Summi Pontificis adimplendas; nam, ut omnes

scimus, in Patre Nostro alte omnino insidebat spiritus ille Romanus itemque Ignatianus, quo Summum Pontificem quasi ut Christum in terris degentem veneraretur, eiusque desideria quasi iussa semper haberet. Propterea venerabundus semper de Summo Pontifice loquebatur, eius verba vel privata maximi faciebat, ad eius nutum vel minimum sese accommodare semper paratus. Quoties eum vidimus a colloquio Pontificio redeuntem singulari laetitia perfusum, maxime si Beatissimus Pater, ut saepe contingebat, ei de sua in Societatem benevolentia verba fecisset et signa portendisset! Bini nempe tunc amores, quibus ardebat, simul perbelle iungebantur, Vicarii Christi et Societatis Iesu. Nihil itaque mirum si vicissim tres Pontifices (Benedictus XV, Pius XI, Pius XII), qui eum fidelissimum servum et amantissimum filium semper experti sunt, ipsum magni facerent et paterna prorsus dilectione prosequerentur. Quod quidem nunc palam ostendit Beatissimus Pater Pius XII, qui morientem toties Apostolica Benedictione solatus est, sive recta per telegramma, ut occasione sacri Viatici praestitit, sive per Eminentissimum Cardinalem Maglione missa, qui etiam sua sponte ad illum invisendum durante morbo fere cotidie veniebat (ut fecit etiam paulo antequam in extremum agonem Pater Noster incideret), sive per Nostros Ipsum adeuntes, quibuscum de Patre Nostro summa cum benevolentia verba faciebat; mortuum vero vehementer doluit, pro eius anima Sacrum Ipse fecit, nosque paterne solari dignatus est.

Ut autem, post ea quae de eius morbo in litteris R. P. Schurmans die 29 novembris datis dictum est, ad piam Patris Nostri mortem propius describendam deveniam, postremis hisce hebdomadis, a quocumque cibo sumendo impeditus, saepius tamen (nisi stomachi nausea omnino vetaretur) SS. Viaticum ipsa Viatici formula semper adhibita rursus recipere potuit, ipso quoque die vitae suae ultimo. Interea, deficientibus in dies viribus, et doloribus fere continuis, identidem etiam acerrimis, vexatus, in Christi crucifixi effigiem, saepius etiam brachiis in forma crucis extentis, oculos et animum intendebat, indeque miram illam patientiam et serenitatem hauriebat, quae omnibus eum invisentibus admirationi et aedificationi erat. Atque ita, ablutis si quae erant humanae fragilitatis maculis, ad finem usque, si forte ul-

tima omnino momenta excipias, plene sui compos, adstantibus pluribus Patribus et Fratribus piissime animam Deo reddidit.

Sollemnia funebria in templo SS. Nominis Iesu peragentur die 17 decembris; persolventur autem, ex antiqua fraterna consuetudine, a Rev.mo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, P. Martino Stanislao Gillet, cum suis.

Curet igitur R. V., ut quae in Instituto nostro (Offic. Vicar. n. 2; Epit. n. 854 § 2, 6°) praescribuntur suffragia, id est quinque Missae Romae, tres alibi a nostris Sacerdotibus celebrandae, et totidem Missae, Communiones, Rosarii Coronae a non sacerdotibus offerendae, tempestive indicantur et a singulis persolvantur. Praeterea, ad normam numeri 6[i] decreti 290 Collectionis Decretorum curet, ut officium defunctorum et solemne Sacrum cum exsequiis ubique in nostris templis habeantur; quo die omnes Sacerdotes aliud Sacrum facere et non sacerdotes preces et pia opera respondentia offerre debent; demum, quod gratus animus ac pietas in carissimum Patrem postulat, in suis quisque precibus et sanctis Sacrificiis eiusdem memor esse pergat.

Ad me quod attinet, quandoquidem prorsus ex inopinato et ob nimiam b. m. Patris Nostri in me benevolentiam ad dilectissimam nostram Societatem (quamvis ad tempus) in difficillima hac tempestate regendam vocatus sum, tanto oneri imparem omnino me sentiens, quam maxime possum me et ipsam Societatem omnium Nostrorum precibus commendo, ut quam mediis etiam in tot procellis tantopere auctam et florentem de manibus A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski venerabundus accipio, eam, sin minus maiore in dies prosperitate donatam, saltem incolumem et spiritu incorruptam ad eius successorem transmittere valeam. Hunc autem successorem velint omnes ardenter a Deo petere, ne diu orphani simus: nam, ut perspicuum omnibus est, nunc quidem de Congregatione Generali cogenda cogitari nequit; et propterea prudentissimus Pater Noster, ut iam R.ae V.ae nuntiatum est, ampliores facultates Vicario a Summo Pontifice impetravit; sed assiduis precibus diem accelerare possumus et debemus, quo ad normam nostri Instituti novum caput et Patrem Societas habere possit.

Liceat denique, nomine Societatis, gratias agere R. P. Mauritio Schurmans, qui Patri Nostro ultimis hisce annis tam fide-

lem tamque devotum se praebuit adiutorem, partem haud exiguam in se recipiens ingentis laboris, quem supremum Societatis regimen exigit.

SS. SS. R.ae V.ae me rursus commendo.

Romae, die 14 decembris 1942.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
ALEXIUS AMBROSIUS MAGNI
Vic. Gen. Soc. Iesu.

ORATIO PATRIS NOSTRI ANTE RECEPTIONEM SS.MI VIATICI

(*28 novembris 1942*)

Cor Iesu Sacratissimum, in quo plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitat, per Immaculatum Cor Mariae infinitas gratias ago pro tot beneficiis, quibus per totam vitam meam me cumulare dignatus es.

Ex toto corde meo doleo de innumerabilibus peccatis et negligentiis quibus in vita mea Divinam Maiestatem Tuam offendi; de tot gratiis mihi etiam pro aliis concessis et a me, praesertim tempore generalatus mei, misere pessumdatis; et de his etiam ab universa Societate veniam peto. Velis plenitudinem infinitae Misericordiae Tuae in me manifestare: etenim haec est unicum refugium pro me misero peccatore.

Supplex rogo, ut in filiis Societatis spiritus genuinus crescat et foveatur; ne spiritus mundanus, etiam aliqua ratione mitigatus vel sub specie boni, Societatem penetret et inficiat; sed remaneant omnes « homines mundo crucifixi et quibus mundus est crucifixus », quales S. P. Ignatius per sua admirabilia Exercitia primos Socios efformavit.

Dignare indignissimas preces meas accipere, et Societati universae, Patribus et Fratribus carissimis, benedicere, ut missioni suae etiam nostris temporibus plene satisfacere valeant.

Dignare hanc miseram vitam meam suscipere pro servitio

et exaltatione Sanctae Matris Ecclesiae, pro Summo Tuo Vicario, amantissimo Patre et Duce nostro supremo in terris; pro universa Societate, et peculiari modo pro hac Curia amatissima, cui gratias ago ex toto corde meo, pro caritate et patientia quibus omnes Patres et carissimi Fratres indefesso labore mihi adiutorio semper fuerunt; pro omnibus animabus in terris fidelium et infidelium nobis commissis; pro propinquis, benefactoribus, amicis et inimicis; pro iis qui nunc maxima patiuntur et in periculis animae et corporis sunt constituti.

Veni, Domine Iesu! Pone finem huic terribili flagello. Da pacem, Domine in Tuo SS.mo Nomine! Veni, veni, et exaudi nos!

II. — PRO PROVINCIIS, MISSIONIBUS, DOMIBUS.

72. **2 februarii 1942.**

De parandis processibus in causa martyrii fere 50 Nostrorum a communistis in Hispania pro fide et religione necatorum.

AD OMNES SOCIOS PROVINCIARUM HISPANIAE

REVERENDI PATRES ET FRATRES IN XTO. CARISSIMI,
P. XTI.

Tot inter calamitates et persecutiones, quae Ecclesiam Hispanam per impiorum furores ultimo decennio afflixerunt, non destitit divini Cordis Iesu bonitas, quae magnam gloriam Clero Saeculari atque Ordinibus Religiosis, et nominatim nostrae Societati peramanter paravit in praeclaris coronis tot Servorum Dei, qui ex odio fidei victimae impiorum hominum occubuere.

Quare, vix rerum ordine restituto, curavimus ut diligenter omnia circa Nostrorum martyrium testimonia et documenta colligerentur, quae forte utilia erunt ut aliquando, Deo favente, horum Servorum Dei processus fieri possint.

Quamobrem ex consensu PP. Provincialium designatus fuit P. Franciscus Xaverius Montalbán (1), qui rem urgeret instaretque ut Patres in singulis Provinciis huiusmodi documenta strenue quaererent.

Qui labor per duos continuos annos diligenter et fructuose exactus est, et, quamvis Hispana persecutio fere semper clandestine victimas exquirebat necabatque, tamen non omnia latere potuerunt, nec desunt egregia quaedam de nostris victimis documenta martyrii, ita ut merito sperari possit ut per aptos testes pro bene multis occisis ad mentem Ecclesiae demonstrari queat non solum causa mortis ipsaque mors, sed etiam eorum martyrii acceptatio et in hac heroica voluntatis dispositione perseverantia usque ad mortem et in ipsa morte.

Quapropter hisce diebus Romam accitus est P. Montalbán, ut

(1) Ex Prov. Castell.; Prof. hist. eccl. et patrol. in Coll. Max. Onien.

cum P. Postulatore Generali harum causarum boni exitus probabilitas et iuridicae instituendae inquisitionis potior methodus omni ex parte discuteretur. In seligendis autem causis criterium quod dicunt « obiectivum » adhibitum est, attentis solummodo documentis et testimoniis quae nobis praesto sunt, ac praetermissis quibuscumque privatorum studiis erga hunc vel illum occisum, cuius gloria quidem apud Deum maior fortasse est, inopia vero illorum documentorum, quae Sacra Congregatio exigere solet, nocumento esse posset communi ceterorum causae.

His prae oculis habitis, visum est fere quinquaginta Nostrorum causas cum probabilitate nunc inchoari posse, simulque ratio statuta est procedendi in constructione processuum. Quae omnia, adhibito etiam ad consilium R. P. Assistente Hispaniae, libenter probavi.

Sub directione igitur P. Francisci Xaverii Montalbán, hac in re Vice-Postulatoris generalis, singuli pro singulis dioecesibus designandi PP. Vice-Postulatores causam quisque suam agent in sequentibus Dioecesibus: Almeriensi, Barcinonensi, Carthaginensi, Cluniensi, Derthusensi, Gerundensi, Malacitana, Matritensi, Ovetensi, Pacensi, Santanderiensi, Tarraconensi, Toletana, Valentina, Vicensi.

Quoniam opus grande est, ex eoque magna Dei gloria promanare et, cum in totam Assistentiam caelestis favor, tum in Ecclesiam haud parvus honor redundare potest, non dubito quin cuncti Socii pro suo quisque modulo tum prece tum opere adlaboret ductu PP. Provincialium, qui in primis aptos Patres eligent, qui sub directione Vice-Postulatoris generalis processus rite et strenue gerant.

Praeterea neminem latet hunc tam amplum processum magnas expensas requirere: quare rogantur Patres, praesertim Operarii, ut suaviter fideles moveant, qui ad hanc causam eleemosynas largiantur.

Omnes denique Patres Fratresque ut pro re adeo Domino Nostro grata fervidas preces ad Deum effundant, ut divina Bonitas suos invictos Servos glorificare dignetur, enixe adhortor.

Commendo me vestris sanctis Sacrificiis et precibus.

Romae, die 2 februarii 1942
in festo Purificationis B. V. M.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu

73. **7 februarii 1942.**

De narrandis religiosis gestis nostrorum Capellanorum Militum in Italia.

AI RR. PP. PROVINCIALI D'ITALIA

REVERENDO IN XTO. PADRE, *Roma*, 7 febbraio 1942.
P. XTI.

Da quello che è stato riferito a me direttamente, da ciò che sento dire e talvolta ho visto sfogliando le riviste pei benefattori delle singole Provincie, ho avuto sempre tanto da edificarmi dell'opera dei nostri buoni Cappellani Militari. Sarebbe davvero un peccato che tante notizie edificanti si perdessero, mentre potrebbero servire per la comune edificazione e per far conoscere molto utilmente in avvenire quanto anche noi abbiamo fatto per il bene della Chiesa ed anche della Patria; senza contare la bella apologia che riuscirebbe il mostrare coi fatti quanto profondamente regni lo spirito cristiano nel popolo, e nell'esercito italiano. Sarebbe quindi bene raccogliere queste relazioni pubbliche e private in ogni Provincia che potranno poi servire per qualche pubblicazione comune a tutte le Provincie d'Italia.

In unione de' ss. SS.

di V. R.
Servo in Xto.
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

74. **22 februarii 1942.**

Duae lucubrationes ad Rectores Collegiorum NN. theologiae et philosophiae mittuntur de rite intelligenda Ecclesiae mente in illis studiis.

AD PP. RECTORES COLLEGIORUM NN.
THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Mitto R. Vae. duas elucubrationes [1] quae ad rite intelligendam mentem Ecclesiae in studiis philosophicis et theologicis tum

[1] Eae paulo longiores sunt, quam ut possint commode in hoc nostro fasciculo exscribi.

Professoribus tum discipulis valde utiles esse possunt. Prima de Constitutione Apostolica « Deus scientiarum Dominus » quae a P. Augustino Bea Rectore Pont. Instituti Biblici conscripta ab Emmo. Cardinali Praefecto S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus in manuscripto lecta et approbata fuit, ita ut certi esse possimus eam rectam interpretationem Constitutionis Apostolicae continere. Velit igitur R. Va. curare, ut studia ea ratione quae a Patre Bea tam clare exponitur disponantur. Tunc multa incommoda quae ex falsa interpretatione Constitutionis Apostolicae oriebantur plene evanescent et solidum studium philosophiae et theologiae scholasticae valide promovebitur.

Altera, auctore P. Paulo Dezza Rectore Pont. Universitatis Gregorianae, praesertim Scholasticis valde utilis erit cum ex ea videatur quanti momenti etiam nostris temporibus sit philosophia scholastica et qua ratione ea uti debeamus ad iudicium ferendum de modernis theoriis philosophicis.

Poterunt hae elucubrationes etiam in alias linguas verti et publici iuris fieri, nulla mentione facta Emmi. Cardinalis Praefecti.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 22 februarii 1942.

Rae. Vae.
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu

75. **25 februarii 1942.**

De usu cinematographi in Collegiis Assistentiae Italiae.

AI RR. PP. PROVINCIALI D'ITALIA

Roma, 25 febbraio 1942.

REVERENDO IN XTO. PADRE
P. XTI.

Da diversi Collegi mi sono stati sovente chiesti indirizzi e suggerimenti circa le rappresentazioni cinematografiche. Credo pertanto conveniente dare alcune norme direttive.

Innanzi tutto sembra difficile che si possa sopprimere interamente il cinematografo nei nostri Collegi, mentre ormai esso è in uso in tutte le scuole, come mezzo di cultura e di onesto sollievo.

Possiamo però e dobbiamo esigere, come ho ripetuto altre volte, che ogni pellicola sia riveduta e censurata da un Padre grave e di buon giudizio e mai se ne lasci la cura ad uno Scolastico; di ciò i Superiori ne hanno gravemente onerata la coscienza. Inoltre bisogna scegliere, per quanto è possibile, filmi istruttivi che, oggi soprattutto, non mancano. Si debbono invece escludere assolutamente i soggetti erotici e passionali, giacchè questi non possono che nuocere ai nostri giovani. Nè vale il dire che di tali soggetti i nostri giovani ne possono vedere quanti ne vogliono altrove; giacchè ognuno vede quanto più grande danno certe cose possono arrecare, quando sono presentate dagli stessi Padri, i quali così par quasi che le coonestino. Se si terranno presenti queste norme, giova sperare che il cinema non riuscirà nocivo, ma anzi potrà avere la sua utilità.

Resta a dare una chiara norma per l'assistenza dei Nostri a queste rappresentazioni cinematografiche.

Il cinema nei Collegi è una cosa esclusivamente per gli alunni, interni od esterni e le loro famiglie. Il P. Provinciale quindi stabilisca, ed il P. Rettore ne esiga la esecuzione, che a questi spettacoli soltanto quei Padri e Maestri assistano, la cui opera è necessaria per la debita sorveglianza morale e disciplinare, e non altri, eccezion fatta per qualche filme religioso, a giudizio dei Superiori.

In unione de' ss. SS.

di V. R.
Servo in Xto.
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

76. **7 martii 1942.**

Epistola, Instructionis instar, de ratione habendi menstruas et publicas disputationes.

AD RECTOREM PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Volo equidem R. Vae. iterum testari plenam meam satisfactionem de felici exitu recentis disputationis publicae, cui tam libenter adfui die 19 ianuarii in ista Universitate, et meum exprimere gau-

dium de soliditate doctrinae tunc exhibita ac de methodo scholastica servata, ad mentem Constitutionis Apostolicae « Deus Scientiarum Dominus » et Statutorum Universitatis Gregorianae.

Opportunum tamen mihi videtur R. Vae. aliqua indicare puncta, quae conferre poterunt, ut huiusmodi disputationes uberiores adhuc fructus afferant:

1. - *a*) In disputatione paranda multum ad hoc attendendum est ut, ratione etiam habita modernorum errorum, solidae proponantur difficultates quae dein in ipsa concertatione scite urgeantur ac recte solvantur. Etiam hic valet: non multa sed multum. Omnino curandum est, ne a vi difficultatis recedatur, sed ut magis magisque in ipsam thesis naturam intretur. In fine tamen providendum est, ne difficultates insolutae relinquantur, sed eas Professor, nisi ab aliis iam recte solutae fuerint, ipse breviter explicet ac solvat et quid de re tenendum sit, declaret.

b) Pro unaquaque oppugnatione concedatur secundum veterem praxim dimidia circiter hora; ita ut difficultates ab opponente plane explicari atque urgeri et etiam Professores in fine dubia vel difficultates proponere possint.

c) Oppugnantes non legendo, sed e memoria difficultates proferant (quas tamen scripto confectas secum ferre possunt) itemque eas urgeant ac subsumant, ut in pari sint condicione ac defendens. Nam libera disputatio maiorem in concertatione vitam afferre et audientium studium augere solet. Per se patet non licere difficultates cum defendente in antecessum communicare.

2. - Defendens, postquam obiectionem fideliter et accurate repetivit, breviter in forma respondeat, afferendo, si datur locus, tales distinctiones, quae non mera sint verborum inania ioca, sed difficultatis centrum tangant. Quando ad meliorem rei explicationem vel illustrationem conveniens esse videbitur, earum brevem ac concinnam det explicationem, ut oppugnans responsionem recte intelligere possit et uterque in difficultate urgenda et solvenda remaneat. Ita uterque et scientiae et sagacitatis specimen dare poterit et disputatio omnibus fiet fructuosior (Cfr. R. St. nn. 104-108).

3. - Ut momentum disputationis in ipsam concertationem, ut necesse est, reducatur, et disputationi tempus necessarium praesto sit, conveniet dissertationem tempore disputationi quae dicitur menstrua assignato omittere. Attamen defendens secundum antiquum usum initio singularum concertationum thesim ad defensionem propositam breviter et dilucide exponat et probet.

4. - Secundum antiquas traditiones cum ad defendendum tum ad arguendum optimi discipuli seligantur, qui in arte disputandi

iam sint exercitati. Quem in finem curandum erit, ut in Collegiis, quae alumnos ad Universitatem mittunt, sub ductu apti Repetitoris, disputationes hebdomadales rite instituantur.

5. - Aula disputationi publicae destinata numero assistentium sit proportionata.

6. - Cum nunc quaestiones Philosophiae et Theologiae scholasticae laicorum quoque cultiorum mentes rursus teneant, optandum est, ut, quemadmodum olim fiebat, etiam aliquot externi vel laici professores pro rerum disputandarum natura invitentur.

Quae omnia si fideliter servata fuerint, disputationes menstruae non solum auditoribus Universitatis magnam utilitatem afferent, sed etiam salutarem influxum in alias Universitates exercebunt et ad progressum scientiae haud parum conferre poterunt.

Commendo me ss. SS.

Romae, die festo S. Thomae Aquinatis, 7 martii 1942.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu

R. P. PAULO DEZZA
Rect. Pont. Univ. Greg. - Roma.

77. **14 aprilis 1942.**

Epistola gratulatoria pro rebus praeclare gestis in Missione Shanghaiensi (Prov. Franc.) hoc primo saeculo ab ea condita.

Rome, le 14 avril 1942.

MON RÉVÉREND PÈRE,
P. XTI.

La Mission de Shanghai doit célébrer cette année en union avec la Province de France son premier centenaire. C'est l'usage en semblable occurrence de faire sous le regard de Dieu un retour sur le passé, de se souvenir de tant de grâces reçues, des travaux accomplis pour étendre le Règne de Dieu, des épreuves endurées et des résultats obtenus dans l'évangélisation des âmes. Cette rapide revue sera pour vous l'occasion de proclamer bien haut votre reconnaissance envers la Providence paternelle de Dieu qui a béni d'une façon si manifeste l'apostolat exercé par vos prédécesseurs et par vous dans le Kiang-nan.

Ce serait pour moi une consolation de m'étendre longuement sur un sujet si réconfortant. Mais les circonstances ne le permettent pas. Je vous dirai du moins en peu de mots de quel coeur paternel je m'associerai à vos fêtes du Centenaire et tout spécialement à vos actions de grâces.

Une grande et belle oeuvre apostolique, a été accomplie dans la Mission pendant ce siècle. C'est d'abord l'évangélisation des âmes, entreprise et conduite sous la direction éclairée de vos Vicaires Apostoliques: travail de confirmation dans la Foi et de sanctification auprès des anciens chrétiens, travail de conquête parmi une nombreuse population ignorante de la Religion Catholique. Cette oeuvre de longue patience et de sacrifices continuels qui pour plusieurs ont été, récemment encore, jusqu'au don de leur sang, cette oeuvre de zèle infatigable au milieu de tant d'obstacles et d'épreuves a obtenu un succès si réel qu'elle a permis au Saint-Siège de fonder successivement sur le territoire du Kiang-nan plusieurs Vicariats confiés à nos Pères des Provinces de Turin, de Castille, de Léon, du Canada Inférieur et sans doute bientôt de Californie.

C'est aussi un honneur pour la Mission d'avoir dès le début compris l'importance du Clergé indigène, d'avoir fondé des Séminaires et formé peu à peu un Clergé instruit et zèlé. En répondant aux directions des Souverains Pontifes, elle a rendu possible la fondation de deux Vicariats indigènes.

Tout en poursuivant l'oeuvre d'évangélisation de la Mission, vous vous êtes orientés vers un apostolat destiné à atteindre les Chinois plus cultivés. Vous avez fondé des oeuvres d'éducation comme les Collèges et l'Université « l'Aurore », des oeuvres scientifiques si importantes comme les Observatoires et le Musée d'Histoire Naturelle, des oeuvres de Presse. Là encore vous avez suivi les directions de la Sainte Eglise. La formation intellectuelle et religieuse donnée à vos élèves a procuré à la Chine des hommes de valeur et à la Sainte Eglise des apôtres de l'Action Catholique.

Tout ce bien ce sont les Missionnaires qui l'ont réalisé, mais ils n'ont pu le faire que grâce à la générosité de votre Province qui a envoyé dans la Mission les hommes, les aumônes: toutes les ressources nécessaires pour accomplir une oeuvre aussi importante pour la plus grande gloire de Dieu.

En envoyant à la Mission et à la Province mes félicitations paternelles je tiens à les étendre à toutes ces Congrégations Religieuses d'hommes et de femmes qui ont été vos dévoués auxiliaires dans les oeuvres d'éducation et de charité et dans l'évangélisation des âmes.

En ces fêtes du Centenaire vous ne vous contenterez pas de vous souvenir des dons de Dieu et de L'en remercier, vous tournerez aussi vos regards vers l'avenir, l'avenir qui dans le monde entier est actuellement si plein de mystère et de menaces. Vous l'envisagerez avec une invincible confiance dans la Providence divine qui continuera à vous protéger et à vous aider comme Elle l'a toujours fait jusqu'ici.

Soyez assuré, mon Révérend Père, que je prierai de grand coeur pour la Mission et la Province, pour votre vénéré Vicaire Apostolique, Mgr Haouisée, pour vous et tous les Missionnaires. J'offrirai ces prières au Coeur de N. S. par l'entremise de Notre-Dame de Zô-sè, la Vierge Auxiliatrice qui a toujours étendu sur la Mission sa maternelle protection. Je leur demanderai instamment de vous combler tous, vous et vos oeuvres, de leurs meilleures grâces et bénédictions. Pour rendre mes prières plus efficaces j'appliquerai pour la Mission en ces fêtes jubilaires 300 Saintes Messes.

Je me recommande à vos SS. Sacrifices.

De V. R. le serviteur en N. S.,
WLADIMIR LEDÓCHOWSKI
Prép. Gén. d. la C. d. J.

R. P. YVES HENRY
Shanghai.

78. **1 maii 1942.**

De adoratione SS. Sacramenti ab omnibus Nostris Romae degentibus pro Summo Pontifice simul habenda.

AI SUPERIORI DELLE CASE DI ROMA

Roma, 1 maggio 1942.

REVERENDO IN XTO. PADRE,
P. XTI.

Per il Giubileo episcopale del S. P. Pio XII, oltre quello che ho indicato per tutta la Compagnia nella lettera del 22 febbraio scorso, credo opportuno che qui a Roma si faccia dai Nostri qualche pio esercizio in comune per unirci più intimamente alle preghiere che in tutta la Chiesa si inalzeranno in quei giorni al Signore per l'augusta persona del Vicario di Cristo.

Pertanto desidero che tutti i Padri e Fratelli delle Case di Roma,

che non siano impediti, si radunino nella chiesa del Gesù la Domenica 17 maggio per le ore 17: si farà tutti insieme un'ora di adorazione al SS. Sacramento, e si chiuderà col Te Deum e la Benedizione Eucaristica.

Voglia il Signore esaudire le nostre filiali suppliche e concedere al Santo Padre tutto quello che il suo cuore paterno desidera, specialmente la tanto sospirata pace nella giustizia e nella carità.

In unione de' ss. SS.

Di V. R. Servo in Xto.
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

79. **18 maii 1942.**

Nostri Professores Belgae Pont. Sem. Kandiensis in Miss. Gall. (Prov. Neap.) declarantur ad suae quisque Provinciae Missionem pertinere.

Rome, le 18 mai, 1942.

MON RÉVÉREND PÈRE,
P. XTI.

Dans votre lettre du 11 mars dernier, vous m'exposiez le cas des Professeurs belges du Séminaire de Kandy, demandant à quelle Mission ils devaient être censés appartenir, à Calcutta ou Ranchi, ou à Galle. Vous référant au décret 43, II de la XXVIII[e] Congrégation générale (A. R. 1938 p. 44) et au décret du 26 mai 1939 par lequel la Mission de Galle fut transférée à la Province de Naples (A. R. 1939 pp. 414 sq.), vous faisiez remarquer que ces documents ne semblaient pas justifier une conclusion dans l'un ou dans l'autre sens, et vous me demandiez de trancher le doute par une déclaration officielle.

De fait, nous nous trouvons ici devant un cas particulier que les textes cités ne couvrent pas exactement. Or, puisqu'il est très souhaitable que nos Professeurs dans les Collèges et Séminaires de Missions soient vraiment « missionnaires » en appartenant à une Mission, et que d'autre part il y a de bonnes raisons que les Professeurs belges de Kandy appartiennent, non pas à la Mission de Galle, mais à la Mission indienne de leurs Provinces respectives, je déclare que les Professeurs du Séminaire de Kandy de la Province Belge Méridionale appartiennent à la Mission de Calcutta et

ceux de la Province Belge Septentrionale à la Mission de Ranchi, sans être appliqués à la Mission de Galle, étant Professeurs dans une Maison commune à toutes nos Missions des Indes et de Ceylan. Cependant, pour eux aussi compte ce qui fut dit au n. 2 du décret du 26 mai 1939, qu'ils ne peuvent être enlevés au Séminaire sans le consentement mutuel des Supérieurs que cela concerne.

Je me recommande à vos saints Sacrifices et prières.

Votre serviteur en J. C.,
WLADIMIR LEDÓCHOWSKI
Prép. Gén. d. C. d. J.

R. P. J. B. MOYERSOEN
Visit. Miss. Ind.

80. **20 maii 1942.**

Gratulatio A. R. Patris Nostri, anno centesimo recurrente a reditu Societatis in Canadam.

AD PRAEPOSITUM PROVINCIAE CANADAE INFERIORIS

Romae, 20 maii 1942.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Postquam audivi, die 31 huius mensis maii centesimum occurrere anniversarium reditus Patrum Societatis in regionem Canadensem, statim rogavi ut Summus Pontifex vobis vestrisque operibus suam benedictionem mittere dignaretur. Spero meum quoque telegramma tempestive ad vos esse perventurum. Hac tanta die intime vobiscum unitus ero et etiam in sancto Missae Sacrificio quod pro vobis offeram, Deo gratias agam pro innumerabilibus beneficiis quibus hoc durante saeculo abunde vos cumulavit et divinae Bonitati supplicabo, ut vos sanctitate et numero crescere faciat et aptissima evadatis instrumenta ad promovendam maiorem Dei gloriam et bonum animarum. Faxit etiam misericors Deus ut occasione huius vestri anniversarii nova vitae nostrae renovatio in omnibus eluceat, quo fidelius in dies secundum nostrum Institutum et sanctas nostras traditiones procedatis, quod nuper etiam Summus Pontifex mihi enixe commendavit dicens « sint ut sunt ». Hac profecto via vel nostris temporibus insigni fructu laborare

poteritis in vinea Domini ad Regnum Christi diffundendum et dilatandum.

Quo autem efficacius id obtinere possitis, obtuli hac intentione 300 Missas.

Commendo me ss. SS.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu

R. P. AEMILIO PAPILLON
Praep. Prov. Can. Inf.

81. 31 maii 1942.

A. R. Pater Noster omnibus domibus Assistentiae Italiae volumen « La Compagnia di Gesù e le scienze sacre » dono mittit.

AI PREPOSITI PROVINCIALI E SUPERIORI LOCALI DELL'ASSISTENZA D'ITALIA

Roma, 31 maggio 1942.

REVERENDO IN XTO. PADRE,
P. XTI.

Per venerato incarico del M. R. Padre Nostro Generale, faccio spedire a V. R. una copia del libro « La Compagnia di Gesù e le Scienze sacre » edito dalla Pont. Università Gregoriana, il quale contiene le Conferenze commemorative del nostro IV Centenario tenutesi nella stessa Università nel novembre scorso.

V. R. e i Suoi ricevano questo volume come un altro piccolo dono del P. Generale, allo stesso modo e allo stesso scopo che da Nostro Padre medesimo Le furono già indicati nella lettera dell'11 ottobre 1941, con la quale si accompagnava il volume delle Conferenze commemorative di Milano (Acta Rom. vol. X, 1941, pp. 279 sq.), di cui questo è quasi un complemento.

In unione de' ss. SS.

Di V. R. Servo in Xto.
LUDOVICO DUMOULIN
Segr. d. C. d. G.

82. **10 augusti 1942.**

Omnes Assistentiae Italiae domus invitantur ad instaurandam una cum Curia Societatis consecrationem Immaculato Cordi B. Mariae V.

AI RR. PP. SUPERIORI DELLE CASE D'ITALIA

Roma, 10 agosto 1942.

REVERENDO IN XTO. PADRE,
P. XTI.

Per impetrare dal Signore delle misericordie grazie abbondanti, delle quali abbiamo adesso più che mai bisogno, rinnoveremo il 19 di questo mese nella nostra Curia la consacrazione della Compagnia al Purissimo Cuore di Maria (1). Prego che tutte le Case dell'Assistenza d'Italia si uniscano a noi in questa rinnovata consacrazione anche in riparazione delle ingiurie fatte al Cuore Immacolato di Maria e per la salvezza di tante anime esposte ai più gravi pericoli.

In unione dei ss. SS.

Di V. R. Servo in Xto.
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

83. **30 septembris 1942.**

Commendatur saltem maioribus nostris bibliothecis, ut sibi prospiciant recens opus « Fonti Ricciane ».

AD ALIQUOT PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Romae, 30 septembris 1942.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Nuper prodiit, auspice Regia Academia Italica, primum volumen editionis nationalis omnium Operum magni illius nostri Mis-

(1) Ea consecratio iussa est fieri in diem 5 decembris 1884 a tota Societate ex decreto 46 Congregationis Generalis XXIII, cuius verba haec sunt: « ... Societas quemadmodum sollemniter Sacratissimo Cordi Iesu se totam devovit ac sacravit, sic etiam sollemniter se totam devoveat ac sacret SS. Cordi B. Mariae Virginis, quam semper ut dulcissimam Matrem coluit, colit ac colet ».

sionarii P. Matthaei Ricci, tituto « Fonti Ricciane » (1), cura et studio P. Paschalis D'Elia, Decani Facultatis Missiologiae in Pont. Universitate Gregoriana. Ponderosum hoc volumen (pagg. CLXXXVII-386) perbelle excusum, post amplam editoris praefationem, continet tres primos libros operis « Storia dell'introduzione del Cristianesimo in Cina », quod iam latine proderat saeculo XVII, et, in textu authentico italico primum editum erat a P. Tacchi Venturi anno 1910; sed nunc novis curis exploratum et amplioribus notis illustratum. Reliquos autem libros huius historiae volumen alterum continebit, quod mox edetur; alia dein sex septemve volumina epistolas, opera scientifica, religiosa etc. exhibebunt.

Cum deceret prorsus ut Societas sibi reciperet congruam eorum copiam, ne huiusmodi volumina deessent in maioribus bibliothecis nostris, Pater Noster quinquaginta ex iis acquisivit, quae nunc a Provinciis apud nos peti possunt, singula pretio deminuto 250 libellarum italicarum. Ipsa vero volumina mittentur statim ac pro variis regionibus rerum condiciones permittent.

Velit igitur R. V. mihi significare num aliqua exemplaria sibi mittenda exoptet.

Commendo me ss. SS.

Rae. Vae. Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu

84. 17 decembris 1942.

R. P. Mauritio Schurmans (Prov. Belg. Sept.) aguntur gratiae pro officio Vicarii Generalis A. R. Patris Nostri optime obito.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Desideratissimo Patre Nostro in spem beatae resurrectionis pie deposito, meus et PP. Assistentium animus gratus sese convertit ad R.m V.m, quae eidem Patri Nostro in eius operosissima senectute per hoc ultimum fere quinquennium sollers et fidelis astitit administer et validus adiutor.

R.ae V.ae itaque ex corde plurimas referimus gratias nomine totius Societatis, quae in sua historia nomen R.ae V.ae grata so-

(1) V. supra, pag. 416.

ciabit glorioso nomini A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski cuius sane memoria apud nos in benedictione erit in aevum.

Pro certo habemus ipsum dilectissimum Patrem, quem deflemus, nobiscum de caelo gratias agere carissimo suo Vicario, eique etiam in posterum esse benedicturum, ut diu multumque in bonum Societatis laborare valeat ad maiorem Dei gloriam.

In signum nostri grati animi et ad divinam gratiam in R.am V.am uberius impetrandam, 200 ss. Missas ad mentem R.ae V.ae applicabo.

Commendo de ss. SS.

Romae, die 17 decembris 1942.

R.ae V.ae Servus in Xto.
ALEXIUS A. MAGNI
Vic. Gen. Soc. Iesu

R. P. MAURITIO SCHURMANS
Roma.

III. — PRO EXTERNIS.

Litterae quaedam Postulatoriae

85. **20 maii 1942.**

De resumenda causa canonizationis B. Philippinae Duchesne V. ex Instit. SS. Cord.

AD SUMMUM PONTIFICEM

BEATISSIME PATER,

Cum hinc illinc haud temere pervulgetur rumor de novis miraculis, quae putantur, a Deo per intercessionem Beatae Philippinae Duchesne Virginis, ex Instituto a SS. Corde, recens patratis, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus demisse rogo ut Commissionem Reassumptionis eius Causae benigne signare dignetur in ordinem ad Canonizationem.

Id autem eo libentius petere satago, quod Societas Iesu gratissimam semper custodit memoriam tot tantorumque beneficiorum sibi a Beata Philippina praestitorum in arduis initiis suarum Missionum Americae septentrionalis maxime in Statu Ludoviciano (1), necnon insignis pietatis qua eadem Beata ferebatur erga Sanctos Societatis, praesertim erga S. Ignatium, cuius ascesim plurimi aestimabat eaque assidue utebatur, et erga Sanctos Franciscum Xave-

(1) Nomine Status Ludoviciani non intellegitur hic urbs S. Ludovici in Provincia Missouriana, sed territorium « Luisiana » appellatum, quod tunc valde extensum erat et nondum divisum nec in Status Foederatos cooptatum. Anno porro 1823 aliquot Novicii nostri e Flandria, qui, pulsi ex patria a Friderico Gulielmo de Nassau navigarant cum P. Carolo Van Quickenborn in Americam, relicto Georgetown, venerunt pedites usque Fleurissant in Missouri, vocati ab Episcopo Dubourg et a Beata Duchesne. Haec extremam egestatem nostrorum Noviciorum miserita emendicabat ostiatim a divitibus necessaria pro illis exulibus. Ita coepit nostra Domus Probationis Florissantensis (Prov. Missour.), quae adhuc exstat ac floret.

rium et Ioannem Franciscum Regis, quorum exempla studiose aemulari contendebat.

Et Deus ...

Romae, die 20 maii 1942.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu

86. 31 iulii 1942.

De introducenda causa beatificationis SS. D. Matthaei Planchat e Congr. Frat. a S. Vinc. de Paul. et Soc. MM. e Congr. SS. Cord. I. et M.

AD SUMMUM PONTIFICEM

BEATISSIME PATER,

Praepositus Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter postulat ut Sanctitas Vestra Commissionem Introductionis Causae Servorum Dei Matthaei Planchat, Congregationis Fratrum a S. Vincentio a Paulo, Ladislai Radigue, Polycarpi Tuffier, Marcellini Rouchouze et Frezal Tardieu, Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae subsignare dignetur.

Ii enim sunt Christi pugiles qui cum P. Petro Olivaint aliisque quattuor nostrae Societatis Sacerdotibus in passione soc'i, impiorum Communistarum victimae, Parisiis vitam pro Christo profuderunt a. 1871, et sanguine suo non solum supremum Deo amoris testimonium dederunt, sed etiam unionem caritatis clerum inter saecularem et regularem et diversorum Ordinum inter se mirifice coagmentarunt.

Verum huic domesticae rationi et aliud universalius accedit postulandi argumentum, scilicet bonum quod speratur ex horum omnium SS. Dei glorificatione cunctis Christifidelibus proventurum, quibus, turbulentissimis hisce temporibus haud raro in eodem discrimine constitutis, ad certandum strenue pro fide eamque sanguine confirmandam in recentioribus quoque Martyribus validiora exempla et patrocinia suppeditari videntur.

Sacros Beatitudinis Vestrae Pedes humiliter deosculans Apostolicam implorat Benedictionem

Romae, die 31 iulii a. 1942,
in festo S. P. Ignatii

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu

87. 15 augusti 1942.

De extendendo ad totam Ecclesiam festo S. Petri Fourier e Congr. Canonic. Regul. S. Aug.

AD SUMMUM PONTIFICEM

Beatissime Pater,

Quod Missa et Officium S. Petri Fourier, Parochi, Reformatoris Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini et Institutoris Sanctimonialium eiusdem Ordinis, ad totam extendatur Ecclesiam, pergratum erit nostrae minimae Societati, tum ob motiva universalioris boni, petita praesertim ab eius munere parochi regularis, unde post huiusmodi extensionem eius praeclara exempla innumeris per Orbem regularibus proponerentur, qui eodem funguntur munere in cura animarum, cum ob peculiares nostrae familiae rationes, et praecipue quia Sanctus ille vir artissimo erga Societatem amore continenter fuit devinctus. Fuit enim in scholis Societatis ad complures annos alumnus, quibus humanitati, rethoricae, philosophiae et theologiae in nostra Pontimussensi Universitate operam dedit; cum vero parochum Mataincouriae ageret, Societatis nostrae Novicios, illuc ceu peregrinos advenientes, non solum velut Angelos venerabundus excipiebat, sed eos ad aegrotos fidenter ducebat ut eis benedicerent, et, si quando Deus ob ipsius merita aegrotos senaret, Noviciorum precibus sanationes tribuebat. Quin immo, dum Constitutiones a se conditi Instituti exarabat, eo usque amorem et venerationem erga Societatem deduxit, ut vel atramentum e nostra domo usurpare vellet, ut propius inde Societatis spiritum haurire sibi videretur.

Quare ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humiliter hanc porrigo petitionem, ut, si ita in Domino pro universalis Ecclesiae profectu Sanctitati Vestrae videbitur, festum S. Petri Fourier ad universam extendatur Ecclesiam.

Et Deus etc.

Romae, d. 15 augusti 1942

Wlodimirus Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Iesu

88. 8 septembris 1942.

De introducenda causa beatificationis S. D. Iosephi Marello Episc. Aquens.

AD SUMMUM PONTIFICEM

BEATISSIMO PADRE,

La benemerita Congregazione degli Oblati di S. Giuseppe di Asti affretta col più vivo desiderio il giorno auspicato in cui venga ufficialmente riconosciuto dalla Santa Sede la santità del suo venerato Fondatore il Servo di Dio Mons. Giuseppe Marello, Vescovo di Acqui, che allo zelo pastorale unì sempre una intensa vita interiore di unione con Dio, una modestia angelica, una carità paterna verso tutti i miseri, una profonda e sincera umiltà e tutte quelle virtù che, come lo fecero definire da Leone XIII « una perla di Vescovo » così gli conciliarono vivo e morto la fama di santo.

Essendo ormai terminati i Processi ordinari, prostrato al bacio del sacro Piede di Vostra Santità supplico umilmente la stessa Santità Vostra che voglia degnarsi di segnare del Suo augusto Nome la Commissione dell'Introduzione della causa. E ciò chiedo tanto più volontieri in quanto che il Servo di Dio Mons. Giuseppe Marello professò sempre la più alta stima per il nostro Ordine e la più viva devozione ai nostri Santi giovani Luigi, Giovanni e Stanislao, e in particolare al nostro Fondatore S. Ignazio, fino a dire che da lui e dalla sua Compagnia aveva preso lo spunto e l'idea per la sua nuova Congregazione.

Che della grazia ...

Roma, 8 settembre 1942, festa della Natività di Maria SS.

WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

89. 25 octobris 1942.

De introducenda causa beatificationis S. D. Iosephi Toniolo, Prof. Universitatis Pisanae in Italia.

AD SUMMUM PONTIFICEM

BEATISSIMO PADRE,

Fra le eminenti figure dei tempi moderni, ammirabili per santità e per sapere, quella del Prof. Giuseppe Toniolo dell'Università

di Pisa, si conquistò vivente una posizione tutta speciale, non solo per il fulgore dell'ingegno ma più per la pratica della virtù che lo rese venerato da parte di uomini di ogni ceto e condizione; ond'è che, all'annunzio che di lui si promoveva la Causa di Beatificazione e Canonizzazione, molti esultarono nella certezza che, con la sua elevazione agli altari, una stella di notevole grandezza verrà a rifulgere nel cielo della Chiesa Cattolica, madre di Santi.

A questa universale esultanza, con convinzione profonda, mi permetto di associarmi anch'io e di esprimere, con la presente istanza, anche i miei umili voti, ben sapendo quanto, con gli scritti e con la parola, con l'insegnamento della cattedra e con la predica dell'esempio, Giuseppe Toniolo abbia contribuito a quell'azione sociale cristiana che, in tempi eccezionalmente difficili, apparve come mezzo efficacissimo per salvare le anime, esaltare la Chiesa e il Pontificato e dar gloria a Dio.

E lo faccio tanto più volentieri in quanto che il Servo di Dio ha sempre onorato la Compagnia di Gesù della sua stima e del suo affetto, e si mantenne sempre in stretti e cordiali rapporti con gli eminenti sociologi della Compagnia che fiorirono al suo tempo, nominatamente col P. Antonio Pavissich e altri Padri della « Civiltà Cattolica ».

Oso pertanto supplicare la Santità Vostra, perchè voglia degnarsi di disporre l'Introduzione ufficiale della causa del Servo di Dio Prof. Giuseppe Toniolo.

Prostrato al bacio del Sacro Piede, mi professo, chiedendo l'Apostolica Benedizione

Roma, nella festa di G. C. Re, 25 ottobre 1942

della Santità Vostra
ultimo figlio
MAURIZIO SCHURMANS S. I.
Vic. Gen.

90. 21 novembris 1942.

De introducenda causa beatificationis S. D. Mariae Theresiae Scherer, e Sor. a S. Cruc. (Ingenbohl).

ALLA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE PIO PAPA XII

BEATISSIMO PADRE,

Sapendo che verrà prossimamente sottoposta all'augusta approvazione di Vostra Santità l'Introduzione della Causa di Beatificazione della Serva di Dio Madre Maria Teresa Scherer, Confondatrice e prima Superiora Generale delle Suore di Carità della S. Croce di Ingenbohl (Svizzera), oso unirmi alle tante suppliche che vengono rivolte alla Santità Vostra e chiederVi umilmente, anche a nome di tutta la Compagnia di Gesù, di voler con questo atto quanto prima aprire a questa grande Donna la via, in fondo alla quale si intravede la gloria degli altari.

La Serva di Dio Maria Teresa Scherer fu davvero la Donna Forte lodata dallo Spirito Santo, attiva, vigile, industriosa in ogni ramo della cristiana carità, non mai vinta dalle contrarietà e incomprensioni che numerose le attraversarono il cammino. Dapprima fu per più di un decennio fedele e intelligente collaboratrice del geniale e intrepido Cappucino P. Teodosio Florentini, di cui seppe pienamente assecondare insieme e prudentemente quanto rispettosamente temperare le iniziative che talvolta sembravano troppo ardite. Rimasta poi sola con l'angosciosa eredità di un'opera poco più che iniziata e gravata di debiti, non dubitò di assumersene in pieno il grave peso per delicata pietà verso la memoria del Fondatore, la cui opera essa ristorò, consolidò, accrebbe e dilatò, durante più di un altro ventennio che sopravvisse al P. Teodosio, sempre maternamente sollecita del bene spirituale e corporale delle sue Figlie che mirabilmente si moltiplicavano anche fuori della natia Svizzera, sempre venerata come santa da esse e da quanti l'avvicinavano e benedetta dalle schiere sempre più numerose dei poveri, degli ammalati, dei bambini, dei derelitti di ogni genere da lei per mezzo delle sue Suore assistiti e confortati.

Fonti inesauste di questa grandezza e forza d'animo erano la sua inconcussa fiducia in Dio, lo spirito di fede con cui cercava Dio e mirava a Lui in ogni cosa, la preghiera assidua, la fervida pietà verso Gesù Crocifisso e verso il Santissimo Sacramento, la filiale divozione alla Vergine Santissima, l'amore alla Chiesa di Gesù Cristo e al suo Capo visibile.

La Compagnia di Gesù, che in tante occasioni vide e sperimentò l'ottimo spirito da cui sono animate le Suore della S. Croce, si rallegrerà vivamente nel vedere in certo modo confermato e lodato nella Madre questo stesso spirito ch'essa trasmise alle sue degne Figlie.

Che della grazia ecc.

Roma, Festa della Presentazione di Maria SS., 21 novembre 1942 (1), nella Clinica « Quisisana » diretta con sapienza e insuperabile carità dalle Suore della S. Croce.

Di Vostra Santità
ultimo figlio
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

Aliae Litterae Officiosae

91. **14 aprilis 1942.**

Pro tertio saeculo a condito in Gallia Sodalicio S. Sulpicii, ad RR. DD. Andream Jullien.

Rome, le 14 avril 1942.

MONSEIGNEUR,

Vous êtes actuellement à Rome le représentant le plus autorisé de la Compagnie de S. Sulpice; aussi est-ce à vous que je m'adresse pour exprimer mes voeux à l'occasion du 3ème Centenaire de la fondation de S. Sulpice, vous demandant de vous faire l'interprète de mes sentiments auprès du V. Supérieur Général, le T. R. P. Boisard. Tout le monde sait ce que le clergé en général, le clergé de France très spécialement, doit aux Séminaires que vous avez fondés et dirigés durant ces trois siècles. Si tant de prêtres dans leur presbytère, et par eux les fidèles dans les paroisses, ont vécu la doctrine évangélique de « l'abnégation de soi-même pour revêtir le Christ », c'est à la formation reçue au Séminaire qu'ils le doivent. Que de fois n'a-t-on pas fait, à bon droit, l'éloge de cette formation solide et surnaturelle, dans laquelle la science s'ajoute à la piété pour préparer le zèle des âmes! Aussi Dieu a-t-il voulu bénir cette petite

(1) Quae pone sequuntur verba « nella Clinica etc. » sua ipse manu A. R. P. Noster exaravit, grati benevolentisque animi causa erga eas Sorores.

fondation de Monsieur Olier à la rue de Vaugirard en décembre 1641, et c'est avec actions de grâces que vous rappellerez durant les fêtes de ce 3ème Centenaire tout le chemin parcouru et tout le bien réalisé depuis lors. Avec joie la Compagnie de Jésus s'unira à votre reconnaissance durant ces fêtes, que les circonstances, hélas! ne permettent pas de rendre aussi éclatantes que vous le souhaiteriez. Je suis heureux de constater, en cette occasion, que nos deux familles religieuses collaborent partout dans la charité et l'estime mutuelle. J'unirai mes prières et mes actions de grâces aux vôtres, et pour les rendre plus efficaces, je me ferai un plaisir d'appliquer aux intentions de votre Société 100 Saintes Messes.

Daignez agréer, Monseigneur, l'expression de mes sentiments de religieux respect.

WLADIMIR LEDÓCHOWSKI
Prép. Gén. d. la C. d. J.

Monseigneur ANDRÉ JULLIEN
Città del Vaticano. - S. Marta.

IV. — RESPONSA.

A) Instituti declarationes universae Societati propositae.
(Cf. Epit. n. 18 § 1)

92. **10 aprilis 1942.**

De privato litterarum commercio Nostrorum (Cf. Epit. nn. 249, 252, 253).

Etiam quod ad litteras scribendas spectat, servetur praescriptum Epitomes n. 818, quo Nostri pendent in rebus ad disciplinam praesertim pertinentibus a Superioribus Provinciae in qua degunt; quapropter omnes facultates a proprio Provinciali obtentae suspendi possunt, a Provinciali locali, si id opportunum ipsi videatur (1). Experientia teste, non semel subditi in aliena Provincia degentes vel facultatibus abutuntur vel etiam eas amplificant. — Quod vero ad sermonem in litteris adhibendum attinet, R.ª V.ª exigat ut Scholastici, qui studia theologiae nondum absolverunt, ad Nostros latine scribant. Quodsi in litteris ad externos eis adhibenda sit lingua ignota illi qui epistolas inspicere debet, simul cum litteris, iudicio Rectoris, versionem tradant.

93. **27 septembris 1942.**

De facultate emittendi prima vota extra domum Noviciatus (Epit. n. 421 § 1).

Quod attinet ad prima vota extra Noviciatum emittenda, ex tenore Rescripti S. Congregationis de Religiosis die 9 februarii

(1) Cf. *Acta Rom.* vol. V, 1924, pag. 141.

1920 dati [1], videtur concludendum esse, vota valida non esse nisi emittantur in domo ad quam Novicius est destinatus. Quare vota a FF. NN. emissa in quadam domo in quam, iter ad novum domicilium agentes, se receperunt, invalida habenda et ideo iteranda sunt.

94. 24 novembris 1942.

De parvis Residentiis non multiplicandis (Cf. Epit. n. 627 § 1).

Solutio illa, quam R.ª V.ª innuit, de parvis Residentiis multiplicandis in diversis urbis partibus, non videtur probanda. Tendere potius debemus ad suppressionem talium Residentiarum, quae sane non multum iuvant nec ad regularem disciplinam custodiendam nec ad ministeria Societatis propria promovenda. Aliud est quod de Stationibus in suburbiis ultima Congregatio Generalis commendabat (Decr. 29 n. 8), quae ad tempus accipiuntur.

---

(1) Cf. Acta. Rom. vol. III. 1920, pag. 218; vol. VI, 1930, pag. 431 sq.; vol. IX, 1940, pag. 488 sq. et 561 sq.

Cum S. Congregatio de Religiosis concedens Societati dispensationem a can. 574 quod ad locum in quo vota religiosa emittenda sunt, responderit benigne annuens « iuxta preces », amplitudo huius gratiae intellegenda est ex tenore supplicis libelli quo gratia petebatur. Quare, ut natura huius privilegii omnibus melius perspecta sit, iuvabit ipsum supplicem libellum plenius et accuratius hic referre, quam in Act. Rom. l. c. fiebat.

Die igitur 12 ianuarii 1920, A. R. P. N. Wl. Ledóchowski p. m. ad Summum Pontificem supplices mittebat preces, quibus exponebat sequentia: 1) In Societate Noviciatus per duos annos durat et, ex Instituto, non debet totus in ipsa domo probationis peragi. 2) Cum ingressus in Societatem fieri possit et de facto fiat quovis anni tempore, Provinciales ineunte anno scholastico mittere ad studia solent etiam Novicios qui alterum Noviciatus annum iam sunt absoluturi, ne eorum studia detrimentum capiant. 3) In domibus studiorum de his Noviciis specialis habetur cura spiritualis. 4) In nonnullis Provinciis et Missionibus, cum longe distet domus studiorum a domo probationis, iter ad emittenda vota in ipsa domo Noviciatus, et magno sumptui esset et Novicios plurimis distractionibus exponeret, quod certe esset contra mentem legislatoris. His expositis libellus supplex ita pergit: « ... *per questi motivi il Preposito Generale della Compagnia di Gesù supplica la Santità*

B) Alia Responsa
(Cf. Epit. n. 18 § 2).

95. 25 aprilis 1942.

De menstrua consultatione Provinciae statis temporibus habenda.
(Cf. Epit. n. 821 § 2).

Satis intellego difficultates quae contra menstruam consultationem Provinciae moventur ex magnis itineribus faciendis. Sed, lex de consultatione menstrua est antiquissima in Societate, iam a Congregatione Generali VI[a] (d. 36, n. 6) anno 1608 sancita, et tamen probe scimus condiciones itinerum tunc temporis multo peiores fuisse quam nunc. Etiam nostris temporibus sunt Provinciae, in quibus ob vastitatem regionis non sine magno incommodo possunt Consultores ex una in aliam domum se conferre.

Quare facilius permitti potest ut interdum unus alterve Consultor, qui longius tunc absit, ab alio Patre substituatur. Quo enim fideliores nostro Instituto maneamus, eo maiores a Deo benedictiones obtinebimus.

Vostra che si degni concedere ai Prepositi Provinciali che occorrendo il caso di alcun novizio il quale al compiersi del biennio si trovi non più in noviziato, ma in una casa di studio o Collegio, possano ammetterlo ai voti ivi stesso senza rimandarlo a professare nel Noviziato dove cominciò a formarsi alla vita religiosa ». Cuius interpretatio latina ita sonat: « ... propter has rationes Praepositus Generalis Societatis Iesu supplex petit, ut Sanctitas Vestra Praepositis Provincialibus facultatem concedere dignetur ut, si quando contingeret tironem, ad finem biennii, non amplius in ipsa domo Noviciatus versari sed in domo studiorum seu collegio, possint eum ibidem ad vota admittere, nec teneantur eum ad vota emittenda remittere in Noviciatus domum, in qua formationem ad vitam religiosam inceperit ».

96. **28 iunii 1942.**

De Communitatibus Zelatricum Apostolatus Orationis certa sub regula viventium non fovendis. (Cf. Epit. n. 695 § 1 et 2).

Notum est in quibusdam regionibus invaluisse consilium consociationes religiosas instituendi, quibus Zelatrices Apostolatus Orationis in vitam communem conveniant sub speciali regula.

Re a peritis viris examinata et attente coram Domino considerata, persuasum habeo a Nostris nullo modo auxilium praestandum esse talibus Communitatibus Zelatricum condendis, quin immo illas quod ad nos attinet impediendas esse. Duae praesertim rationes ad hoc me movent, quas hic breviter significare volo.

Etenim ubique perspicimus maximum fructum Apostolatus Orationis eius simplici et omnino spirituali constitutioni magna ex parte deberi, uti describitur in Statutis, quae, regnante Leone XIII, probata sunt et plura ab ipso curata; ibique melius res se haberi, ubi haec simplex constitutio melius servatur. Nunc vero tales communitates creando novum quid introduceretur, simplicitati Statutorum non conforme, quod praeterea facile differentias et semina discordiae inter ipsas Zelatrices induceret.

Altera ratio etiam magni momenti est et nos spectat. Nam secundum Statuta Apostolatus Orationis P. Generalis est verus supremus Moderator operis; quapropter hae Zelatricum communitates aliquo saltem modo ab eo penderent et ab aliis quoque moderatoribus, ad Societatem pertinentibus, quod sane ab Instituto nostro prohibetur quodque vires nostras in cura feminarum detineret, quae e contra in promovendo Apostolatus Orationis praesertim pro viris impendendae sunt, uti passim optime fit.

Si alicubi iam aliquid factum sit in hoc sensu, NN. etiam cum Ordinariis agant, ut hi mentem nostram perspectam habeant. Ceterum sciant omnes ipsam S. Congregationem de Religiosis aversari tales novas communitates.

97 **24 iulii 1942.**

De Missa celebranda singulis hebdomadis ad intentionem Praepositi Generalis, si contingat eam aliquando praetermitti. (Cf. Epit. n. 853 § 4).

Certo nemo tenetur eam supplere, cum propter infirmitatem aut aliam iustam causam ipsam celebrare non potuit; sed omnes curare debent eam non praetermittere, cum hoc validissimum sit auxilium pro bono regimine Societatis (Cf. *Const.* P. IX, c. 6, A). Hoc spiritu supernaturali praescripta Instituti interpretanda sunt.

98. **24 augusti 1942.**

De propensionibus ad varias disciplinas vel ministeria (Cf. Epit. nn. 292; 309; 310; 332).

Mihi quidem placet ut Scholastici excellentes in aliqua disciplina evadere cupiant, et ut Superiores haec iuvenum desideria foveant. Proprium enim Societatis semper fuit, ex ingeniis atque habilitatibus suorum, fructum quam maximum ad gloriam Dei et animarum salutem capere. Et S. Parens Ignatius, cum de studiis in Constitutionibus agit, significat obsecundandum esse peculiaribus eorum propensionibus, qui singulari ingenii indole praediti, in aliqua disciplina excellere possunt (1).

Tamen non oportet ultra modum progredi, praesertim si non de propensione et habilitate ad quandam disciplinam, sed de studio erga quoddam ministerium postea exercendum agitur, neque oportet vera signa vocationis ad hoc vel illud ministerium iudicare species omnes, quas quisque iuvenis sibi animo informaverit.

---

(1) Cf. *Const.* P. V, c. 5, litt. C; n. 2.

ACTA ROMANA SOCIETATIS IESU

VOLUMEN X

FASCICULUS III — ANNO 1943

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
—
1943

ACTA ROMANA SOCIETATIS IESU

VOLUMEN X

FASCICULUS III — ANNO 1943

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE

APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS

—

1943

ROMAE — TYPIS PONTIF. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

INDEX

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

I. — PRO SOCIETATE.

Acta quaedam in causis NN. BB. et VV.

ACTA VICARII GENERALIS

I. — PRO SOCIETATE.

II. — PRO PROVINCIIS, MISSIONIBUS, DOMIBUS.

III. — PRO EXTERNIS.

Litterae quaedam postulatoriae

Litterae quaedam officiosae

IV. — RESPONSA.

A) Instituti declarationes universae Societati propositae.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

I. — PRO SOCIETATE.

1. **13 ianuarii 1943.**

Summus Pontifex gratias agit pro acceptis photographiis A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski. — Epist. Card. Secret. Stat. ad R. P. Vicar. Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 59645

Dal Vaticano, 13 gennaio 1943.

REVERENDISSIMO PADRE,

L'Augusto Pontefice Le è assai riconoscente per il delicato pensiero di farGli omaggio delle due belle fotografie, raffiguranti il veneratissimo Padre Wlodimiro Ledóchowski, di cui anch'Egli, insieme con tutta la diletta Compagnia di Gesù, tuttora rimpiange la gravissima perdita.

La mite luminosa immagine di lui è molto cara a Sua Santità, quasi La esorti a pensare che il piissimo Padre, già tanto esemplarmente attaccato alla Sacra Persona del Vicario di Cristo, sarà ora dal cielo efficace intercessore di luce, di forza e di conforto a Chi, nelle tristissime attuali vicende, deve condurre a sicuro porto la navicella di Pietro.

La medesima Santità Sua La ringrazia dunque, Reverendissimo Padre, con sentimenti di particolare benevolenza, lieta di inviare a Lei e a tutta la Compagnia una nuova Benedizione Apostolica, che compia sempre più e sempre meglio le legittime ardentissime speranze del defunto Padre Generale.

Mi valgo della circostanza per confermarmi con sensi di religiosa stima

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. ALESSIO AMBROGIO MAGNI S. I.
Vicario Generale della Compagnia di Gesù - Roma.

Interpretatio latina.

Augustus Pontifex est erga te gratissimus, quod clarum ceperis consilium Ei submisse offerendi duas illas photographias, effigiem veneratissimi Patris Wlodimiri Ledóchowski exprimentes, cuius gravissimam amissionem Ille quoque simul cum tota dilecta Societate Iesu, adhuc deplorat.

Mitis eius ac luminosa imago est Sancto Patri carissima; videtur enim illa Eum hortari, ut cogitet pientissimum Patrem, qui eximium fuit exemplar devotionis erga Sacram Personam Vicarii Christi, esse nunc in caelo efficacem luminis et roboris et solacii intercessionem pro Eo qui, luctuosissimis hodiernis temporibus, naviculam Petri in portum securum ducere debet.

Idem ergo Sanctus Pater singulari benevolentia gratias tibi agit, Reverendissime Pater, et libenti animo mittit tibi et Societati universae novam Benedictionem Apostolicam, quae plenius ac melius in dies in effectum adducat ea quae defunctus Pater Generalis iure atque ardentissime speravit.

2. **26 februarii 1943.**

Summus Pontifex Intentiones Apostolatus Orationis ratas habet iisque benedicit. — Epist. Subst. Secret. Stat. ad R. P. Vic. Gen.

Segreteria di stato
di Sua Santità

N°. 61836

Dal Vaticano, 26 febbraio 1943.

Reverendissimo Padre,

Le intenzioni dell'Apostolato della Preghiera per l'anno 1944, come di solito, hanno dato felice motivo all'Augusto Pontefice di misurare quasi con un solo sguardo quanto vasto sia il bene che la provvidenziale Associazione sparge a piene mani sul mondo.

Questo immenso coro di oranti, fatti davvero un cuor solo ed un'anima sola, quanto soavemente deve muovere il Cuore dolcissimo di Gesù a letizia e, insieme, a misericordia!

Le Intenzioni dell'Apostolato sono davvero una leva potente per quell'auspicato rinnovamento di spiriti e di costumi, che è

nei voti di tutti, ma più di tutto nel pensiero e nel cuore del Vicario di Cristo.

Grato pertanto ai solerti Padri della Compagnia di Gesù, che all'Associazione in tutte le parti del mondo danno con instancabile zelo ricchezza di attività, il Santo Padre di buon grado approva e benedice le predette Intenzioni generali e missionarie, sicuro che ben comprese e ben propagate recheranno inestimabili frutti di santificazione.

Nella speranza di così fecondi auspici, la Santità Sua gode di rinnovare a Lei, Reverendissimo Padre, ai Religiosi della Compagnia, a quelli specialmente che si adoperano nelle file dell'Apostolato della Preghiera, ed agli ascritti tutti il premio e il conforto dell'Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della P. V. R.ma
dev.mo nel Signore
G. B. Montini.

Reverendissimo Padre
P. Ambrogio Magni, S. I.
Vicario Generale della Compagnia di Gesù - Roma.

P. S. - Mi permetto notare, che nella Intenzione generale del mese di maggio sarebbe forse meglio sostituire a « purissimo » « immacolato ».

G. B. M.

INTENTIONES GENERALES APOSTOLATUS ORATIONIS IN ANNUM 1944.

Ianuario . Pro intentionibus generalibus et particularibus Summi Pontificis.

Februario . Ut dignitas, et iura et officia laboris efficacius agnoscantur.

Martio . . . Ut floreat apostolatus inter operarios.

Aprili . . . Ut iuvenes, statum matrimonialem inituri, digne se praeparent.

Maio . . . . Ut, consecratione Immaculato Cordi Mariae, singuli christiani, familiae, societates in spiritu renoventur.

IUNIO . . . Ut Cordibus Iesu et Mariae officium reparationis diligenter praestemus.

IULIO . . . Ut immoralitas in libris et scaenis cinematographicis strenue oppugnetur.

AUGUSTO. . Ut virgines, in mundo viventes, virtutibus hodie maxime necessariis excellant.

SEPTEMBRI. Ut famularum domesticarum salus, materialis et spiritualis, diligentius curetur.

OCTOBRI . . Ut Mater Dei eos errantes, qui eam semper colebant et colere pergunt, ad unam Filii sui Ecclesiam reducat.

NOVEMBRI . Ut Sacramentum Extremae Unctionis magis aestimetur.

DECEMBRI . Ut, occasione primi centenarii Apostolatus Orationis, omnes Catholici eius spiritu magis ac magis imbuantur.

INTENTIONES MISSIONARIAE APOSTOLATUS ORATIONIS IN ANNUM 1944.

IANUARIO . Ne Fidei propagatio in Africa ab Islamismo impediatur.

FEBRUARIO . Ut in Africa Meridionali catholicorum numerus augeatur.

MARTIO . . . Ut Africa a multiplicibus Protestantium divisionibus immunis servetur.

APRILI . . . Ut religio Catholica in Africa Occidentali florere pergat.

MAIO . . . . Ut religio Catholica in zona Africae Aequatorialis firmetur atque extendatur.

IUNIO . . . Ut in Ruanda et Urundi pro ingenti multitudine Catholicorum numerus missionariorum crescat.

IULIO . . . Ut labor nigritarum atque eorundem vita familiaris ad normam christiani moris ordinetur.

AUGUSTO . Ut opera caritatis in Africa multiplicentur.

SEPTEMBRI. Pro educatione scholastica iuventutis africanae.

OCTOBRI . . Pro clero indigena et laicis catholicis qui ad munera publica obeunda praeparantur.

NOVEMBRI . Pro missionibus in Madagascar et insulis adiacentibus.
DECEMBRI . Ut catholici ubique terrarum sua officia erga Africam hodiernam probe noscant.

3. **10 martii 1943.**

Summo Pontifici Societatis gratulatio pro decreto introducendae causae S. D. Pii X exstitit peculiariter grata. — Epist. Card. Secret. Stat. ad R. P. Vic. Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

No. 62062

Dal Vaticano, 10 marzo 1943.

REVERENDISSIMO PADRE,

I sentimenti di viva gratitudine e di profonda esultanza, che la Compagnia di Gesù ha umiliati al Trono dell'Augusto Pontefice in occasione del Decreto per l'Introduzione della Causa del Servo di Dio, il Papa Pio X, sono giunti assai graditi alla Santità Sua, quasi Le giungessero dal cuore stesso del compianto Padre Ledóchowski.

La medesima Santità Sua ringrazia quindi fervidamente la Paternità Vostra Reverendissima, ripromettendosi di tutto cuore che, in un non lontano domani, la glorificazione di tanto Pontefice rechi, per grazia di Dio, larga mèsse di bene al mondo universo.

E' lieto intanto il Santo Padre di rinnovare alla Paternità Vostra e a tutta la Compagnia il conforto della Benedizione Apostolica.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. AMBROGIO MAGNI, S. I.
Vicario Generale della Compagnia di Gesù - Roma.

Epistola R. P. Vicarii Generalis ad Summum Pontificem haec fuit:

Beatissimo Padre,

La Compagnia di Gesù, che, riunita in Congregazione Generale, il 20 decembre 1923, umiliava a codesta Santa Sede i suoi fervidi voti per l'Introduzione della Causa del grande Pontefice Pio X, ora che il decreto per la sospirata Introduzione ha appagato i voti del mondo tutto, esprime alla Santità Vostra la sua viva gratitudine e profonda esultanza.

E' noto a Vostra Santità quanto ardentemente il compianto Padre Generale Ledóchowski, con le sue preghiere cercasse di affrettare la glorificazione del santo Pontefice, dalla quale si riprometteva tanto bene per il mondo d'oggi, specialmente per il fatto singolarmente provvidenziale che un figlio del popolo non solo in Pio X fu chiamato alla più alta dignità della terra, ma la seppe illustrare con lo splendore di una santità non meno eroica che amabile.

Prostrato al bacio del sacro Piede con profonda venerazione imploro umilmente l'Apostolica Benedizione.

Di Vostra Santità
umilissimo figlio
Alessio A. Magni
Vic. Gen. d. C. d. G.

Roma, 25 febbraio 1943.

4. 13 martii 1943.

Facultas fit Nostris, belli causa extra domum degentibus, utendi pro Missa Kalendario Societatis in templis et oratoriis non nostris. — Rescript. S. C. Rit. (1).

Sacra Congregatio
Rituum

N°. 2666/43

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Societatis Iesu ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter implorat facultatem pro sacerdotibus

(1) V. infra, pag. 587 huius gratiae communicationem.

extra claustra degentibus ratione belli (in Provinciis Germanis vel territoriis a Germanis occupatis) sequendi in celebratione Missae Kalendarium Societatis Iesu, etsi Missam celebrent in alienis ecclesiis et oratoriis, vitata semper populi admiratione: cum magno solatio ipsis Religiosis dispersis sit, firmare posse vinculum religiosum cum Societate per intercessionem Beatorum et Sanctorum Ordinis.

SOCIETATIS IESU

Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XII tributarum, attentis expositis peculiaribus adiunctis benigne annuit pro gratia iuxta preces perdurantibus hodiernis circumstantiis et vitata populi admiratione. Servatis Rubricis aliisque servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 martii 1943.

† Carolus Card. Salotti, *S. R. C. Praef.*
A. Carinci, *S. R. C. Secret.*

✠ S.

5. **18 martii 1943.**

Gratiae aguntur pro « Horologium Missarum » Summo Pontifici oblato. — Epist. Card. Secret. Stat. ad R. P. Vic. Gen.

Segreteria di stato
di Sua Santità
—
N°. 60012

Dal Vaticano, 18 marzo 1943.

Reverendissimo Padre,

Il geniale « Horologium Missarum », che l'Apostolato della Preghiera ha umiliato al Santo Padre per offrirGli la statistica numerica delle Sante Messe giornalmente celebrate in tutto il mondo secondo le Sue auguste intenzioni, rinnova alla Santità Sua il sommo conforto di sentire la Sua persona e il Suo lavoro immersi nella mistica atmosfera della preghiera universale e

come sensibilmente sorretti dal divin Capo della Chiesa, incruentemente immolato per la salute del mondo.

Ai diletti figli, che assicurano al Vicario di Gesù Cristo un aiuto di tanto valore, desidera il Santo Padre far giungere, per il cortese tramite della Paternità Vostra Reverendissima, l'espressione della Sua profonda riconoscenza, mentre non dubita che una carità di tal genere è per Lui e per la Chiesa fonte inesausta di grazie e non ultima garanzia della divina assistenza.

Al devoto laico di Zagabria, che ha voluto assicurare per il corrente anno una Messa al giorno secondo le intenzioni del Padre Comune, va con particolare gratitudine il pensiero di Sua Santità. Per tutti poi s'innalza al Signore la preghiera riconoscente del Vicario di Gesù Cristo. Il Quale, nell'esprimere alla Paternità Vostra e ai singoli dirigenti il Suo paterno compiacimento per lo zelo onde non cessano di condurre la pia iniziativa, invia di cuore a Lei, ai singoli cooperatori e a quanti in qualsiasi modo tengono in vita l'*Horologium Missarum*, l'Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

Reverendissimo Padre
P. Alessio A. Magni, S. I.
Vicario Generale della Compagnia di Gesù - Roma.

Interpretatio latina.

Iucundum « Horologium Missarum » quod Apostolatus Orationis summisse porrexit Sancto Patri, ut Ei offerret indicem Sanctarum Missarum, quae cotidie in toto terrarum orbe ad Eius intentionem celebrantur, summum Sanctitatis Suae gaudium refricat sentiendi Se ipsam Suamque operam in mysticam quandam universae orationis auram immersa et a divino Ecclesiae Capite, incruente pro salute mundi immolato, manifeste sustentata.

Ad dilectos filios, qui Christi Vicario hoc tanti momenti adiumentum confirmant, Sanctus Pater optat, ut qua es comitate, Reverendissime Pater, sensus gratissimi animi Sui pervenire facias; cum minime dubitet, quin eiusmodi caritas et Sibi Ipsi et Ecclesiae futura sit gratiarum fons et pignus non ultimum divini auxilii.

Pio illi viro Zagrabiensi, qui toto hoc anno Missam cotidie celebrandam curavit ad mentem Patris communis, Sanctitas Sua animum Suum singulariter memorem referri cupit. Pro omnibus vero Christi Vicarius Deum gratus precatur; qui, Paternitati Tuae et omnibus moderatoribus paternum animi sui oblectamentum testatus ob studium quo numquam cessatis pium hoc institutum promovere, tibi, singulis adiutoribus, et iis etiam quotquot *Horologium Missarum* quovis modo vigere faciunt, Apostolicam Benedictionem ex animo impertit.

Piis obsequiis me ipse profiteor etc.

6. **10 maii 1943.**

Indulgentia plenaria die festo B. M. V. Reginae Societatis Iesu lucranda. — Rescript. S. Paenit. Apost. (1).

SACRA PAENITENTIERIA
APOSTOLICA
OFFICIUM DE INDULGENTIIS

N° 2617/1943

BEATISSIME PATER,

Vicarius Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humiliter petit *Indulgentiam plenariam,* suetis conditionibus, a sodalibus memoratae Societatis acquirendam die festo beatae Mariae Virginis « Reginae Societatis Iesu ».

Et Deus, etc.

Die 10 maii 1943.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum a SS.mo D. N. Pio Pp. XII sibi tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces in perpetuum absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

De mandato Eminentissimi
S. LUZIO, *Regens.*
I. ROSSI, a Secretis.

---

(1) Cfr. infra, pag. 589 huius gratiae communicationem.

7. 16 maii 1943.

Normae quaedam de agendi ratione Confessariorum circa VI Decalogi praeceptum. — Supr. S. C. S. Off.

SUPREMA S. CONGREGATIO
S. OFFICII

NORMAE QUAEDAM
DE AGENDI RATIONE CONFESSARIORUM
CIRCA VI DECALOGI PRAECEPTUM

Ecclesia nunquam omisit omne studium atque sollicitudinem adhibere ne sacramentum Poenitentiae « quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium » (1), et quod in animarum salutem institutum est, in earum perniciem atque sacerdotalis sanctimoniae et dignitatis detrimentum per hominum inconsiderantiam vel levitatem quomodocumque vertatur.

Est autem, super cetera, haud spernendum hac in re periculum si in *interrogandis* atque *instruendis* poenitentibus circa VI Decalogi praeceptum considerate ac circumspecte, ut rei asperitas exigit, atque Sacramenti dignitati congruit, confessarius sese gerere neglegat, sed ultra modum progrediatur et officium consulendi confessionis integritati atque poenitentium bono; aut si tota eius *agendi ratio, maxime cum mulieribus,* debita sanctitate et gravitate careat: haec enim fidelium animos facile offendunt, suspicionum ansas dant atque Sacramenti profanationis initium evadere possunt.

Ut vero tanto discrimini omni ope atque opera occurratur, haec Suprema S. Congregatio opportunum duxit has in memoriam redigere normas ad quas confessarii animum mentemque sedulo intendant necesse est, et futuri confessarii in Seminariis et scholis theologicis mature attenti reddantur.

(1) Constit. Benedicti Pp. XIV, « Sacramentum Poenitentiae », 1 iunii 1741.

I. — Codex I. C. peropportune monet ne confessarius curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa VI Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant imprudenter interroget (can. 888, § 2). Porro inutiles quaestiones sunt quae supplendae poenitentis accusationi eiusdemque animi dispositionibus cognoscendi minime necessariae demonstrantur. Poenitens enim iure divino tenetur dumtaxat omnia et singula peccata gravia post Baptismum commissa et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare quae speciem peccati mutent (2), modo tamen specificas huiusmodi malitias peccando cognoverit, ac proin contraxerit. Haec, igitur, tantum confessarius per se a poenitente sciscitari tenetur, si rationabiliter suspicatur eadem bona vel mala fide in confessione praetermissa fuisse; et si quando contingat cuiusdam poenitentis examen ex toto supplendum esse, non ultra prudentis coniecturae modum, attenta poenitentis conditione, percontando, progrediatur.

Omittendae igitur sunt, utpote inutiles, molestae atque hac in re periculi plenae, interrogationes de peccatis quorum nulla cadit in poenitentem positiva atque firma suspicio; item de peccatorum speciebus quas haud verisimile est ipsum contraxisse; de peccatis materialibus, nisi ipsius poenitentis bonum vel avertendum mali communis periculum monitionem postulet vel suadeat; item de circumstantiis moraliter indifferentibus, atque praesertim de modo quo peccatum commissum est. Quin immo si poenitens sponte, seu prae inscitia seu prae scrupulis seu tandem prae malitia, in explicandis luxuriae peccatis vel tentationibus modum excedat aut pudicitiam verbis offendat, id confessarius prudenter, at prompte ac fortiter, cohibere ne omittat.

Meminerit insuper confessarius divinum de confessionis integritate praeceptum cum gravi poenitentis vel confessarii damno, quod sit confessioni extrinsecum, non urgeri; ac proin quoties vel poenitentis scandalum vel ipsius confessarii ruina ex interrogatione prudenter timeatur, eadem abstinendum esse. In dubio, vero, commune doctorum monitum sit semper menti de-

(2) *Concil. Trident.*, Sess. XIV, cap. V; C. I. C., can. 901.

fixum, hac in re melius esse deficere quam cum ruinae periculo excedere.

Tandem confessarius, interrogando, cautissime semper procedat, propositis prius generalioribus quaestionibus, ac postea, si casus ferat, magis definitis interrogationibus. Hae tamen semper sint breves, discretae, honestae, devitatis prorsus locutionibus quae phantasiam vel sensum moveant, aut pias aures offendant.

II. — Neque minori prudentia atque gravitate confessarius opus habet dum poenitentes, pro suo munere medici et magistri, *monet* atque *instituit.* Id vero apprime atque probe meminerit sibi haud corporum sed animarum curationem concreditam esse. Eius, igitur, per se non est consilia poenitentibus dare quae *ad medicinam vel hygienem* spectant, atque ea omnino devitet quae mirationem moverent vel scandalum gignerent. Si quae, vero, consilia huiusmodi necessaria, etiam propter conscientiam, censeantur, eadem a perito recto, prudenti, atque morali doctrina instructo tradenda erunt, ad quem igitur poenitens remittendus est.

Itidem ne audeat confessarius, seu sponte seu rogatus, de natura vel modo actus quo vita transmittitur poenitentes docere, atque ad id nullo unquam praetextu adducatur.

Moralem vero institutionem et opportunas monitiones iuxta probatorum auctorum doctrinam suis poenitentibus tradat, idque prudenter, honeste, moderate, non ultra veram poenitentis necessitatem; neque abs re animadvertere fuerit inconsiderate illum agere atque recte munere suo non fungi qui videatur fere unice, interrogationibus et monitis, de his peccatis sollicitus.

III. — Oblivioni tandem dandum non est mundum in maligno positum esse (3), atque « sacerdotem quotidiana consuetudine versari quasi *in medio nationis pravae*: ut saepe in pastoralis ipsa caritatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiae » (4).

Quapropter cautissime semper incedat, praesertim cum mu-

(3) I Ioa., V, 19.

(4) Pius Pp. X, *Exortatio ad Clerum catholicum* « Haerent animo », 4 augusti 1908.

lieribus suis poenitentibus, necesse est, omnia vigilanter devitando quae familiaritatem proderent vel periculosam amicitiam fovere possent. Ne igitur in iisdem cognoscendis curiosus sit, neque audeat earum nomen directe vel indirecte inquirere. Eas dum alloquitur, pronomen « tu », ubi familiarem consuetudinem significet, omnino ne adhibeat; earum confessiones ultra quam satis est produci ne permittat; a rebus pertractandis quae ad conscientiam non pertinent in confessione abstineat; mutuas visitationes atque commercium epistolare cum iisdem sine vera necessitate ne admittat, necnon longas collocutiones sive in sacristiis sive in atriis seu « locutoriis » sive alibi, ne sub praetextu quidem spiritualis directionis.

Id. vero, confessarius omni vigilantia praecavere debet ne pietatis fuco affectus humani suipsius vel poenitentium animo paulatim irrepant atque foveantur; sed omni ope continenter eniti debet « ut quidquid pro sacro munere agit, secundum Deum agat instinctu ductuque fidei » [5].

IV. — Quo vero facilius atque tutius valeant confessarii tali munere fungi, ad id mature a suis magistris instituantur atque doceantur, neque tantum principiis, sed specimine quoque et exercitatione, ut accurate sciant quomodo sint circa VI Decalogi praeceptum interrogandi poenitentes, pueri, iuvenes, adulti, atque praesertim mulieres; quae sint necessariae vel utiles quaestiones; quae contra omittendae, atque quaenam adhibenda iuxta patrium sermonem verba.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 maii 1943.

✠ F. Card. Marchetti Selvaggiani, *Secret.*

---

[5] Pius Pp. X, ibid.

8. 28 maii 1943.

Gratiae aguntur pro obsequiis spiritualibus et pro obolo Summo Pontifici oblatis. — Epist. Card. Secret. Stat. ad R. P. Vic. Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

No. 65272

Dal Vaticano, 28 maggio 1943.

REVERENDISSIMO PADRE,

La nuova vistosa offerta spirituale, di cui Vostra Paternità si dà premura di fare omaggio al Santo Padre a nome dei confratelli che non poterono comunicarlo nel passato anno è, insieme col nuovo obolo — non meno generoso — della loro carità, uno di quegli attestati di devozione filiale con i quali la benemerita Compagnia di Gesù si onora di esercitare senza intermissione il suo affettuoso zelo per la causa di Gesù Cristo e della sua Chiesa.

Nel compiacersi paternamente di questa novella prova di adesione fattiva, l'Augusto Pontefice ringrazia nella Paternità Vostra i singoli oblatori. Su tutti invoca l'adeguato premio, che solo può venire da Dio. E mentre augura alla Compagnia di Gesù e a tutte le sue opere ogni migliore incremento nel vasto campo del Signore, imparte di gran cuore a Lei, Reverendissimo Padre, e a tutta la grande famiglia di S. Ignazio l'Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. ALESSIO MAGNI, S. I.
Vicario Generale della Compagnia di Gesù - Roma.

Epistola R. P. Vicarii ad Summum Pontificem haec fuit:

Beatissimo Padre,

Il 17 maggio dello scorso anno 1942, il Padre Generale di v. m. inviò a Vostra Santità pel tramite della Segreteria di Stato un modesto album dove erano raccolti gli ossequi spirituali offerti dalla Compagnia in occasione del fausto Giubileo Episcopale di Vostra Santità.

Per le precarie difficoltà di comunicazione epistolare non fu possibile, per quella data, ricevere da tutte le Province le relative offerte spirituali; perciò Nostro Padre si riprometteva di completare i relativi elenchi nel corso di quest'anno. Trovandoci pertanto già nel maggio 1943, credo mio dovere soddisfare a tale desiderio di Nostro Padre ed interpretare pienamente le intenzioni di tutta la Compagnia, non lasciando finire il fausto Anno Giubilare senza inviare a Vostra Santità la nota complessiva delle altre offerte spirituali che non erano state incluse nell'album del maggio 1942 e che si son potute raccogliere in questi ultimi mesi da varie Province e Missioni.

SS. Messe in 1ª intenzione:	7.163
SS. Messe in 2ª intenzione:	29.824
SS. Messe ascoltate:	906.576
SS. Comunioni:	679.009
Corone B. M. Vergine:	888.041
Visite al SS.mo:	1.260.926
Giaculatorie:	35.342.103
Mortificazioni varie:	1.472.162
Atti di altre virtù:	1.797.281

Colgo l'occasione per inviare un altro modesto obolo raccolto dalle nostre Case.

Voglia Vostra Santità paternamente accogliere queste nostre piccole offerte, mentre ci ripromettiamo di continuare a pregare sempre per Chi, contro ogni nostro merito, ha sempre dimostrato tanta predilezione per la nostra minima Compagnia.

Prostrato al bacio del sacro Piede con profonda venerazione imploro umilmente l'Apostolica Benedizione.

Roma, 10 maggio 1943.

Della Santità Vostra
figlio umilissimo
Alessio A. Magni
Vic. Gen. d. C. d. G.

Interpretatio latina.

Die 17 mensis maii superioris anni 1942, Pater Generalis v. m., per Officium Secretariae Status, ad Sanctitatem Vestram misit humilem libellum, in quem relata erant obsequia spiritualia a Societate oblata occasione fausti Iubilaei Episcopalis Vestrae Sanctitatis.

Cum tamen, ob incertum ac difficile commercium litterarum, fieri non posset, ut omnium Provinciarum spiritualia dona tempestive acciperentur, Pater Noster sperabat se hoc anno tabulas illas esse completurum. Quare, cum ingressi iam simus mensem maium anni 1943, meum esse duco explere hoc Patris Nostri desiderium et recte interpretari mentem totius Societatis, si, priusquam faustus Iubilaris Annus absolvatur, mittam Vestrae Sanctitati summam reliquorum donorum spiritualium, quae in libello mensis maii anni 1942 non continebantur et his postremis mensibus ex variis Provinciis ac Missionibus colligi potuerunt:

SS. Missae ex 1ª intentione:	7.163
SS. Missae ex 2ª intentione:	29.824
SS. Missae auditae:	906.576
SS. Communiones:	679.009
Coronae B. M. Virginis:	888.041
Visitationes SS. Sacramenti:	1.260.926
Preces iaculatoriae:	35.342.103
Mortificationes variae:	1.472.162
Actus aliarum virtutum:	1.797.281

Hac porro utor occasione ut alterum quoque obolum ex domibus nostris corrogatum mittam.

Velit Sanctitas Vestra haec nostra munuscula paterno animo accipere, dum pollicemur nos perseveraturos esse in oratione pro Eo, qui, nobis prorsus immeritis, minimam nostram Societatem tanto studio atque amore semper prosecutus est.

Sacrum deosculans Pedem etc.

9. **13 iulii 1943.**

De commoratione Noviciorum ruri. — Rescript. S. C. de Relig.

SACRA CONGREGATIO
DE RELIGIOSIS
—
N°. 4538/38

BEATISSIME PATER,

Procurator Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, implorat prorogationem Rescripti diei 6 iulii 1938 quo concedebatur facultas ut Novicii peragere possent Noviciatum per aliquod tempus infra annum ruri, de iudicio Superioris Generalis.

Et Deus, etc.

Vigore facultatum a Sanctissimo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis, Rev.mo P. Vicario Generali benigne commisit, ut petitam enunciati indulti prorogationem ad aliud quinquennium pro suo arbitrio et conscientia concedat, servata in reliquis eiusdem indulti forma et tenore.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 13 iulii 1943.

VINC. Card. LA PUMA, *Praef.*
L. ✠ S. † Fr. L. H. PASETTO, Secret.

10. **12 novembris 1943.**

Societatis dolorem pro sacrilega incursione in Vaticanum Summus Pontifex pergratum habuit. — Epist. Card. Secret. Stat. ad R. P. Vic. Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
—
N° 73149

Dal Vaticano, 12 novembre 1943.

REVERENDISSIMO PADRE,

E' di particolare conforto alla Santità Sua, in un'ora di tanta tristezza, la commossa presenza dei figli di S. Ignazio al dolore del Padre Comune per l'offesa di cui è stata oggetto, nella Sua

minima innocua Città, la Persona del Vicario di Gesù Cristo, Padre benefico di tutti i fedeli.

Ringraziando del devoto omaggio la Paternità Vostra Reverendissima e tutti i suoi figli in Gesù Cristo, Sua Santità si compiace sopra tutto della promessa delle loro preghiere.

E mentre Egli stesso, l'Augusto Pontefice, fa voti al Signore per la loro e per la comune incolumità in mezzo ai pericoli che sovrastano, il Suo paterno cuore innalza più fervide che mai le suppliche al cielo per la più sollecita fine di tanta calamità ed invia con gratitudine affettuosa a Lei, Reverendissimo Padre, e alla intera Compagnia di Gesù, l'Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
L. Card. Maglione.

Reverendissimo Padre
P. Alessio Ambrogio Magni
Vicario Generale della Compagnia di Gesù - Roma.

Epistola R. P. Vicarii ad Summum Pontificem haec fuit.

Beatissimo Padre,

Il sacrilego attentato contro la Casa del Padre se ha un'eco di profonda commozione in tutti i figli della Chiesa e in tutte le anime oneste del mondo intero, lo ha vivissimo nella Compagnia di Gesù, che si stringe in quest'ora di sgomento intorno al trono di Vostra Santità per manifestare ancora una volta la propria dedizione totale, la venerazione più profonda, il più filiale affetto alla Persona augusta del Vicario di Cristo.

Dinanzi alla bontà di Padre affettuosissimo ed alla inesauribile carità che tutti, senza distinzione di fede o di nazione, ammirano ed esaltano in Vostra Santità, nessuno mai avrebbe potuto sospettare una simile offesa. Quanti oggi hanno pianto, e le voci accorate che salgono dalla Piazza di S. Pietro sono l'espressione del cordoglio universale e insieme della gioia dei figli nel sapere incolume il Padre Santo.

La Compagnia di Gesù unisce le sue preghiere e i suoi voti a quelli della grande famiglia cattolica, perchè il Signore consoli il

cuore di Vostra Santità ed accresca nel mondo intero la devozione più tenera pel Successore di S. Pietro.

Prostrato al bacio del Sacro Piede, chiedo per me e per la Compagnia di Gesù l'Apostolica Benedizione.

Roma, 6 novembre 1943.

di Vostra Santità
infimo in Cto. figlio
ALESSIO A. MAGNI
Vic. Gen. d. C. d. G.

Interpretatio latina.

Sacrilega atque audax incursio in Domum Patris, si quidem omnes Ecclesiae filios et honestissimum quemque ubique vehementer movit, multo magis Societatem Iesu perculit, quae, dum metus omnia occupat, circum solium Sanctitatis Vestrae stipatur, ut iterum palam faciat, se ipsi augusto Vicario Christi omnino deditam esse, Eum religiosissime venerari atque amore filiorum ut qui maxime prosequi.

Si mens illam Patris amantissimi benignitatem atque inexhaustam caritatem meminit, quam in Sanctitate Vestra omnes, ad quamlibet denique fidem spectent aut nationem pertineant, admirantur et laudibus efferunt, nemo profecto tantam iniuriam vel suspicari potuit. Quam multae hodie lacrimae funduntur!, ipsae et voces quae ex imo corde in area S. Petri attolluntur, dicunt omnium dolorem simulque filiorum gaudium, sospite Patre Sancto gestientium.

Societas Iesu vota precesque sua cum universa Catholicorum familia coniungit, ut Dominus Sanctitatem Vestram soletur et amorem tenerrimum erga S. Petri successorem ubique terrarum augeat.

Pronus Sacrum Pedem deosculor et mihi ac Societati Iesu Apostolicam Benedictionem postulo.

Acta quaedam in causis NN. BB. et VV.

11. 3 ianuarii 1943.

Decretum de virtutibus in gradu heroico Ven. S. D. Catharinae Tekakwitha. — Decr. S. C. Rit. [1].

MARIANOPOLITANA SEU ALBANEN. IN AMERICA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS SERVAE DEI

CATHARINAE TEKAKWITHA

VIRGINIS INDAE

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

Certe quidem mirabilis est Deus in *sanctuariis suis*, at longe mirabilior in sanctis suis, « ipsi enim sancti, ut scite S. Robertus Bellarminus adnotat (*Explan. in Ps. 67*), sunt verissima sanctuaria Dei »; hi enim viventia templa sunt Spiritus Sancti, qui in eis inhabitat, iuxta illud Apostoli: Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: *Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos et ero illorum Deus et ipsi erunt mihi populus* (*2 Cor. VI, 16*). « *Inhabitabo in eis,* commentatur S. Thomas, per gratiam, excolens eos; *Inambulabo in eis,* idest promovebo eos de virtute in virtutem... *Ego ero illorum Deus,* idest providentia mea protegam eos...: *et ipsi erunt mihi in populum,* idest me colent, et mihi obedient ut mei et non alterius » (*In Ep. II Cor. lect. III*).

Mirabilem praeter modum se ostendit Deus in Catharina Tekakwitha, Inda Virgine, eam gratia sua in medio corruptissimae nationis, ethnicorum erroribus refertae, praeveniens; sua providentia quasi valido scuto eam protegens: gratia vero haec in eadem vacua non fuit: eam enim, sibi cooperantem, ad heroicas adipiscendas virtutes mire adduxit.

[1] *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXV, 1943, pag. 151 sqq.

Hoc profecto ex huius virginis vita luculenter eruitur. In pago Ossernenon nationis Iroquaeae in boreali America, e tribu, Agniers a Gallis, Mohawks ab Anglis nuncupata, anno 1656 a patre pagano, matre autem christiana nata est praeclara Virgo, de qua hoc in decreto agitur. Impositum ei fuit nomen: Tekakwitha. Quatuor post annos, utroque parente atque fratre orbata, ab avunculo, christianae religioni infensissimo, fuit excepta, atque secundum suae tribus mores instituta.

Vix octo annos nata, usitate coaequali puero fuit adiuncta, non quidem matrimoniali ritu, sed ut vitae consuetudinem cum eo iniret, matrimonio postmodum firmandam. Aetate coniugio congrua adventante, Tekakwitha, nondum christiana, tanto virginitatis servandae amore, quasi divino impulsu, fuit incensa, ut nullimode, etsi minis atque vexationibus asperrime afflicta, e suo consilio potuerit amoveri. Sed unde tantae virtutis origo est deducenda?

« Sanguis martyrum, semen Christianorum », ait Tertullianus; quare nil mirum quod post octo missionalium e Societate Iesu martyrum, annis 1632-1649 pro Christo interemptorum, quem Indis illarum regionum praedicaverant (quos inter sancti Isaac Jogues et Ioannes de la Lande in eodem oppido Ossernenon martyrium obierunt) candidum lilium ibidem exortum fuerit, mirifice succreverit atque suavissimo virtutum odore contribules suos primum, Ecclesiam deinde oppleverit.

Inita Indos inter et Gallos colonos pace, tres e Societate Iesu missionales, anno 1667, in oppido Caugnawaga, post bellum pridem exstructo, in Tekakwithae avunculi domo per triduum hospitio fuerunt recepti, eorumque servitio puella fuit addicta; a quibus ipsa, uti pronum est opinari, prima christianae fidei rudimenta accepit. Tres post annos in eodem pago, non vero in eadem domo, missionalis statio fuit constituta.

Anno 1674 Pater Iacobus de Lamberville, huic missioni praepositus, in catechizandum populum totus incubuit. Sequenti anno, mira Divinae Providentiae dispositione, idem missionalis vir nec opinato in Tekakwitham incidit; cuius singulares animi dotes animamque Christi sensu dotatam admiratus, maturius ceteris catechumenis, die sancto Paschae anno 1676 baptismi sacramento eam Ecclesiae corpori adiunxit, imposito Catharinae nomine. Idem fervidam neophytae pietatem perpendens, ut di-

vina consilia secundare satageret, perfectioris vitae normas rationemque ei tradidit; quas Catharina summa fidelitate servare coepit. Hoc vitae genus humani generis hostis invidiam rabiemque commovit, qui multiplicibus insectationibus a virtute sectanda eam deterrere atque abstrahere conatus est. Verum calumniae, iuges domesticae increpationes, irrisiones, mortis minae famesque incassum cesserunt: fortissima enim virgo, ne a fide deflecteret, omnia, Deo confisa, superavit. Prudenter autem secum recogitans nimio fidei morumque periculo, si ibi commoraretur, esse obnoxiam, collatis cum Patre de Lamberville consiliis, clam domo aufugit atque ad missionem S. Francisci Xaverii de Sault, quae ex christifidelibus omnino constabat, se recepit. In qua sub spirituali Patrum Societatis Iesu moderatione tales in virtutum exercitio progressus fecit, ut, praeter morem, post viginti tantum menses a suscepto baptismate, ad primam Corporis Christi susceptionem fuerit admissa.

Tres tantum adhuc annos Catharina vixit, virtutum omnium splendore renidens,quae in ultima vitae periodo splendidius refulserunt.

Vehementibus enim doloribus in toto corpore excruciata, integros saepe dies, in lectulo decumbens, urentibus febribus consumpta, nullo solatio levata, orationi ac caelestium contemplationi impendebat.

Denique die 17 aprilis, feria IV maioris hebdomadae, anno 1680, sacrosancto Christi corpore Extremaque Unctione roborata, *Iesu, amo te* iterans, post brevem agonem, lectissimam animam exhalavit.

Sanctitatis fama, qua Catharina vivens fruebatur, vehementius post eius obitum mire percrebuit et ad nostra usque tempora virescit, uti patet ex pluribus postulatoriis litteris ab omni fidelium coetu, immo et a nonnullis infidelibus, Pio Papae XI fel. rec. oblatis, ut beatorum honores huic Virgini, primae ex borealis Americae sylvicolis, conferrentur. Servatis itaque omnibus de iure servandis, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII causae introductionis Commissionem die 19 maii a. D. 1939 signavit, suscepto ac recognito Sacrae huius Congregationis Historicae Sectionis voto. Quum autem Causa haec inter historicas adnumeretur, ad Motus Proprii Pii Papae XI normas de causis historicis, apostolico processu omisso, tota res eidem nostrae Sectioni

demandata est; quae, omnibus documentis diligenter collectis, iisque ad severam trutinam, ea qua pollet sagacitate perpensis, favorabilem informationem amplissima et concinna relatione confecit. Haec omnia porro una cum R. P. Promotoris Generalis Fidei animadversionibus in Antepraeparatorio Sacrae huius Congregationis Coetu coram subscripto Cardinali Causae Ponente seu Relatore die 26 novembris mensis anno 1940 fuere examini subiecta. Iterum in Praeparatorio die 10 novembris sequentis anni: demum in Generali coram Sanctissimo D. N. die 9 iunii elapsi anni, in quo idem Cardinalis Relator dubium posuit discutiendum: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.* Rev.mi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores sua edidere suffragia: quibus exceptis, Beatissimus Pater, ut iteratis precibus Deus suam mentem potiori lumine ditare dignaretur, Suam ad hunc usque diem sententiam proferre distulit.

Eapropter subscriptum Cardinalem, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei generalem Promotorem, meque Secretarium accivit atque, Sacro pientissime litato, edixit: Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei Catharinae Tekakwitha in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 3 ianuarii a. D. 1943.

† C. Card. Salotti, *Episc. Praen., Praef.*

A. Carinci, *S. R. C. Secret.*

L. ✠ S.

12. 4 aprilis 1943.

Novus Cardinalis Ponens eligitur in causa S. D. Richardi Friedl. — Rescript. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

No. 138-10/934

FLORENTINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

RICHARDI FRIEDL

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU

Quum per obitum E.mi Cardinalis Hermenegildi Pellegrinetti Causa Servi Dei Richardi Friedl, sacerdotis professi Societatis Iesu suo Ponente seu Relatore orbata sit, Rev.mus P. Carolus Miccinelli eiusdem Societatis Postulator Generalis, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII. suppliciter exoravit, ut alterum ex E.mis Patribus sacris tuendis ritibus praepositis, eius loco sufficeret. Sanctitas porro Sua, his precibus a R. P. D. Fidei Promotore generali relatis, libenter deferens, E.mum ac Rev.mum Dominum Ianuarium Cardinalem Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Ostiensem et Albanensem, Causae Servi Dei Richardi Friedl Ponentem seu Relatorem, cum omnibus iuribus et facultatibus necessariis et opportunis, eligere ac deputare benigne dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 4 aprilis 1943.

† CAROLUS Card. SALOTTI
S. R. C. Praef.
A. CARINCI, *S. R. C. Secret.*

13. 2 maii 1943.

Facultas fit transferendi Lycia in locum tutiorem corpus B. Bernardini Realino. — Vivae vocis oraculum.

BEATISSIMO PADRE,

Il sottoscritto, Postulatore Generale della Compagnia di Gesù, prostrato ai piedi di Vostra Santità, espone quanto segue:

La situazione attuale nel territorio e nella città di Lecce, esposta non solo alle incursioni aeree, ma anche al pericolo di un possibile sbarco di truppe d'invasione, rende i Padri del Collegio Argento di Lecce, cui è annessa la chiesa che contiene il corpo del B. Bernardino Realino, fondatamente trepidi per la sorte di tale tesoro e perciò desiderosi di metterlo in salvo in quel modo che le circostanze permetteranno e la prudenza suggerirà.

Si domanda pertanto alla SantitàVostra che si degni di concedere al Vescovo di Lecce tutte le facoltà necessarie per provvedere nel miglior modo che la sua prudenza consiglierà all'incolumità di tale tesoro. Sarà certamente cura dello stesso Vescovo di provvedere canonicamente a tutto ciò che serva per il presente e per l'avvenire alla autenticazione del sacro Corpo e alla documentazione esatta della traslazione.

Che della grazia etc.

Roma, 1° maggio 1943.

CARLO MICCINELLI S. I.

Die autem postero, 2 maii, in audientia Promotoris Generalis Fidei, vivae vocis oraculo, conceditur gratia iuxta preces.

14. **6 iunii 1943.**

Eligitur Card. Ponens in causa S. D. Petri Barbarić, Nov. Schol. Prov. Croat. (1). — Rescript. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

No. 312-2/943

VRHBOSNEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

PETRI BARBARIC

NOVITII SCHOLASTICI SOCIETATIS IESU

Processibus ordinaria auctoritate in Curia Vrhbosnensi constructis super vita, virtutibus et miraculis in genere Servi Dei

(1) Alumnus Seminarii Travnicensis, candidatus Societatis, quam instanter petiit; admissus in Societatem paulo ante mortem a Praeposito Prov. Austriae, cui tunc illud Seminarium commissum erat, vota devotionis nuncupavit die 14 aprilis 1897 et postridie sanctissime obiit anno aetatis 23°.

Petri Barbarić, Novitii scholastici Societatis Iesu, Rev.mus P. Carolus Miccinelli, eiusdem Societatis Postulator Generalis, Sanctissimum Dominum Pium Papam XII. suppliciter exoravit, ut unum ex E.mis Patribus sacris tuendis ritibus praepositis ipsius Dei Famuli Causae Ponentem eligere dignaretur. Sanctitas porro Sua his precibus a R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, relatis, libenter deferens, E.mum ac Rev.mum Dominum Raphäelem Carolum Cardinalem Rossi, Causae Servi Dei Petri Barbarić Ponentem seu Relatorem, cum omnibus iuribus et facultatibus necessariis et opportunis, eligere ac deputare benigne dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 iunii 1943.

† Carolus Card. Salotti
S. R. C. Praef.

A. Carinci, *S. R. C. Secret.*

15. **15 iunii 1943.**

Facultas datur aperiendi archetypi processus informativi S. D. Francisci de Paula Tarín (*Prov. Tolet.*). — Rescript. S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum

No. 147-26/943

HISPALEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI

FRANCISCI DE PAULA TARIN
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Rev.mus P. Carolus Miccinelli, Societatis Iesu Postulator Generalis, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII. suppliciter exoravit, ut E.mo ac Rev.mo Domino Cardinali Archiepiscopo Hispalensi facultatem concedere benigne dignaretur qua, servatis servandis, archetypum Processus Informativi super fama Servi Dei Francisci de Paula Tarín, sacerdotis professi eiusdem Societatis, aperire valeat ut biographus, qui fusiorem nunc

exarat vitam eiusdem Dei Famuli, multa testium Hispanicorum, scitu valde utilia, invenire queat. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab Ipso Sanctissimo Domino nostro tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Servatis de cetero omnibus de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 iunii 1943.

A. Carinci, *S. R. C. Secret.*
Mattei, *Offic.*

16. **21 iunii 1943.**

Datur facultas aperiendi rite processum ordinarium de fama sanctitatis S. D. Petri Barbarić, Nov. Schol. (Prov. Croat.). — Rescript. S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum
—
N°. 513-3/943

VRHBOSNEN SEU SERAJEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI
PETRI BARBARIC
NOVITII SCHOLASTICI SOCIETATIS IESU

Quum apud Sacram Rituum Congregationem clausus sigillisque munitus adsit Processus ordinarius auctoritate constructus in Curia Vrhbosnen. seu Serajen. super fama sanctitatis Servi Dei Petri Barbarić Novitii Scholastici e Societate Iesu, P. Carolus Miccinelli eiusdem Societatis Postulator Generalis Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XII suppliciter adprecatus est, ut ad eiusdem Processus aperitionem rite deveniri valeat. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis omnibus de iure, stylo et consuetudine servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 21 iunii 1943.

† Carolus Card. Salotti
S. R. C. Praef.
A. Carinci, *S. R. C. Secret.*

17. **10 decembris 1943.**

Decretum de signanda Commissione introductionis causae S. D. Richardi Friedl (Prov. Ven.-Med.). — Decr. S. C. Rit.

FLORENTINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

RICHARDI FRIEDL

SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE IESU

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae et ad effectum de quo agitur.

S. Augustinus de iis qui Christi vestigia pressius sequi eligentes, monasticam seu coenibiticam vitam profitentur, loquens: « Quis non illos miretur, scribit et praedicat, qui contemptis at« que desertis mundi huius illecebris, in communem vitam ca« stissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem agunt, « viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus? Nul« la superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla inviden« tia lividi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vi« tam et intensissimam in Deum, gratissimum illi munus offerunt, « a quo ista posse meruerunt... Patres non solum sanctissimi « moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, nulla su« perbia consulunt iis, quos filios vocant, magna suam iubendo « auctoritate, magna eorum in obtemperando voluntate » (De mor. Eccl. I, lib. I, c. 31).

Graphice, his verbis, Servi Dei Richardi Friedl vita delineatur, qui, in diversis Ignatiani Instituti gradibus, religiosae vitae perfectionem attigisse visus est, utpote qui extraordinaria prorsus perfectione ordinaria et multiplicia officia peregit, quae ipsi a Superioribus vel potius a Deo commissa fuere.

Quod evidenter apparet, si, vel summis labiis, eius vitae decursum delibemus. Die 16 Septembris a. D. 1847, Spalati in Dalmatia ortum duxit. Sacris baptismi aquis die 2 Octobris sub Ss. Angelorum Custodum patrocinio ablutus fuit, Richardi suscepto nomine.

Pios nactus est parentes Michaëlem atque Amaliam Koschier, qui vigilanti cura, quinque filios, quos genuerant, in Dei timore atque amore educaverunt.

Innocentissimam eius adulescentiam religiosae vocationis gratia Deus remunerari dignatus est: quare huic divinae voci obtemperans, Richardus a. 1862 Veronae, in domo probationis Societatis Iesu, tyrocinium est aggressus. Nuncupatis iam votis, ob politicas eversiones nec non iniquas impiasque insectationes hac illac contendere multaque pati coactus fuit; non sine tamen divinae providentiae consilio: in his enim peregrinationibus magis magisque rerum usum acquisivit pluresque apprehendit linguas, quibus postea in animarum salutem abunde est usus. Ad sacrum Presbyteratus ordinem die 9 Septembris a. 1877 promotus fuit.

Tertium probationis tyrocinium Paredii, Servo Dei Paulo Ginhac moderante, summa animi alacritate atque spirituali profectu incepit, quod Allodiis prosecutus est, demum Valentiae in Hispania complevit. Etsi ardenter exoptabat ad Mangalorensem missionem, cui iam a Superioribus fuerat designatus, quantocius advolare, variis de causis plura alia officia in Europa ab obedientia ei fuerunt imposita, quae omnia in exemplum magno suorum et externorum profectu atque spirituali aedificatione adimplevit.

Hac enim ratione gymnasium docendo celebravit, marianas congregationes moderatus est, novitiorum magistri, domorum Rectoris pluries, provincialis quoque praepositi, Patrum demum tertiae probationis instructoris ad mortem usque sanctissime functus est muneribus. Nec satis: assiduus enim in paenitentiali cathedra fidelibus ad eius pedes concurrentibus sacramentum ministrabat; divini verbi seu in Ecclesiis, seu in religiosis domibus praedicationi impigre intendebat, contra errores, modernismum praesertim, vehementer efficaciterque nunquam invehi destitit. Eodem animarum zelo succensus spiritualia exercitia pro opificibus vel promovit vel adivit: item pro saeculari clero, aptis ad id constitutis domibus. Item ut Regiae studiorum Universitatis Taurinensis auditores in catholicum, quem vocant, circulum colligerentur auctor fuit, ne in praeceps conruerent. Innumera alia gessit ut animas Christo lucrifaceret.

Incomparabile fidei donum totam Servi Dei vitam pervasit: Omnes enim ipse actus ad supernaturalem finem direxit. Quoniam autem virtutes omnes intime inter se conectuntur, Servus Dei in ceteris quoque omnibus plane emicuit. Nemo enim illo humilior, nemo, qui erga Deum et proximum caritate eum inter

aequales superaret, visus est, nemo paupertatis et temperantiae usque ad excessum adeo cultior, ut patiendi desiderio exardescens, dirum ulcus in crure saeviens neglexerit, ob quod mortem a. D. 1917 die 27 Februarii, Ecclesiae sacramentis rite munitus, Florentiae sanctissime oppetiit.

Sanctitatis fama crebrescente, in Florentina Curia ab anno 1931 ad annum 1938 ordinaria auctoritate constructus est processus; Rogatoriales vero in Curiis Taurinensi, Comensi, Mangalorensi, Mutinensi, Spalatensi atque Iadrensi, seu super fama sanctitatis, seu super scriptis, seu super prohibito cultu non praestito.

Scriptis perpensis Sacra haec Congregatio die 27 Maii a. 1941 respondit: *Nihil obstare quominus ad ulteriora procedatur* etc. quam responsionem die sequenti Ss.mus D. N. ratam habuit.

Interim plures Postulatoriae Litterae Summo Pontifici oblatae sunt, huius Dei Famuli Introductionis Causam exposcentes, quatuor nempe Cardinalium, decem Archiepiscoporum, triginta Episcoporum.

Instante itaque R.mo p. Carolo Miccinelli, S. I. Generali Postulatore, in Ordinaria Congregatione ad Vaticanum die 7 Decembris a. 1943 habita, E.mus ac R.mus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Ostien. et Albanen. causae huius Ponens seu Relator, dubium posuit discutiendum: *An signanda sit Commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur,* atque de more de ea retulit. E.mi ac R.mi Cardinales, relatione hac audita, nec non auditis Officialium Praelatorum suffragiis scripto datis, atque R. P. D. Salvatore Natucci Fidei generali Promotore, omnibus mature perpensis, respondere censuerunt: *Affirmative,* nempe: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae eiusdem Servi Dei, si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem Ss.mo D. N. Pio Papae XII, subsignato die, ab infrascripto Cardinali Praefecto relatione, Sanctitas Sua rescriptum Eminentissimorum Patrum ratum habens, *Commissionem Introductionis Causae Servi Dei* Richardi Friedl propria Manu signare dignata est.

Datum Romae, die 10 decembris a. D. 1943.

† CAROLUS Card. SALOTTI, Ep. Praenestinus,

L. ✠ S.

S. R. C. Praefectus.

A. CARINCI, *S. R. C. Secret.*

II. — PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS.

18. **3 martii 1943.**

Conceditur Missa votiva de Purissimo Corde B. M. V. primo sabbato cuiusque mensis in Neapolitano templo SS. Nominis. — Rescript. S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum

No. 2552-943

Il Rettore della chiesa del Gesù Nuovo in Napoli, prostrato al bacio del sacro piede della Santità Vostra, espone che nella stessa chiesa fin dal 1837 è eretta la Pia Associazione del Purissimo Cuore di Maria per la conversione dei peccatori. Ogni sabato la detta Associazione si riunisce per la Messa, il Rosario, la predica ed altre pratiche di pietà. Ad accrescere sempre più la devozione verso la Madonna, l'Oratore domanda la grazia che nell'altare, dove è venerata l'Immagine del Purissimo Cuore di Maria, se ne possa dire la S. Messa votiva il primo sabato del mese da tutti i sacerdoti, che vi si recano a celebrare.

SOCIETATIS IESU.

Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII tributarum, attentis expositis et Rev.mi P. Procuratoris Generalis commendationis officio, benigne annuit pro gratia iuxta preces ad proximum quinquennium, cum unica Missa tantum primo cuiusvis mensis sabbato — dummodo non occurrat duplex I. vel II. classis, feria, octava et vigilia quae sint ex privilegiatis, nec non festum, octava aut vigilia ipsius Deiparae Virginis — et aliquod pium exercitium in honorem eiusdem Beatae Mariae Virginis peragatur. Servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 3 martii 1943.

† Carolus Card. Salotti, *S. R. C. Praef.*
A. Carinci, *S. R. C. Secret.*

Eadem gratia concessa est Sedunensi Collegio Canisiano, die 10 aprilis 1943.

19. 14 maii 1943.

B. M. V. a Strata declaratur et constituitur Provinciae Taurinensis Patrona, cum omnibus iuribus et privilegiis liturgicis. — Rescript. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
No. 2930-943

SOCIETATIS IESU.

Beata Virgo Maria sub titulo « a Strata », prouti in templo Farnesiano Urbis exstat, multis ab annis in domo probationis Provinciae Pedemontanae Societatis Iesu peculiari religione ac pietate colitur. Cum in illa domo sodales omnes eiusdem Provinciae initia religiosae vitae agere debeant, exinde devotio erga ipsam Deiparam in totam Provinciam emanavit, ita ut veluti peculiaris patrona ab omnibus habeatur. Quam devotionem augere summopere cupiens, hodiernus Praepositus eiusdem Provinciae sodalium omnium vota excipiens, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII. suppliciter exoravit ut Eandem B. M. V. « a Strata » praecipuam ipsius Pedemontanae Provinciae apud Deum Patronam declarare ac constituere benigne dignaretur.

Sanctitas porro Sua his precibus amplissimi E.mi ac Rev.mi Domini Petri Cardinalis Boetto, Archiepiscopi Ianuensis, eiusdem Societatis ac Provinciae sodalis, nec non Rev.mi P. Procuratoris Generalis commendationis officio suffultis, ab infrascripto S. Rituum Congregationis Cardinali Praefecto relatis, libenter deferens, Beatam Virginem Mariam « a Strata » praecipuam Provinciae Pedemontanae Societatis Iesu Patronam declaravit atque constituit, cum omnibus iuribus et privilegiis liturgicis, tamen sine octava; indulta quoque facultate celebrandi uti votivam Missam propriam B. M. V. « a Strata » quoties ea a Rubricis permittitur. Quibuscumque contrariis non obstantibus.

Die 14 maii 1943.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*
A. CARINCI, *S. R. C. Secret.*

L. ✠ S.

20. **7 iunii 1943.**

Missa votiva S. Francisci Xaverii ad eius altare in Romano templo SS. Nominis, peregrinorum gratia, conceditur. — Rescript. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N°. 51-943

Rector Ecclesiae Societatis Iesu de Urbe, SS.mo Nomini Iesu dicatae, ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit, ut Sacerdotibus omnibus sacrum facientibus in altari S. Francisco Xaverio Conf. dicato liceat singulis per annum diebus, exceptis excipiendis, Missam votivam celebrare de eodem Sancto. — Et Deus, etc.

SOCIETATIS IESU.

Instante Rev.mo Rectore Ecclesiae Sanctissimi Nominis Iesu de Urbe, Societatis Iesu, Rev.mi P. Procuratoris Generalis commendationis officio suffulto, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a SS.mo Domino nostro Pio Papa XII, tributarum, benigne indulsit, ut sacerdotes peregrini et duces peregrinorum Sacrum litantes in altari praefatae Ecclesiae Sancto Francisco Xaverio dicato, singulis per annum diebus Missam propriam eiusdem Sancti Confessoris uti votivam celebrare valeant; dummodo non occurrat duplex I. vel II. classis, Dominica, festum, octava et vigilia quae sint ex privilegiatis, excepto quoque Quadragesimali tempore. Valituro praesenti Indulto ad proximum quinquennium. Servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Die 7 iunii 1943.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

A. CARINCI, *S. R. C. Secret.*

21. **19 augusti 1943.**

Facultates Iuris Canonici et Medicinae in Bogotensi Pont. Univ. Cathol. Xaver. (Prov. Colomb.) canonice eriguntur eorumque Statuta probantur. — S. C. de Sem. et Stud. Univ.

I.

SACRA CONGREGATIO
DE SEM. ET STUD. UNIVERS.

—

No. 966-43-1

DECRETUM

Quo facilius ingenio praestantes ex utroque clero iuvenes ecclesiasticarum legum periti evaderent iuridicasque disciplinas scientifice excolere perdiscerent, gradibus academicis honestandi, Exc.mus Archiepiscopus Bogotensis cum caeteris Colombianae Nationis Episcopis, et Rev.mus Societatis Iesu Vicarius Generalis enixe a Sancta Sede postularunt, ut in Pontificia Universitate Catholica a S. Francisco Xaverio in urbe Bogotá Facultas quoque Iuris Canonici erigeretur.

BEATISSIMUS PATER, infrascripto Cardinali huius Sacrae Congregationis Praefecto referente, petitionem benigne excipere dignatus est.

Quapropter Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus in memorata Pontificia Universitate Catholica Bogotensi Facultatem Iuris Canonici praesenti Decreto canonice erigit et erectam declarat, potestate eidem facta gradus academicos conferendi secundum Constitutionem Apostolicam « Deus Scientiarum Dominus » eique adnexas Ordinationes nec non peculiaria Statuta a Sancta Sede approbata; servatis caeteris de iure servandis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, die XIX mensis augusti, in Festo Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis, anno Domini MCMXXXXIII.

I. Card. PIZZARDO, *Praefectus.*

ERNESTUS RUFFINI, *Secretarius.*

II.

SACRA CONGREGATIO
DE SEM. ET STUD. UNIVERS.

No. 966-43-2

DECRETUM

Moderatores Pontificiae Universitatis Catholicae a S. Francisco Xaverio in urbe Bogotá ut christianae iuventuti apta praeberent magisteria ad omnia in civili societate munia et officia digne et utiliter adimplenda, praeter Facultates Iuris, Scientiae, Litterarum iam in eadem florentes, Medicinae quoque Facultatem condi et ordinari curaverunt. Quo autem etiam novissima haec civilis Facultas arctiori vinculo cum Apostolica Sede iungeretur, ab eadem Apostolica Sede postularunt ut peculiari Decreto canonice erigeretur.

BEATISSIMUS PATER, infrascripto Cardinali huius Sacrae Congregationis Praefecto referente, precibus benigne annuere dignatus est.

Quapropter Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus in memorata Pontificia Universitate Catholica Bogotensi Facultatem Medicinae canonice erigit et erectam declarat; servatis de iure servandis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, die XIX mensis augusti, in Festo Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis, anno Domini MCMXXXXIII.

I. Card. PIZZARDO, *Praefectus.*
ERNESTUS RUFFINI, *Secretarius.*

III.

SACRA CONGREGATIO
DE SEM. ET STUD. UNIVERS.

No. 966-43-3

Sacra Congregatio de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, haec (1) peculiaria Statuta Facultatis Iuris canonici in

(1) Supervacaneum visum est ea in A. R. referre.

Pontificia Universitate catholica Bogotensi a S. Francisco Xaverio approbat et ut fideliter observentur praescribit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, die XIX mensis augusti, in Festo Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis, A. D. MCMXXXXIII.

I. Card. Pizzardo, *Praefectus.*

Ernestus Ruffini, *Secretarius.*

22. anno 1943.

Nominationes pontificiae quorumdam e Nostris ad varia munera. — Ex « Act. Ap. Sed. ».

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

La S. Congregazione « de Propaganda Fide » ha nominato:

27 febbraio 1943 - il R. P. Giovanni M. Restrepo R. (1) Consigliere del Segretariato Internazionale dell'Unione Missionaria del Clero per l'America Latina.

OFFICIUM SECRETARIAE STATUS (2)

Con biglietto della Segreteria di Stato il S. Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

8 maggio 1943 - i RR. PP. Pietro Pirri (3) e Raimondo Bidagor (4) Consultori della S. Congregazione del Cerimoniale.

30 ottobre 1943 - il R. P. Michele Ledrus (5), Consultore della S. Congregazione dei Riti.

(1) E Prov. Colombiana: est Professor historiae Curiae Romanae ad Tabularium Vaticanum et Theologus Datariae Apostolicae et S. Paenitentiariae.

(2) *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXV, 1943, pag. 160 et pag. 403.

(3) E Prov. Romana: est scriptor et operis socius pro « *Archivum Historicum S. I.* ».

(4) E Prov. Toletana: est Decanus Facultatis Iuris Canonici in Pont. Universitate Gregoriana ibique Professor.

(5) E Prov. Belgica Meridionali: est Professor theologiae et philosophiae in Facultate Missiologica Pont. Universitatis Gregorianae.

Litterae quaedam officiosae.

23. 18 ianuarii 1943.

Gratulatoria Pont. Instituto Biblico de Urbe. — Epist. Card. Secret. Stat.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

No. 58408

Dal Vaticano, 18 gennaio 1943.

REVERENDISSIMO PADRE,

Gli auguri del Pontificio Istituto Biblico, così filiali e ricchi di sante e belle cose, accompagnati sopratutto da fervide preghiere, hanno recato vivace conforto all'animo dell'Augusto Pontefice, profondamente amareggiato dal perdurare dei presenti tristissimi avvenimenti.

Per questo la Santità Sua esorta professori ed alunni a perseverare nelle ardenti suppliche affinchè il Signore, per la materna intercessione del Cuore Immacolato di Maria Santissima, usi misericordia a questa povera desolata umanità.

Si compiace intanto la Santità Sua dell'ottimo, sicuro, fecondo lavoro intellettuale che il benemerito Istituto, con tenace e insieme pia perseveranza, va svolgendo a vantaggio degli studiosi di cose bibliche, onde, illuminati sapientemente sulla divina Parola, siano seminatori di luce e di zelo apostolico a vantaggio degli alunni del santuario.

La mole e il valore delle tre Riviste, filialmente umiliate al Santo Padre nei volumi dell'annate 1942, sono una duratura e fervida attestazione della serietà e dell'efficacia del lavoro, cui il Pontificio Istituto Biblico si applica senza soste e senza scoraggiamenti.

Sui professori e sugli alunni, nonchè sulla loro diligente e dotta attività, la Santità Sua implora nuove luci e nuove grazie dallo Spirito Paracleto, mentre a tutti e a ciascuno invia di gran cuore la propiziatrice Apostolica Benedizione.

Mi valgo della circostanza per professarmi con sensi di religiosa stima

della Paternità Vostra Reverendissima
dev.mo nel Signore
L. Card. MAGLIONE.

Reverendissimo Padre
P. AGOSTINO BEA, S. I.
Rettore del Pontificio Istituto Biblico - Roma.

24. 13 aprilis 1943.

Gratulatoria pro Missionibus popularibus Prov. Legionensis. — Epist. Card. Secret. Stat.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

No. 63907

Dal Vaticano, 13 de Abril de 1943.

REVERENDO PADRE:

El Augusto Pontífice ha recibido con particular agrado la Memoria correspondiente al período 1941-1942, en la que se detalla la labor realizada por la obra de Misiones Populares de esa Provincia de León.

En el resurgir espiritual de esa católica Nación, los Padres de la Compañía de Jesús, siguiendo la santa y gloriosa tradición de esa Provincia, se han prodigado con abnegación y celo en sembrar la buena semilla del Evangelio para recoger los frutos de muchas almas que han vuelto a vivir la vida cristiana.

Su Santidad, que ha visto el número de las Misiones dadas y cuánto bien han producido, especialmente en Vigo, Santander, Orense y La Coruña, se congratula con Vuestra Reverencia, augurando que el Señor asista siempre con su divina gracia el meritorio ministerio que desarrollan. Para que así sea, el Santo Padre otorga a Vuestra Reverencia y a los Misioneros la Bendición Apostólica.

Con los sentimientos de mi mayor consideración, soy

de Vuestra Reverencia
devoto servidor
L. Card. MAGLIONE.

R. P. GREGORIO SÁNCHEZ-CÉSPEDES, S. I.
Prefecto de Misiones Populares de la Provincia de León.
Seminario Menor - Carrión de los Condes.

Excerpta quaedam ex aliis Actis Apostolicae Sedis anno 1943 editis.

25. 29 iunii 1943.

Testimonium pontificium de Apostolatu Orationis. — Ex Encycl. Pii XII « Mystici Corporis » (1).

Postquam Summus Pontifex in extrema Encyclicae parte christifideles ad patientiam in tolerandis malis, quibus nunc undique premimur, cohortatus est, ita prosequitur:

« Ad quod quidem propositum aptius efficiendum multum profecto multumque confert cotidiana sui ipsius Deo oblata devotio, quae membris in usu est sodalitatis, quam ab Orationis Apostolatu vocant, quam quidem sodalitatem, utpote Deo gratissimam, Nobis cordi est heic summopere commendare ».

26. 30 septembris 1943.

Pont. Instituti Biblici de Urbe ortus, munus et merita dilaudantur. — Ex Encycl. Pii XII « *Divino afflante Spiritu* » (2).

..... denique [Pius X], « ut in Urbe Roma altiorum studiorum ad Libros Sacros pertinentium haberetur centrum, quod efficaciore, quo liceret, modo doctrinam biblicam et studia omnia eidem adiuncta, sensu Ecclesiae catholicae promoveret », Pontificium Institutum Biblicum condidit, quod, inclitae Societatis Iesu curis concreditum, « altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicae ornatum » voluit, eisque leges ac disciplinam praescripsit, hac in re « salutare ac frugiferum propositum » Leonis XIII sese exsequi professus.

Haec denique omnia proximus Decessor Noster fel. rec. Pius XI perfecit, inter alia decernens, ne ullus esset « Sacrarum Litterarum disciplinae in Seminariis tradendae doctor, nisi, con-

(1) *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXV, 1943, pag. 246.
(2) *Act. Ap. Sed.*, vol. XXXV, 1943, pag. 301 sq. et 304.

fecto peculiari eiusdem disciplinae curriculo, gradus academicos apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime esset ». Quos quidem gradus eadem iura eosdemque effectus parere voluit, ac gradus in Sacra Theologia vel in iure canonico rite collatos; itemque statuit ne ulli conferretur « beneficium, in quo canonice inesset onus Sacrae Scripturae populo explanandae, nisi, praeter alia, is esset licentia aut laurea in re biblica potitus ». Atque una simul exhortatus tam summos Ordinum regularium Sodalitatumque religiosarum Moderatores, quam catholici orbis Episcopos, ut ex alumnis suis aptiores ad Scholas Instituti Biblici celebrandas et ad gradus academicos ibi adipiscendos mitterent, hortationes eiusmodi suo exemplo confirmavit, annuis, in id ipsum efficiendum, ex largitate sua reditibus constitutis....

.... Non modo autem hisce Decessorum Nostrorum institutis, praeceptis,incitamentis, sed eorum etiam omnium, qui diligenter iisdem obsecundarunt, operibus ac laboribus, cum in meditando, in pervestigando, in scribendoque, tum in docendo, in concionando, in Sacrisque Libris vertendis ac propagandis exantlantis, aequum ac gratum est profiteri Sacrarum Scripturarum scientiam et usum inter catholicos haud parum profecisse. Permulti enim e scholis, in quibus altiores de re theologica et biblica disciplinae traduntur, ac praecipue e Nostro Pontificio Instituto Biblico, iam prodierunt et in dies prodeunt Scripturae Sanctae cultores, qui incenso studio erga Sacra Volumina animati, hoc eodem impenso studio adulescentem clerum imbuunt, eamque, quam hauserunt, doctrinam eidem sedulo impertiunt. Eorum non pauci scriptis quoque rem biblicam multifariam provexerunt et provehunt; sive cum sacros textus ad criticae artis normas concinnatos edunt, eosque explicant, illustrant, in vulgatas linguas vertunt, sive cum fidelibus ad piam eorumdem lectionem et meditationem proponunt, sive denique cum profanas disciplinas ad Scripturam explanandam utiles excolunt atque adsciscunt.

27. 21 iulii 1921.

Summus Pontifex Benedictus XV S. Ioannem Berchmans peculiarem clericorum patronum esse demonstrat. — Sermo S. P. Benedicti XV ad alumnos Seminarii Romani [1].

Siamo nell'anno dei centenari: l'amore alla scienza e alla pietà Ci fa salutare con gioia il giorno imminente in cui si compiranno 7 secoli dalla morte del patriarca S. Domenico. Il desiderio vivissimo d'affrettare la riforma sociale Ci fa rallegrare della commemorazione del 7° centenario della fondazione del Terz'Ordine di S. Francesco, nella speranza che come il Terz'Ordine di S. Francesco nel sec. XIII sanò il mondo, così ora questo possa esser risanato. E finalmente la convenienza di rivendicare alla Chiesa cattolica uno dei più eletti ingegni Ci fa pregustare le gioie delle feste di Dante che in alcuni luoghi si sono già celebrate, ma che devono avere a Ravenna il loro epilogo. Non parliamo dei centenari di San Bonaventura e del Beato Canisio, giacchè la Chiesa, quando celebra il centenario, vuole commemorare il *dies natalis* che ha aperto la porta alla vita celeste, non alla vita terrena. Ma tra i centenari che si commemorano ve n'è un altro importante che dev'essere considerato e che sembra avere un interesse speciale per gli alunni dei seminari. E' il centenario di S. Giovanni Berchmans, che è protettore e patrono dei chierici quasi a preferenza dello stesso San Luigi Gonzaga, perchè Benedetto XIII assegnò S. Luigi come patrono di tutta

(1) Pulcher hic sermo, nescimus quo pacto, in *Acta Romana* relatus non fuit. Editus primum est in ephemeride Pont. Seminarii Romani *Sursum Corda* 1 aug. 1921. Quem cum Summus Pontifex legisset, illum sua manu emendavit, emendatumque P. Alexandro Basile (Prov. Rom.), qui erat Ei a confessionibus, tradidit in lucem iterum edendum, si luberet. Statim post, ratas habuit duas alias emendationes historicas, de quibus rogatus fuerat.

Nos textum integre emendatum proferimus, quem invenies praefixum libello *S. Ioannis Berchmans documenta vitae spiritualis Clericis proposita;* Roma, Università Gregoriana 1922, tertia editio.

Meminisse heic iuvat, A. R. P. Ledóchowski huius sermonis auctoritate fretum obtinuisse anno 1930, ut in Seminariis Regionalibus Italiae. Societatis curae commissis, festum liturgicum S. Ioannis Berchmans agi posset die 26 novembris vel alio die a Superioribus dicendo (*Act. Rom.*, vol. VIII, 1936, pag. 461).

la gioventù studiosa, non solo clericale, ma anche secolare, senza distinzione. Inoltre patrono deve essere quegli che si presta tutto e solo all'imitazione dei protetti che stanno sicuri all'ombra del suo patrocinio. S. Luigi è certamente il tipo dei chierici; ma qualche alunno del santuario potrebbe ricordare la vita di corte nella Spagna, i vincoli con persone altolocate, la rinunzia al marchesato, e potrebbe pensare: noi non dobbiamo trattare colle corti, non dobbiamo far rinunzie a posizioni cospicue! San Giovanni Berchmans è invece, in modo del tutto speciale, per antonomasia, il patrono dei chierici. Perciò voi dovete rallegrarvi di questa coincidenza e dire: S. Giovanni Berchmans è stato quello che siamo noi, quindi noi dovremo essere tanto buoni e santi, quanto S. Giovanni Berchmans. Veramente tutti i santi devono esser imitati; ma nei santi si deve considerare la loro caratteristica; e quando vediamo che San Giovanni Berchmans si è sacrificato fra le pareti domestiche, nelle scuole, nella casa del noviziato di Malines e nel Collegio Romano qui in Roma, scorgiamo in lui l'esemplare della vita di buon chierico e di buonissimo studente. Dovete quindi pensare: noi trascorriamo la vita ora in casa ora nella cella del seminario, ora insieme ai compagni; se si è santificato il Berchmans in queste condizioni nelle quali ci troviamo, anche noi dovremo santificarci. Tutto il tipo della santità di S. Giovanni Berchmans sta qui: egli è stato l'uomo del dovere, lo ha compiuto sempre e tutto: e i chierici allo stesso modo lo devono compiere. E noi lo possiamo dimostrare con un triplice argomento che poi non è che uno solo considerato sotto triplice aspetto.

Voi sapete che S. Giovanni Berchmans fin dai primi anni fu affidato dal padre alle cure del suo maestro Valerio Van Stiphout: poi passò al piccolo seminario che aveva aperto il canonico Pietro Emmerich, e tra il collegio e il seminario giunse all'età di 13 anni. Di quell'età abbiamo la testimonianza dei due maestri, i quali non ebbero mai occasione, nè di punirlo, nè di correggerlo. I piccoli specialmente possono qui riflettere che qualche volta essi possono meritare la correzione e forse, se questa non basta, anche la punizione. Invece di S. Giovanni Berchmans si disse che non aveva avuto occasione non solo di esser punito, ma neppure di essere corretto. Ora chi non ha bi-

sogno di esser corretto fa il suo dovere: quindi egli aveva fatto il suo dovere.

Dal piccolo seminario di Diest passò a quello di Malines, poi al noviziato dei Gesuiti in quella stessa città. Egli desiderava, era avido d'esser corretto dei difetti nei quali riteneva di essere caduto. Un giorno, il maestro dei novizi volle accontentarlo, e ordinò a tutti i novizi suoi compagni che scrivessero sopra una cartina qualche difetto osservato in S. Giovanni Berchmans. Il maestro raccolse poi le cartine e con solennità si presentò dinanzi ai novizi per darne pubblica lettura. Ma, oh maraviglia! Quei foglietti erano tutti bianchi: nessuno aveva osservato neppure un solo difetto. Dice il padre Cepari che è da rilevare la circostanza che i giovani sono facili a scoprire i difetti che hanno gli altri, e si dice che i migliori giudici sono i compagni. Anzi talvolta tagliano, tagliano anche più di quello che il panno offre alle forbici: ma malgrado questa facilità di giudicare, i novizi dovettero astenersi, e dichiarare di non aver trovato difetto alcuno. Orbene, fa il suo dovere chi dai compagni è dichiarato immune dai difetti: ma San Giovanni Berchmans dai compagni fu dichiarato immune dai difetti: dunque S. Giovanni Berchmans fece il suo dovere.

Un terzo argomento lo possiamo dedurre dalla dichiarazione del Padre Cepari, a cui negli ultimi momenti della vita S. Giovanni Berchmans aveva detto che gli dava consolazione e tranquillità il ricordo di non aver trasgredito nessuna regola nei cinque anni che stette nella Compagnia. Questa testimonianza è figliuola della coscienza di chi ha fatto il suo dovere. Dunque vedete che il triplice argomento si riduce a uno solo: fa il dovere chi non è stato mai nè corretto, nè punito; chi non è stato giudicato dai compagni; chi muore dicendo di non aver mai trasgredito la regola: ma tutto ciò si è compiuto in S. Giovanni Berchmans: dunque egli ha fatto il suo dovere.

Noi abbiamo riconosciuto che S. Giovanni Berchmans è il nostro patrono e che lo dobbiamo imitare: ne viene perciò di conseguenza che dobbiamo fare il nostro dovere, tanto più che noi ci troviamo in condizioni analoghe. E il Berchmans non fece il suo dovere per opportunità, ma per una massima, per un principio, che formava la base sulla quale si fondava la sua virtù. E qui vorremmo che fosse nelle vostre mani un aureo libretto

pubblicato dal compianto e venerato Mons. Tarozzi: « Documenta vitae spiritualis clericis proposita ». In esso voi avete la voce del vostro antico, venerato e diletto maestro di spirito, il quale vi dice che come al Berchmans così convengono anche a voi quei documenti.

Questo aureo libretto del venerato Mons. Tarozzi noi vorremmo che fosse nelle vostre mani: ma nella supposizione che a tutti voi esso sia famigliare, ricorderemo tra questi documenti quelli che furono i principî che diressero le relazioni di Giovanni Berchmans con i superiori, con i compagni e con se medesimo, santificandolo, perchè in modo analogo abbiano a santificare i giovani nelle relazioni con i superiori, con i compagni e con se medesimi. In quest'aureo libretto trovate che quanto ai superiori il Berchmans aveva scritto: « Mi studierò di trovare sempre Dio nei superiori ». Parole preziose, perchè chi vede nei superiori la rappresentanza di Dio non mette in dubbio l'autorità loro. Quando adunque parla il superiore, riconoscete in lui Iddio e così ubbidirete, giacchè non potrete negare obbedienza quando riconoscerete nei vostri superiori Dio medesimo: saranno così santificati i vostri rapporti con i superiori. In questo documento sono degne di molta attenzione le parole: « mi studierò di trovare », perchè esse significano: « so che c'è Dio, ma mi studierò di scoprirlo, e quando l'avrò scoperto farò come a lui piace ». S. Giovanni Berchmans riguardo ai superiori ed ai padri spirituali scende ancora al particolare. Egli dice: « davanti ai superiori e padri spirituali ti sforzerai d'esser tutto candido e sincero come l'acqua pura ». Ciò indica la sincerità necessaria a tutti i cristiani, ma specialmente ai chierici. Un ultimo documento della vita spirituale dato da S. Giovanni Berchmans per santificare le sue relazioni verso i superiori è che non avrebbe mai domandato spiegazione del precetto dato. E' questa l'obbedienza cieca: cieca, non perchè non si vede ciò che si deve fare, ma perchè non se ne vogliono sapere le ragioni.

Nei documenti di S. Giovanni Berchmans possiamo trovare la massima per regolare i nostri rapporti con il prossimo. Giovanni scrive che avrebbe sempre considerato tutti i suoi compagni come migliori di sè, e tutti gli altri come superiori a sè. Seguendo questo principio, facilmente osservava il suo dovere di carità verso i compagni, e non si aveva mai a male per qual-

siasi parola pungente, per qualche sgarbo ricevuto. Essi sapranno le ragioni per cui fanno ciò, pensava egli, sono migliori di me! Ma considerava anche tutti come superiori a sè. Si narra che alla presenza di sacerdoti, quando aveva dai dieci ai dodici anni, stava sempre col capo scoperto, appunto perchè riconosceva la superiorità del sacerdote. Ciò non era straordinario per un fanciullo, era un dovere; ma questo dovere compiuto da fanciullo, divenuto grande, lo estendeva a tutti gli altri. Con ciò ben si spiega la sua buona maniera, il rispetto che aveva verso i compagni nel lasciare loro costantemente la destra, il non alzare mai la voce, il non ammettere discussioni, il rimettersi al parere altrui. Sono questi veramente documenti di vita spirituale e ve li dà il vostro patrono, nè alcuno vi sia che non li faccia suoi. Egli diceva che sarebbe stato sempre l'ultimo: diceva che l'amor proprio era il grande nemico, e però dichiarava di volerlo mettere sotto i piedi. Nessuna meraviglia, se con questi documenti egli facesse sempre il suo dovere.

E qui non vorremmo che qualcuno pensasse che S. Giovanni Berchmans stava nelle aure pure della santità, mentre noi siamo costretti a stare in basso, dovendo pensare agli studi. Dovete pensare agli studi sempre durante tutto l'anno: vorremmo anzi che ci pensaste ancor di più, e non solamente quando s'avvicina il tempo degli esami per non avere un esito sconfortante. L'esempio di Giovanni Berchmans vale anche qui, giacchè voi sapete che l'8 luglio 1621 pubblicamente difese tutta la filosofia con sommo onore; e che il 6 agosto seguente, in altra pubblica disputa, alla quale doveva prendere parte come secondo argomentante, venuto a mancare il primo, fu improvvisamente destinato a sostituirlo, e il Berchmans anche in quella disputa per un'ora intera sostenne splendidamente gli onori della giornata. Abbiamo voluto ricordare questa circostanza per far notare che lo studio non si oppone alla pietà; e S. Giovanni Berchmans fu sommo non solo nella pietà, ma anche negli studi. Dovete perciò prenderlo a vostro modello e imitare il suo esempio. E il mezzo che usava per salire a tanta perfezione era di camminare alla divina presenza per far sempre dinanzi a Dio il suo dovere. Che il suo spirito sia stato sempre fisso in Dio, lo potete raccogliere da quegli scherzi che alla mensa gli facevano i compagni, i quali dicevano che pellegrinava anche in quel momento e che anche

allora non si attaccava alla terra, perchè egli non si lamentava mai delle vivande, ancorchè disgustose, non domandava cibi migliori, e avendo di che nutrirsi e coprirsi aveva abbastanza. Così voi, se volete imitare San Giovanni Berchmans, dovete camminare alla divina presenza e staccarvi dalla terra, usando insieme quell'altro mezzo di cui si valeva il Berchmans, cioè della divozione a Maria SS.ma. Nell'aureo ed ammirabile libretto *Documenta vitae spiritualis* infatti, si legge il proposito che specialmente in mezzo alle difficoltà degli studi, nelle quali si sarebbe potuto trovare, avrebbe egli elevato la mente a Maria.

Se voi, figliuoli, volete il fine, valetevi dei mezzi. Volete il fine? Adoperate i mezzi di S. Giovanni Berchmans, da lui compendiati nell'esercizio della divina presenza e nella devozione alla SS.ma Vergine. Chi poi usa gli stessi mezzi potrà raggiungere lo stesso fine; e questo fine l'auguriamo a voi. Pochi giorni ci separano dalla morte di Giovanni Berchmans: il 13 agosto saranno tre secoli dalla morte del santo giovane; e voi in questi giorni, e in tutto il resto dell'anno scolastico, e lungo tutto il corso della vostra vita abbiate sempre per lui divozione speciale. Però S. Giovanni Berchmans vi sia patrono non solo per la sua intercessione, ma anche come esemplare delle sue virtù. Questo desideriamo e auguriamo, e questo augurio lo facciamo a voi, diletti figli, ed a noi stessi. Affinchè vi possa accompagnare in questi giorni della vostra formazione la grazia divina, e possiate imitare San Giovanni Berchmans compiendo sempre e tutto il vostro dovere, ricevete la Nostra paterna benedizione.

Interpretatio latina.

Annus volvitur centenariis anniversariis dives: scientiae pietatisque amore perciti, laeti persentimus iam proximum diem, quo septem ante saecula S. Patriarcha Dominicus ad superos evolavit. Ingens, quo urgemur, desiderium emendandi quam primum societatis collapsos mores, spem laetitiamque in Nobis fovet celebrandi septimi item saeculi a condito Tertio S. Francisci Ordine, quo nostra aetas non secus ac accidit seculo XIII ad meliorem frugem adduci queat. Denique cum nos deceat, Ecclesiae Catholicae repetere nobilissimum Dantis Aligherii ingenium, gaudio Nos afficiunt sollemnia quae eidem alicubi quidem iam inchoata sunt, sed Ravennae perficientur.

Non loquimur de centenaria commemoratione Sancti Bonaventurae et Beati Canisii, quippe quod cum eiusmodi memorias Ecclesia celebrat, laudare vult *diem natalis*, quo quis vitae caelestis, non terrenae, limina ingressus est.

Sed inter haec sacra praestant, singulari consideratione digna praesertim pro alumnis seminariorum, illa S. Ioannis Berchmans. Is enim, peculiarius etiam quam ipse S. Aloisius Gonzaga, custos ac patronus clericorum est. Nam Benedictus XIII S. Aloisium universae iuventuti studiosae, sive ecclesiasticae sive laicae, nullo facto discrimine, patronum declaravit.

Praeterea illum patroni nomine dignari solemus, qui se totum ac solum ad excitandam sui plenam imitationem clientibus accommodat, qui proinde eius patrocinio secure vivunt.

Nemo profecto inficiabitur, S. Aloisium esse clericorum exemplar praestantissimum; verum nonnullus seminarii alumnus, obiciens vitam quam ille in aula Regis Hispaniae duxit et consuetudines cum patriciis atque abdicata marchionis imperia, secum ipse cogitare potest, nos neque aulas regias adire, neque abdicare divitiis aut conspicuis honoribus debere.

Contra, S. Ioannes Berchmans propria quadam ratione, per antonomasiam est clericorum patronus. Quare his sollemniis gaudere debetis et dicere: S. Ioannem Berchmans nobis similem fuisse, ideoque necesse esse, nos simus tam probi tamque sancti, quam fuerit S. Ioannes Berchmans.

Sane, omnes Sancti imitandi sunt; sed in illis consideranda est sua cuiusque virtus. Cum igitur cernimus S. Ioannem Berchmans sanctum evasisse domi suae, in scholis, in tirocinio Mechliniensi (Malines), in Collegio Romano Urbis, plane conspicimus in eo exemplar vitae ab optimo quoque clerico et iuvene studioso ducendae.

Quare, vos iuvat perpendere, vitam vestram agi modo domi, modo in seminarii conclavi, saepe una simul cum sociis: ergo si Berchmannus sanctus evaserit in his iisdem adiunctis, in quibus vos ipsi versamini, vos quoque fieri sanctos debere. Ipsa sanctimoniae nota, qua S. Ioannes Berchmans inter alios eminuit, huc vergit: fuit nimirum debiti officii vir, quod semper integreque persolvit. Eadem ergo ratione clerici suum quisque perficiant oportet.

Id tribus argumentis possumus ostendere, quae verius unum idemque sunt, sed trifariam consideratum.

Vos non latet, S. Ioannem Berchmans iam a puero curis magistri Valerii Van Stiphout, iussu patris, commissum esse; deinde in parvum seminarium cooptatum fuisse, quod canonicus Petrus Emmerich instituerat, quo collegii seminariique tempore annum aetatis attigisse decimum tertium. Utriusque magistri exstat adhuc

testimonium de toto illo vitae cursu, quod asserit ipsos nullam umquam occasionem illius puniendi emendandive habuisse. Hic cogitent praesertim minores natu se posse aliquando animadversionem et forsan, si ea non sufficiat, poenam etiam mereri, cum de S. Ioanne Berchmans dicatur eum nullam occasionem admonitionis aut poenae praebuisse. Iamvero cui opus non est emendatione, is certe quod suum erat rite perfecit: Ioannes igitur officium suum persolverat.

A parvo seminario Distemiensi (Diest) in Mechliniense et inde in tirocinium Societatis Iesu, ibidem situm, venit. Ipse cupiebat atque adeo avebat de erroribus corrigi, quos putabat se patrare. Tum noviciorum Magister, eius desiderio satisfacturus, iussit omnes socios scribere quidquid minus rectum in S. Ioanne Berchmans deprehendissent. Magister cum schedas collegisset, graviter novicios adivit, ut eas coram legeret. At illico stupuit! omnes omnino albae erant: nemo fuit, qui vel unum mendum annotasset. Ea in re Pater Cepari apte considerat, cum iuvenes faciles sint ad aliorum menda detegenda, ita ut socii dicantur esse iudices optimi quam qui maxime, sed etiam plura interdum detrahere, quam par sit, nihilominus eos nihil de Ioanne scribendum habuisse, sed declarasse, se in illo nullum mendum invenire. Porro, qui a sociis expers mendorum iudicatur, is officio non deficit. Ergo S. Ioannes officium obivit.

Tertium argumentum ex auctoritate Patris Cepari eruitur, cui S. Ioannes Berchmans iam iam moriturus dixit, sibi solacio atque tranquillitati esse, se numquam, quantum meminisset, toto quinquennio quo in Societate vixerat vel unam regulam neglexisse. Eiusmodi declaratio fieri nequit nisi conscientia bene servati offici.

Quae cum ita sint, probe cernitis, tria argumenta ad hoc unum reduci, videlicet eum officio suo parem semper fuisse, qui numquam vel corrigendus vel puniendus vel a sociis appellandus fuerit, quique mortem oppetens fateatur, se nulli umquam regulae defuisse. Haec omnia in S. Ioanne Berchmans inveniuntur. Ergo suum ipse officium exsecutus est.

Vidimus et S. Ioannem Berchmans nostrum patronum esse et fas esse nos illum imitari. Hinc sequitur, nos officio nostro fungi debere, eo vel magis quod in simili vitae condicione versemur.

Berchmannus tamen non ita se gerebat quadam opportunitate motus, sed proposito certaque ratione, quod fundamentum eius virtutis erat. Atque hic Nobis in votis est, ut vos prae manibus habeatis aureum quendam libellum a bonae memoriae Domino Tarozzi editum: « Documenta vitae spiritualis clericis proposita ». In eo vox resonat adhuc veteris huius vestri ac venerandi magistri spiritus, affirmantis ea documenta quae ad Berchmannum pertinuerunt, eadem omnino vos quoque decere.

Hunc autem libellum venerandi Domini Tarozzi velimus, inquimus, prae manibus habeatis: immo rati eum vobis esse familiarem, ex his documentis illa in memoriam evocabimus, quae ad consuetudinem Ioannis Berchmans cum Superioribus, cum sociis et secum ipso spectant, quippe quae iuvenes erga Superiores, socios, seipsos possint sanctos pariter efficere.

De Superioribus ibi Berchmannus scribit: « In omnibus Superioribus meis Deum invenire studebo ». Verba sane pretiosa! Qui enim in Superioribus Legatum Dei videt, is de eorum auctoritate minime dubitat. Quoties igitur Superior loquitur, cernite in eo Deum, et dicto audientes eritis. Neque enim obedire renuet, qui in Superiore Deum ipsum contemplatur; atque ita vestra cum Superioribus necessitudo sancta erit.

In eadem illa sententia attentos vos faciant illa praesertim verba « invenire studebo ». Ea enim significant, notum quidem esse, Deum in illis habitare, sed nobis conandum esse, ut illum reperiamus; quem si repererimus, procul dubio nos esse facturos ea, quae illi placeant.

S. Ioannes Berchmans de Superioribus et spiritus magistris singularia quaedam etiam persequitur. « Apud Superiores ait, et Patres meos spirituales esse conabor candidus totus et sincerus et velut aqua purissima ». Illud sane ad omnes christifideles necessario pertinet, ut sint sinceri, sed praecipue clerici tales esse debent.

Tandem illud citabo documentum vitae spiritualis, quod S. Ioannes Berchmans tradit ad sancte agendum cum Superioribus, nimirum se « nolle, ut Superior quando aliquid imperat, ullam reddat rationem ». Eiusmodi oboedientia dicitur caeca; caeca scilicet non quod ea quae facienda sunt non videat, sed quod non velit sibi reddantur eorum causae.

Inter documenta S. Ioannis Berchmans illud praeterea invenimus quod consuetudinem nostram cum proximis moderatur. Ioannes scribit, se socios semper putaturum esse seipso meliores, ceteros autem omnes seipso superiores. Huic sententiae inhaerens, facile debitum caritatis munus erga condiscipulos solvebat, numquam aegre ferens, si quod verbum aut inurbanitas eum feriret. Censebat enim illos sibi conscios esse, cur ita facerent, eosque se meliores existimabat. Sed eos superiores quoque credebat. Dicitur enim, cum esset annos natus decem aut duodecim coram sacerdotibus semper stetisse aperto capite, quippe qui excellentem sacerdotis dignitatem agnosceret. Eiusmodi reverentia cum puer esset insolita minime fuit, cum sit necessarium officium; sed etiam adultus eadem cum omnibus utebatur. Ostendebat suam humanitatem et verecundiam erga socios, qua illis dexteram partem constanter concedendo et

vocem numquam attollendo, qua contentiones vitando et aliorum sententiae acquiescendo.

Sunt haec praecepta vitae omnino spiritualis, quae vos docet vester patronus, quaeque omnes studere debetis vestra facere. Saepe ille dictitabat, se fore semper ultimum, et amorem sui ipsius esse omnium hostium maximum, sibi prorsus conterendum.

Ne quis tamen putet, S. Ioannem Berchmans purissimas sanctimoniae auras appetentem, altius vixisse, quam nos qui studiis addicti humi haeremus. In studia profecto incumbatis necesse est toto quidem anno, immo velimus acrius mentem ad ea semper applicetis, nec tantum cum scientiae periculum proxime faciendum sit, ne hoc male vertat. S. Ioannes Berchmans hac etiam in re vobis exemplo est. Non enim vos latet octavo Idus iulias anni MDCXXI universam philosophiam non sine summo honore publice defendisse; et octavo Idus augustas proxime sequentes, cum in alia publica disputatione ex inopinato defecisset ille qui ad arguendum primus designatus fuerat, Berchmannum, ad quem spectabat alloqui secundo loco, in eius locum improviso suffectum esse et splendide gloriae illius diei per solidam horam prospexisse. Haec commemorare voluimus, ut appareret studia pietati minime contraria esse, et S. Ioannem fuisse summum non solum pietate, verum etiam studio. Quare illum velut exemplar vobis sequendum habeatis.

Porro ut tantam attingeret perfectionem, divina utebatur praesentia, qua officium suum semper coram Deo obibat. Quod autem animus eius Deum constanter prospiceret, ex iis manifesto apparet, quae de eo, cum mensae assideret, socii dicebant, scilicet ipsum tunc etiam animo alibi exsulare terrenisque rebus minime adhaerere, quippe qui neque de cibis umquam quereretur, quamvis forte insipidi essent, neque sapidiores reposceret, contentus si haberet quo nutriretur et vestiretur.

Eadem ratione vos quoque, si S. Ioannem Berchmans imitari cupitis, debetis Dei praesentia uti, ab amore rerum terrenarum contineri et simul eundem erga Deiparam Virginem cultum profiteri, quo Berchmannus se muniebat. Sane, in aureo illo et admirabili libello « Documenta vitae spiritualis » legimus eum sibi proposuisse, se facturum esse, ut inter difficultates ex studiis praesertim oborituras mentem ad Mariam attolleret.

Si, o filii, finem adipisci optatis, instrumentis utimini. Finem vultis? Ea adhibete, quae S. Ioannes Berchmans usurpavit, quaeque omnia ipse ad duo redegit, divinam videlicet praesentiam et cultum Deiparae Virginis. Si enim eadem instrumenta adhibebitis eodem fruemini fine, quem vobis ultro ominamur.

Mox diem obitus Ioannis Berchmans commemorabimus: Idibus augustis tertium volvetur saeculum, ex quo Sanctus iuvenis diem supremum egit. Vos autem interea et per reliquum annum scholasticum, immo per ipsum vitae cursum, eum singulari cultu prosequimini. S. Ioannes Berchmans vobis patronus sit, non tantum deprecatione sua, verum etiam exemplo virtutum. Haec percupimus, haec et vobis, filii, et Nobis ipsis ominamur.

Ut hoc vestrae institutionis tempore divina gratia vobis aspiret ac, vestrum officium semper integreque absolventes, S. Ioannem Berchmans imitari possitis, vobis paterne benedicimus.

ACTA VICARII GENERALIS

ACTA VICARII GENERALIS

I. — PRO SOCIETATE.

28. **8 septembris 1942.**

De festo Reginae Societatis Iesu [1].

AD UNIVERSAM SOCIETATEM.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI,
P. XTI.

Laetum nuntium, omnibus Societatis filiis gratum profecto futurum, vobis affero: novum festum liturgicum Societati nuper concessum esse in honorem Beatissimae Virginis Mariae sub titulo *Reginae Societatis Iesu,* die 22 aprilis quotannis celebrandum ritu duplici primae classis.

Optabam equidem ut aliquid perpetuo haberemus ad memoriam quarti nostri centenarii, quod, tot tantasque licet inter rerum perturbationes, ex divina Bonitate, modeste quidem at tranquille fere ubique celebrare potuimus, immo vero multis in locis praeter spem magna cum omnium civium et Auctoritatum participatione et fraterna aliorum Religiosorum gratulatione. In hunc finem opportunum visum est diem illum 22 aprilis, quo S. Pater Ignatius eiusque Socii vota sollemnia in Basilica S. Pauli anno 1541 nuncupaverant, peculiari tantae rei commemorationi perpetuo consecrare in honorem Beatissimae Virginis, quam iam inde ab exordio nostra Societas, ipso Sancto Fundatore praeeunte, pro Matre ac Regina habere consuevit et singulari pietate semper coluit, cuiusque Purissimo Cordi sollemni Congre-

---

(1) Casu factum est, ut hoc documentum, ultimum a b. m. P. N. Wlodimiri Ledóchowski ad universam Societatem datum, anno superiore in nostro *Acta Romana* non ederetur.

gationis Generalis XXIII decreto se totam devovit ac sacravit (d. 46, n. 3).

Hoc autem consilium Beatissimo Patri Pio XII cum exposuissem, Sanctitas Sua ultro approbare dignata est, re tamen ulterius definienda ad Sacram Rituum Congregationem remissa. Tum, Officio et Missa propria a peritis quibusdam Patribus diligenter paratis, cum Sacra Congregatione de iis approbandis egi. Sacra vero Congregatio et nominatim Eminentissimus eius Praefectus Card. Carolus Salotti, pro sua erga nos benevolentia, spe citius totum negotium expedivit, et die 24 iulii Rescriptum datum est, quod hic infra exscribo [1]. Atque ita titulum « Reginae Societatis Iesu », quo Beatissimam Virginem, ex Maiorum nostrorum institutione et exemplo, cotidie in Litaniis communibus salutamus, supremam approbationem et confirmationem accepit. Accedit etiam facultas Missae Votivae, prout in Rescripto aperte conceditur, ita ut, si quis velit, pluries in anno hac Reginae Societatis Iesu Missa uti possit.

Iamvero hoc novum Sanctae Sedis beneficium nobis omnibus, Reverendi Patres Fratresque carissimi, novo incitamento esse debet ad hoc ut in omnibus sive intimis sive externis difficultatibus, in omnibus sive privatis sive publicis periculis, totam fiduciam nostram in validissima Deiparae Virginis intercessione ponamus, quae utpote Mater sanctae spei exaudiet filios suos clamantes ad se. Quo vero tutius eius intercessionis suffragium impetremus atque digniores tantae Matris filios et addictissimos tantae Reginae subditos nos praebeamus, fidelius in dies in Instituti nostri seu Regularum observationem incumbamus oportet; nam haec est via qua veri Socii efficiamur divini Filii Beatissimae Virginis Mariae.

Cumque nihil prorsus vel minimum quid divinam illam Providentiam effugiat, quae « attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter » [2], videtur nos ad ipsum quoque diem 24 iulii attendere debere, quo hoc Sacrae Congregationis Rituum Rescriptum datum est, quo die festum occurrit S. Wlodimiri Regis, cuius opera tota Russica gens suavi Christi iugo subacta est. Nonne per hoc voluit Dominus nobis in

(1) V. supra, pp. 351-369.
(2) *Sap.* VIII, 1.

memoriam revocare quantum illis populis grati animi ergo devinciatur Societas, atque adeo inculcare officium curandi, quantum in nobis est, ut ii ad verae Sponsae Christi redeant unitatem, utque in hunc finem assiduae a nobis ad Deum effundantur preces per Reginam nostram gloriosissimam, quae tam sincere ac pie colitur a Russiae incolis? Quantum vero id nunc maxime opportunum sit, nemo est qui non videat; et spero fore ut Societas, quando hora misericordiae pro illis populis adveniet, praesto sit ad partem ingentis laboris apostolici ibidem sibi assumendam.

Vestris sanctis Sacrificiis et precibus me et Societatem enixe commendo.»

Romae, die festo Nativitatis B. M. V.

8 septembris 1942.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

29. **12 martii 1943.**

Divisio Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis in duas Provincias sui iuris.

DECRETUM

Anni centum et decem iam sunt elapsi postquam R. P. Ioannes Roothaan, venerandae memoriae, die Beatae Mariae Virgini Purificatae sacro decrevit « Americanam Statuum Unitorum Missionem in Provinciarum numerum habendam esse, quippe quae idoneam Sociorum copiam et, praeter amplum Georgiopolitanum Collegium, propriam quoque tironum domum pluresque Residentias numerat »; qui quidem venerandus Pater, cum parvam illam octoginta novem sodalium Provinciam, illius regionis primogenitam, erigeret, nisi divino quodam instinctu praesentire non potuit Societatem nostram, Spiritu Sancto opitulante, iuvantibus permultis ex Europa Missionariis, quorum memoria in benedictione numquam non erit habenda, septem florentissimis

Provinciis hoc brevi tempore auctam ibidem atque amplificatam fore.

Huic vero primae Provinciae, quae Marylandiae erat nuncupata, decrevit R. P. Petrus Beckx, anno 1879, ut aggregaretur et uniretur Missio Neo-Eboracensis, quae a Missione Canadensi segregata partem constitueret Provinciae Marylandiae; quo factum est ut Provincia Marylandiae, aucto territorio, dein nomen quoque acciperet ampliatum.

At nunc, etsi Provinciae haud parva pars anno 1926 separata est, ut Provinciam Novae Angliae constitueret, desideratissimus noster P. Generalis Wlodimirus Ledóchowski, tantis divinae misericordiae beneficiis grato animo commotus, consilium iniverat alteram perficiendi divisionem, quae quaedam quasi disiunctio diceretur. Cum enim sodales ad mille et septingentos numero accedant, et, ut omittam magnam Missionem Insularum Philippinarum indefesso tot Patrum et Scholasticorum et Fratrum Coadiutorum labore excultam, in patria praeter quattuor Seminaria Nostrorum et duas frequentissimas Universitates plus quam triginta Collegia et Residentiae intra fines Provinciae numerentur, nemo est qui non videat, regimen tot insignium laborum ab uno Praeposito sustineri non posse.

Quare quod dudum in mente Patri Ledóchowski erat, quodque ipse sex fere abhinc annis, divisione administrativa facta, paraverat, nihil nunc obstare videtur, quominus ad finem perducatur.

Auditis igitur sententiis Praepositi Provinciae Marylandiae-Neo Eboracensis, Viceprovincialis Regonis Meridionalis eiusdem Provinciae, et Consultorum utriusque, Patribus quoque Assistentibus in consilium adhibitis, divino auxilio saepe instanterque invocato, pro auctoritate Praepositis Generalibus a Litteris Apostolicis et Constitutionibus Societatis collata, et per venerandum Pii Pp. XII autographum diei 21 aprilis 1939 cum Vicario Generali ob extraordinarias temporum condiciones communicata, Provinciam Marylandiae-Neo Eboracensem in duas pleni iuris Provincias dividimus, quarum altera Provincia Marylandiae, altera Provincia Neo-Eboracensis nuncupetur; iisque omnia iura et facultates et privilegia conferimus, quibus secundum Institutum nostrum Provinciae Societatis potiuntur.

Quod territorium autem spectat duarum Provinciarum ea-

rumque personas, domicilia ceteraque hucusque communia, haec praeterea decernimus.

1) Provincia Marylandiae complectetur Status Marylandiae, Delaware, Carolinae Septemtrionalis, Pennsylvaniae, Virginiae, Virginiae Occidentalis, Regionem quae vulgo dicitur « District of Columbia », et eam partem Status Neo-Caesariensis quae intra limites hodiernos Dioecesium Camdensis et Trentonensis includitur.

2) Provincia Neo-Eboracensis complectetur Statum Neo-Eboracensem et in Statu Neo-Caesariensi territorium intra praesentes limites Archidioecesis Novarcensis et Dioecesis Patersonensis contentum.

3) Intra fines supra descriptos unaquaeque Provincia obtinebit domicilia omnia cum ipsorum bonis et iuribus et obligationibus, sive iam condita sive posthac condenda, salva conventone oeconomica de qua in articulo sequenti.

4) Ad res pecuniarias quod spectat, conventionem iam ex utraque parte disceptatam atque statutam interim approbamus.

5) Domus vero utrique Provinciae communes erunt: Collegium Maximum Woodstockiense, Collegium Philosophicum cum primum fieri poterit in Provincia Neo-Eboracensi incohandum, Domus Tertiae Probationis Auriesvillensis, Domus Valetudinaria S. Isaaci Jogues et Soc., et Aula (seu Villa) Bellarminiana.

6) Socii illi Provinciae ascribentur in cuius territorio, tempore sui ingressus, domicilium stabile habebant. Ceteri ad eam Provinciam assignabuntur, in qua divisionis tempore versantur, nisi Provinciales antea aliter inter se convenerint.

7) Quod ad Missionem Philippinam attinet, haec interim statuuntur:

utraque Provincia coniunctim eam et personis et pecuniis adiuvet;

ut ei tribuatur status iuridicus ad normas Instituti nostri (cf. *Coll. Decr.* d. 19 § 2), ipsa Missio a Provincia Neo-Eboracensi pleno iure dependeat;

huic Provinciae ascribantur omnes Socii qui in Insulis Philippinis nati sunt;

Missionis vero Socii ad alias Provincias pertinentes, qui nunc in Missione laborant vel extra eam nunc degunt, eidem applicati maneant nisi, consentiente Praeposito Provinciae Neo-

Eboracensis, in casibus particularibus aliud statuendum videatur.

8) In mutui vero amoris testimonium Socii omnes qui proximo die 2° iulii ad universam Provinciam Marylandiae-Neo Eboracensem pertinent, etiam post divisionem peractam, consueta pro defunctis suffragia inter se persolvent.

Hoc nostrum decretum die 2° iulii, in festo SS.mi Cordis Iesu, quo in singulis domibus more usitato legendum et promulgandum erit, plenam suam vim secundum leges nostras habiturum esse pronuntiamus.

Dignentur S. Pater Ignatius et S. Franciscus Xaverius, potentissima materni Cordis Beatae Virginis Mariae interposita mediatione, a SS.mo Corde Iesu impetrare, ut quae a Nobis per hasce litteras decreta sunt, firma et rata de caelo habeantur, utque Socii utriusque Provinciae hodie constitutae, vestigiis Sanctorum nostrorum Americae borealis Martyrum Isaaci, Ioannis et Sociorum fideliter inhaerentes, et ipsi in virtutibus semper magis proficiant et quam plurimos ad aeternam beatitudinem perducere studeant.

Datum Romae in die anniversario Canonizationis
S. P. N. Ignatii et S. Francisci Xaverii
die 12 martii 1943.

Omnium Servus in Christo
ALEXIUS AMBROSIUS MAGNI
Vic. Gen. Soc. Iesu.

L. ✠ S.

LUDOVICUS DUMOULIN
Secret. Soc. Iesu.

30. **30 martii 1943.**

Communicatur facultas facta Nostris, belli causa extra domum degentibus, utendi pro Missa Kalendario Societatis in templis et oratoriis non nostris (1).

AD QUOSDAM PRAEPOSITOS PROVINCIALES.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. X.

Mandante R. P. Vicario cum RVa communico Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis die 13 martii 1943 datum, quo ad consolationem Nostrorum qui ratione belli extra domos nostras vivere coacti sunt et ad firmandum vinculum caritatis filios inter et Matrem Societatem, benigne conceditur ut etiam extra ecclesias et oratoria nostra dispersi nostri kalendarium Societatis in celebratione Missae sequi possint.

In communicanda hac facultate cum iis quorum interest, velit R. V. eos attentos reddere ad clausulam qua Rescriptum munitur: « vitata populi admiratione ».

Commendo me ss. SS. et OO.

Romae, 30 martii 1943. R.ae V.ae servus in Xto.
L. DUMOULIN S. I.
Secr. Soc. Iesu.

31. **9. iulii 1943.**

Communicantur et urgentur Normae a Suprema Sacra Congregatione S. Officii datae de agendi ratione Confessariorum circa VI Decalogi praeceptum.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Neminem Nostrorum praeterit, quanta prudentia confessariis opus sit in obeundo suo gravissimo munere, praesertim in inter-

(1) V. supra, pag. 532.

rogandis et instruendis fidelibus circa sextum Decalogi praeceptum, atque in sua agendi ratione cum mulieribus paenitentibus.

Quo vero iidem facilius valeant suo officio ea, qua par est, sanctitate et gravitate fungi, Emi. DD. Cardinales Supremae S. Congregationis S. Officii, rebus fidei et morum tutandis praepositi, sui muneris esse duxerunt Normas quasdam redigere, quarum exemplar, ut eorundem desiderio satisfaciam, ad R.am V.am mitto [1].

Ut legenti illico patet, agunt hae Normae de re maximi momenti, de qua Praepositi nostri Generales, in litteris sive privatis ad Superiores, sive communibus ad universam Societatem, non semel verba fecerunt, quas nostrorum Antistitum instructiones et monita summa hac in re auctoritas Ecclesiae diserte confirmat.

Curet igitur R. V., ut omnibus nostris Sacerdotibus hae Normae opportuniori qui videatur modo innotescant, quod facile fieri poterit, si ineunte proximo anno scholastico, in singulis domibus Provinciae, occasione collationis casuum conscientiae, a perito viro accurate explicentur. Theologi quoque nostri, sub finem cursus Theologiae moralis, caute et solide hisce de rebus instituendi sunt, ut n. 4 Normarum commendatur. Superiorum localium dein erit diligenter invigilare fideli Normarum observantiae, earum praesertim quae n. 3 continentur. In annua Visitatione vero Domorum Praepositus Provincialis (ut iam n. 15 Elenchi Visitationis commendatur) inquirat, utrum et apud quos Domus socios abusus hac in re irrepserint, delinquentes serio moneat, et abusus illos omni opera, adhibitis quoque, si opus fuerit, sanctionibus poenalibus, severe supprimere conetur, atque de his omnibus accurate quotannis in relatione de statu totius Provinciae ad nos referat.

Commendo me ss. SS.

Romae, 9 iulii 1943.

R.ae V.ae Servus in Xto.
ALEXIUS A. MAGNI
Vic. Gen. Soc. Iesu.

---

(1) V. supra, pag. 536.

32. **8 septembris 1943.**

Communicantur quaedam gratiae a S. Sede Societati concessae.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Mandante R. P. Vicario cum R. V. communico quae sequuntur:

1) Die 10 maii 1943 Sacra Paenitentiaria Apostolica benigne concessit in perpetuum Indulgentiam plenariam suetis conditionibus a *Nostris* acquirendam die festo Beatae Mariae Virginis « Reginae Societatis Iesu ».

2) Cum a Sacra Congregatione de Religiosis die 13 iulii h. a. R. Patri Vicario data sit facultas concedendi prorogationem ad aliud quinquennium indulti diei 6 iulii 1938, quo dabatur facultas, ut Novicii ruri per aliquod tempus vitam communem ducere possent (1), ipse R. P. Vicarius hanc facultatem prorogat ad quinquennium pro iis, qui eam iam antea obtinuerint, si eadem perdurat necessitas. Si quae alia Domus probationis ea indigeat, recurrendum est ad R. P. Vicarium vel ad R. P. Visitatorem illius regionis.

Utriusque documenti textus integer in proximo fasciculo Actorum Romanorum referetur (2).

Commendo me ss. SS.

Romae, die 8 septembris 1943.

R.ae V.ae servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secret. Soc. Iesu.

---

(1) Cfr. *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, pag. 115 sq.

(2) V. supra, pp. 535 et 543.

33. 27 septembris 1943.

Nuntiatur novus Procurator Generalis Societatis.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Cum ob varia valetudinis incommoda P. Augustinus Tesio officio suo Procuratoris Generalis Societatis plene adimplendo se iam imparem esse sentiat, ad maius divinum obsequium fore visum est, ut optimus Pater a munere, quo per annos amplius tredecim fidelissime functus est, liberaretur.

Re igitur diligenter coram Domino considerata auditoque PP. Assistentium consilio, Procuratorem Generalem Societatis nostrae eligo et constituo Patrem Ioannem Lo Grasso, e Provincia Romana.

Velit R. V. hanc nominationem cum suis communicare.

Commendo me sanctis Sacrificiis.

Romae, die 27 septembris 1943.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Alexius A. Magni
Vic. Gen. Soc. Iesu.

II. — PRO PROVINCIIS, MISSIONIBUS, DOMIBUS.

34. **10 ianuarii 1943.**

R. P. Vicarius Generalis miram 50 annorum historiam Missionum Kisantuensis (Prov. Belg. Sept.) et Kwangensis (Prov. Belg. Merid.) a primo earum ortu epitomen retexens gratulatur.

AD SOCIOS MISSIONUM KISANTUENSIS ET KWANGENSIS.

REVERENDI PATRES ET FRATRES IN XTO. CARISSIMI,
P. XTI.

Quinquaginta mox complebuntur anni, ex quo, Leopoldo II Belgarum rege flagitante, Summus Pontifex Leo XIII curam afferendi Christi fidem in regiones Congi Inferioris et Kwangi apud varias tribus, quae ab omni cultu et humanitate longe abesunt, Societati nostrae commisit. Cui Summi Pontificis et Regis desiderio Provincia Belgica, quae ob mirabile conversionum augmentum in regione Chota-Nagpurensi et ob novam Gallensem Missionem in insula Ceylan nuper acceptam, gravia pondera in se iam susceperat, Divinae Providentiae confidens, obsecundare non dubitavit. Quare, die 6 mensis martii anni 1893, Patre Aemilio Van Hencxthoven duce et plaudentibus christianis civibus, primi Missionarii ab Antverpia conscenderunt.

Memorandum hunc diem, RR. Patres Fratresque in Xto. carissimi, silentio cum praeterire non possim, per has litteras me vobis coniungere volui, ut Deo vobiscum gratias quam plurimas reddam pro innumeris beneficiis, quae per haec decem lustra tam fructuosi apostolatus in vos conferre dignatus est, Eumque suppliciter precer ut abunde benedicere pergat vobis ipsis et vestris operibus et cooperatoribus ac benefactoribus vestris omnibus, sine quorum auxilio perfici numquam potuissent tot tamque praeclarae res, quae, ipsius Dei opitulante gratia, in vestra

Missione gestae sunt et dignae habentur quae aureis litteris in Missionum Catholicarum annalibus inscribantur.

Etenim historia quinquagennalis huius apostolatus exerciti apud varias tribus, quae ab omni cultu et humanitate longe aberant, novo argumento demonstrat quae quantaque possit divina gratia in hominibus etiam incultis perficere, si cum vero et illuminato zelo, cum probata animi deditione, cum indefessa generositate, eidem obsequamur.

Primordia quidem vestri laboris apostolici signo crucis signata et quasi consecrata apparent. Etenim, non solum opus coloniarum agrestium, « Fermes-Chapelles » generatim dictarum, quod, a P. Van Hencxthoven felici quodam instinctu excogitatum, tantam spem afferebat ad christianam vitam humanumque cultum illarum primitivarum gentium, sive ob studia partium ac praeiudicatas magistratuum opiniones, sive ob criminosas protestantium insectationes, deserere debuistis; sed etiam carissimorum nigritarum regiones vastatas depopulatasque vidistis ab illa, « edace hominum » non immerito vocata, somni pestilentia. Quam tamen multiplicatae investigationes atque assidua opera Missionariorum, in quibus liceat mihi nominare insignem illum laboratorem Sacerdotem saecularem Rev. D. Vanderijst, continere potuerunt, et ita viam quodammodo sternere ut egregium opus medicum Universitatis Lovaniensis apud vos sedem suam elegerit.

At vero hae primae difficultates conatus vestros comprimere non potuerunt. Praeclaro enim temperatorum ingenio praediti et prudenti animarum zelo inflammati, P. Iulianus Banckaert et praesertim P. Stanislaus De Vos, cuius memoriam nulla umquam delebit oblivio, se temporibus accommodare sciverunt atque Ecclesiam firmiter statuerunt per complures excellentis formae Stationes: scholas centrales, in quibus Scholastici nostri, dum ad vitam missionariam informantur, ante oculos habentes exempla illorum angelicorum iuvenum Henrici Beck et Francisci Xav. Van den Peereboom, eximiam operam Missioni praebuerunt et praebent; officinas, in quibus carissimi nostri Fratres Coadiutores, vestigiis ingredientes sui praecursoris Fr. Francisci De Sadeleer, plene ad mentem et spiritum S. P. Ignatii, veros cooperatores Patrum in apostolatu se ostenderunt atque continenter ostendunt; solidae ac gravis institutionis catechumenatus,

quibus in familiis vestrorum nigritarum firmum veri spiritus catholici ponitur fundamentum.

Nec satis; has plurimas Stationes cum Residentia Kisantu, totius Missionis quasi corde, per magnificam viarum seriem coniungentes (opus quidem magna ex parte primorum Missionariorum) potuistis, sive pedites, sive lecticula delati, sive navibus per flumina vecti, permagnas certe defatigationes perferentes, beneficam vestram operam usque ad ultimos et in africana silva abditissimos pagos dilatare, ubi strenuum Catechistarum agmen, in scholis vestris formatum, agrum ad suscipiendum semen apostolici vestri verbi diligenter praeparant, quod postea in sexcentis pagorum scholis germinare atque adolescere faciunt.

Mirum quidem quantum, in ducentis ferme fidelium milibus duorum Vicariatuum Apostolicorum, qui ex illa prima Missione originem ducunt, vita catholica floreat; media in illa silva africana, in qua quinquaginta abhinc annis nihil aliud praeter abiectas superstitiones invenistis, per quas demones, in idolorum ministris ut ita dicam incarnati, haec animarum milia vinculis terroris captiva retinebant.

Quanti quidem solatii et vobis et nobis est circumdatos vos videre tot familiis, quae, nulli sacrificio parcentes, liberos suos Deo et Ecclesiae educant. Quanti solatii est videre solidae pietatis fructus, quos colligitis ex Exercitiis clausis, in statione centrali habitis, quibus indigenae centeni saepe intersunt. Quanti solatii et quantae quoque gloriae divinae fuit Congressus Eucharisticus, qui ad Kisantuense templum Cathedrale milia catholicorum ad Iesu Christi Regis pedes congregavit, in ea ipsa regione ubi ante quinquaginta annos Satanas regnabat. Sed praesertim quanto gaudio corda vestra exsultent oportet, cum circum vos florescere videatis mirabiles illas Fratrum atque adeo Sacerdotum indigenarum vocationes, fructus assiduae praeparationis, cui bonus P. Renatus Butaye potiorem suarum virium partem dederat. Difficilibus his temporibus, quibus et frustra auxilium ex patria speratur et plures in dies requiruntur Patres qui ad docendum in novis Seminariis et Collegiis se totos applicent, hi nigritae in Sacerdotium cooptati providentiale dicendum est auxilium, quo Deus cunctos vestros labores vult remunerari.

Quapropter hoc iubilari die vobis ex toto corde gratulamur, et, vestris nostras coniungentes voces, hymnum actionis gratia-

rum canimus: Te Deum laudamus! Ipsi tota referatur gloria! Equidem ego nihil aliud vobis desiderare habeo nisi ut, Superiores vestros ecclesiasticos duces sequentes, per eandem viam ire pergatis.

Priusquam his litteris finem faciam, liceat mihi paternum addere consilium, in quo me voluntatem defuncti Patris Generalis recte interpretari persuasum habeo.

Probe cognoscimus atque agnoscimus pulchrum vestrum opus apostolicum, in quo fere quinquaginta Missionarii his quinquaginta annis vitam amiserunt; scimus gravi labore vos obrui et ad maiora etiam ab apostolico zelo impelli; novimus paratos vos esse ad vires corporis, ad vitam ipsam pro salute animarum profundendam. Quo autem hic zelus, hi labores fructus supernaturales in dies uberiores afferant, instrumentum magis et magis cum Deo coniunctum sit oportet. Quare vos omnes, Reverendi Patres et Fratres in Xto, carissimi, exhortor, ut praeclaram de cotidianis pietatis exercitiis epistolam, anno 1934 ad universam Societatem a Patre Nostro b. m. datam, relegatis atque dilecti Patris monita coram Domino hoc anno iubilari attente vobiscum consideretis et in vestra cotidiana vita in effectum adducatis. Haec enim fidelitas erga exercitia pietatis nobis a Societate commendata optimum erit pignus divinarum benedictionum, et in animas vestras et in animas eorum omnium qui vestris curis sunt commissi.

Ad quod ut vos adiuvem, pro vestris omnibus intentionibus ex thesauro Societatis 300 Missas libenter applico.

Commendo me SS. SS.

Romae, die 10 ianuarii 1943
in festo S. Familiae Iesu Mariae Ioseph.

R.ae V.ae Servus in Xto.
ALEXIUS A. MAGNI
Vic. Gen. Soc. Iesu.

35. 5 martii 1943

De quinquagesimo anniversario Barcinonensis Collegii et Convictus S. Ignatii (Prov. Arag.).

Roma, 5 de Marzo de 1943.

AD R. P. IUSTUM BONA

RECTOREM BARCINONENSIS COLLEGII ET CONVICTUS SANCTI IGNATII

REVERENDO EN CTO. PADRE,
P. C.

Al cumplirse cincuenta años desde que el antiquísimo Colegio de Manresa, que tanto se había distinguido sobre todo en la enseñanza del latín y de la filosofía, fué trasladado a las amenas faldas del Tibidabo, dando así comienzo al Colegio Sarrianense, no puedo menos de enviar una lineas de felicitación, para unirme en espíritu con todos vosotros en tan fausto acontecimiento.

Perseverando siempre fiel a las prescripciones de nuestro Instituto y a las tradicionales normas de educación de la Compañía (prescripciones y normas que tuvisteis el privilegio de oir comentadas de labios mismos de nuestro M. R. P. General, de santa memoria, en la visita que os hizo el año 1929); el Colegio de San Ignacio, durante estos 50 años, no obstante las varias vicisitudes por que ha tenido que atravesar, ha rendido opimos frutos en beneficio de la Iglesia y de la Patria, y aun ha dado campo a otras actividades de gran gloria de Dios, como las del Instituto Químico, el Laboratorio Biológico y un tiempo la Casa de Ejercicios, en unión fraterna y apostólica con el Colegio Máximo.

Mucho pido a Dios Nuestro Señor, por intercesión de nuestro Santo Padre, que siga bendiciendo vuestros generosos esfuerzos; y a este fin y en acción de gracias por todos los beneficios recibidos durante estos 50 años, aplico 100 Misas del tesoro de la Compañía mientras de todo corazón envío a todos los Padres

y Hermanos, a los Bienhechores, Antiguos y Actuales Alumnos mi bendición paterna.

En los ss. SS. y OO. de V. R. me encomiendo.

Siervo en Cristo,
ALEJO A. MAGNI
Vic. Gen. de la Comp. de Jesús.

36. **8 iunii 1943.**

Gratulatoria Carrionensi Seminario Minori et dioecesano (Prov. Legion.) quinquagesimum annum primo explenti.

AD R. P. CAMILLUM ABAD
COLLEGII CARRIONENSIS RECTOREM.

Roma, 8 de Junio de 1943.

REVERENDO EN CRISTO PADRE,
P. XTI.

He oído que este año celebra el Seminario Menor de Carrión de los Condes el cincuentenario de su fundación, y, aunque de lejos, quiero asociarme a vuestras celebraciones y tomar parte en vuestras santas alegrías.

Ante todo, me uno a vosotros en la acción de gracias, que elevaréis al Sagrado Corazón por la continua protección que ha dispensando a esa casa, aun en los años azarosos de la pasada persecución religiosa, en los que, debido a la decidida intervención del Excmo. Prelado de la Diócesis, D. Agustín Parrado, pudieron los Seminaristas seguir su vida tranquila a la sombra de los vetustos muros de San Zoilo.

Nacido — como todas las obras divinas — de humildes principios, aquel primer grupo de niños escogidos, que había sido confiado al celo y caridad sobrenatural de la llamada « Santa de Carrión », se ha ido desarrollando prodigiosamente, hasta haber constituido desde 1918 una de las principales, si no la principal, fuente de vocaciones en la Provincia de León.

Esto os debe animar a seguir trabajando con entusiasmo

por la formación de esos jóvenes, constándoos como os consta de la plena aprobación de los Superiores, que, comenzando por el mismo Sumo Pontífice (1), repetidas veces han alabado y bendecido esta obra de las Escuelas Apostólicas y Seminarios Menores.

Una nueva y especial bendición os enviará desde el cielo nuestro venerado P. General, Wlodimiro Ledóchowski, que tanto trabajó por el florecimiento de los Seminarios Menores en la Compañía, y tan grato recuerdo conservaba de la visita hecha a esa casa en 1924.

Asímismo, podemos pensar que estará muy cerca de vosotros en estas circunstancias el carísimo P. Gutiérrez del Olmo, que, educado también en Carrión, durante toda su vida profesó un singular cariño hacia ese apacible rincón palentino.

Por mi parte, de todo corazón bendigo a los Superiores, a los Profesores, a los Padres y Hermanos todos de la Comunidad, a los bienhechores, antiguos y actuales alumnos y a todos cuantos se interesan por la prosperidad de ese plantel de vocaciones, y aplico 100 Misas del tesoro de la Compañía.

Me encomiendo en sus ss. SS. y OO.

De V. R. Siervo en Jesucristo,
ALEJO A. MAGNI
Vic. Gen. de la Comp. de Jesús.

(1) Cf. A. A. S. vol. XVI, p. 140.

III. — PRO EXTERNIS.

Litterae quaedam Postulatoriae.

37. 27 ianuarii 1943.

De introducenda causa S. D. Guidonis Conforti, Archiep. — Episc. Parmensis.

AD SUMMUM PONTIFICEM.

Beatissimo Padre,

Una nuova fulgida stella sembra che il Signore voglia fare apparire nel cielo dei suoi Santi. Quando udii dire che si erano conchiusi e pubblicati i Processi Ordinari sulla fama di santità e delle virtù del servo di Dio Mons. Guido Conforti Arcivescovo-Vescovo di Parma, ecco, dissi, la nuova stella.

Io lo conobbi da vicino e personalmente e posso attestare che la fama di santità è ben meritata, poichè fu un vero Servo di Dio nel nascondimento d'una vita tutta soprannaturale; tra i fulgori dell'Episcopato, e in particolar modo per il suo spirito missionario. Spirito che fu il suo più ardente voto fin dalla giovinezza e che si concretò nell'opera sgorgata dal suo gran cuore, specialmente, la Pia Società di S. Francesco Saverio.

Col suo zelo fece sorgere in Cina una nuova e fiorente Prefettura Apostolica e in Italia aperse parecchie Scuole Apostoliche per preparare i candidati al suo Istituto, e diede il maggiore impulso all'idea missionaria mediante l'Unione Missionaria del Clero.

Arcivescovo di Ravenna prima, poi Vescovo di Parma, fu modello dei sacri Pastori. Rotto a ogni disagio, la sua salute, benchè gracilissima, trovò come egli diceva, sulle scoscese balze dell'Appennino nelle visite alle parrocchie gli stenti delle Mis-

sioni. Pacificatore di anime, divise fra loro per le inquietudini dei tempi, vittime spesso di ingiustizie sociali e dell'ignoranza religiosa; lo zelante Pastore schiuse loro le consolazioni della pace di Cristo, specialmente nei Congressi e nei Sinodi diocesani.

Può ben dirsi ch'egli fu un Vescovo missionario in terra cattolica. Il secondo giorno infatti della sua preconizzazione all'altà dignità di Arcivescovo Principe di Ravenna, per nulla esaltato dagli onori e dalle testimonianze della pubblica stima volle emettere la professione perpetua che lo legava all'umiltà religiosa e all'apostolato missionario.

Dinanzi a questa nobile figura ch'ebbe tutte le virtù del Religioso, dell'Apostolo, del Vescovo, oso porgere umili suppliche alla Santità Vostra, a nome anche di tutta la Compagnia di Gesù a cui il Servo di Dio Conforti desiderò di appartenere e del cui spirito si valse per l'opera sua missionaria, di farne esaminare i meriti per proporlo all'onore degli altari.

Prostrato al bacio del sacro Piede con profonda venerazione imploro umilmente l'Apostolica Benedizione.

Roma, 27 gennaio 1943.

Della Santità Vostra
figlio umilissimo

Alessio A. Magni
Vic. Gen. d. C. d. G.

38. **8 aprilis 1943.**

De introducenda causa S. D. Emmanuelis d'Alzon, AA.

AD SUMMUM PONTIFICEM.

Beatissime Pater,

Ad attestandum valorem et virtutes Servi Dei, P. Emmanuelis d'Alzon, exstant varia eiusdem opera et instituta, quibus originem dedit, necnon haud parvus numerus religiosorum et religiosarum, qui eum merito ut Patrem venerantur et Fundatorem.

Prae ceteris vero donis et virtutibus in vita et opere dicti

Servi Dei, Societatis Iesu filios haec attrahunt et commovent: indefessus et universalis eiusdem zelus apostolicus, quo nullum non aggressus est opus bonum audacterque prosecutus est; sollertia et studium pro educandis christiane iuvenibus, quo praesertim ad fundandum suum Institutum princeps « Patrum Augustinianorum ab Assumptione » ductus est et ad libertatem institutionis, omnibus tam proficuam, in scholis Gallicis obtinendam totis viribus allaboravit; — fidelissimum servitium, quod tum quattuor Episcopis tanquam eorum Vicarius Generalis, tum praesertim Romano Summo Pontifici adeo perfecte praestitit, ut S. P. Pius IX, cum in audientia quadam communi intuitus, sponte et publice exclamaret: « *Voilà d'Alzon! c'est notre ami!* »; — ardor assiduus ad regnum Dei omnimode promovendum, secundum illud Instituti ab eo fundati « Adveniat Regnum tuum! », quo multis operibus socialibus, peregrinationibus, preli apostolatui, Missionibus, initium dedit; — tandem strenuum Servi Dei certamen pro Ecclesiae iuribus et libertate in Gallia vindicandis, iisdem temporibus et periculis, quibus Societas Iesu quoque in gravi discrimine versabatur. Opportune etiam, aetate nostra qua naturalismus vel spiritus nationalis exaggeratus plurimos animos imbuit, hic Dei Servus primarium locum supernaturalibus fidei caritatisque virtutibus tribuendum esse defendit; Sacerdotibus vero praeclarum exemplar eorum vitae accommodatum proponit, iuxta verba S. P. Leonis XIII loquentis de P. Emmanuel d'Alzon ut de sacerdote, pietate ac doctrina insigni, animarumque salutis studiosissimo » (1).

Quare, humiliter ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, nomine Societatis Iesu, aliorum petitionibus supplex meas quoque adiungo preces, ut S. V. dignetur Commissionem Introductionis Causae laudati Servi Dei signare, unde via aperiatur ad ulteriorem eiusdem glorificationem et Sacerdotibus praesertim proponatur novum zeli et perfectionis exemplar ad maiorem Dei gloriam.

Et de gratia etc.

Romae, die 8 aprilis 1943.

ALEXIUS A. MAGNI
Vic. Gen. Soc. Iesu.

---

(1) Litt. Brev.: *Cum divini Pastoris*, 25 maii 1898.

39. 18 aprilis 1943.

De introducenda causa S. D. Iosephi Cassant, S. Ord. Cist.

AD SUMMUM PONTIFICEM

Beatissime Pater,

officio eadem, quae in creando Assistente, requirantur, Sanctitatem Tuam rogo, ut auctoritate qua pollet approbationem Assistentium extra Urbem degentium et Provincialium Societatis supplere velit etiam hac vice. Dignetur itaque Sanctitas Tua probatum habere, ceu Admonitorem, P. Camillum Crivelli, Assistentem Americae Latinae, quem ipse, consultis Patribus Assistentibus, ad hoc munus delegi.

Gratias Sanctitati Tuae enixe ago pro iis quae mihi concedere autumabit, dum, sacrum Pedem deosculatus, Apostolicam Benedictionem demisse postulo.

7. **16 iunii 1944.**

Epistola Apostolica ad R. P. Vicarium Generalem, exeunte saeculo ab Apostolatus Orationis constitutione. — Pius PP. XII. (*).

DILECTO FILIO

NORBERTO DE BOYNES

SOCIETATIS IESU VICARIO GENERALI
EIDEMQUE SODALITATIS A PRECATIONIS APOSTOLATU
MODERATORI

PIUS PP. XII

DILECTE FILI,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum proxime exeat saeculum, ex quo non sine providentis Dei consilio pia sodalitas, quae a Precationis Apostolatu nuncupatur, feliciter constituta fuit, Nos, dum undique dolores rerumque angustiae premunt, ex uberum illorum fructuum recordatione, quos per diuturnum hoc temporis spatium haec societas opitulante Numine edidit, summum haurimus solacium. Quamobrem cum tibi, qui huic bene merenti consociationi praees, tum iis omnibus, imprimisque Societatis Iesu sodalibus, qui eidem augendae provehendaeque dant operam, paterno gratulamur

(*) *Act. Ap. Sed.*, Vol. XXXVI, 1944, pag. 238 sqq.

animo, optamusque non praeteriri huius faustitatem eventus, quin debitis illam honestemus laudibus, itemque ad pia impensaque voluntate eam participandum christifideles adhortemur omnes.

Quam arcte hoc institutum cum Ecclesiae profectu animorumque bono cohaereat, facile intellectu est. Etenim si precatio communiter habita, quae « sicut oportet » (1) fiat, satius nobis Dei clementiam bonitatemque conciliat ex ipsius Iesu Christi pollicitatione dicentis: « Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est » (2); quanto magis apud aeterni Numinis solium ea valere dicenda est, quam non duo solummodo fundant, sed ad bene multa fere ubique terrarum centena milia christiani, peculiari ratione caritatisque vinculo copulati. Idque eo vel magis quod per laudabilem eiusmodi sodalitatem cum adsiduis sociorum precibus placamina quoque ac piacula coniunguntur; quod insontes pueri, quorum animi candor divinam facilius commovet misericordiam, in hoc impetrationis placationisque inceptum frequentissimi adsciscuntur; quod denique Deiparae Virginis patrocinium hac de causa praesentissimum interponitur, ac communes hae supplicationes expiationesque precibus illis ac piaminibus coagmentantur, quibus Sacratissimum Cor Iesu, semet ipsum in Augusto altaris Sacramento offerens, aeternum Patrem interpellat pro nobis. Quod enim huius societatis sodales veluti peculiare sibi inditum propositum habent hoc est: ut nempe pro Ecclesiae necessitatibus enixe deprecentur, iisdemque omni ope satisfaciant; atque adeo hac de causa Deo cotidie preces, actus, aerumnas pio deferentes animo, universam vitam cuiusque suam in impetrationem ac piamentum convertant. Quin immo dum haec omnia — Divini Iesu Christi Cordis deprecationibus, quibus adiunguntur, in immensum adaucta — per Immaculatum Mariae Virginis Cor misericordiarum Patri praebent, ad Regnum Dei latius constituendum amplificandumque non parum pro facultate conferunt. Cum igitur non ad unum dumtaxat vel alterum Ecclesiae emolumentum haec sodalitas respiciat, sed ad Dei gloriam hominumque salutem pro viribus procurandam, cum-

(1) *Rom.*, VIII, 26.
(2) MATTH., XVIII, 19.

que illa Dominicae Precationis verba « Adveniat Regnum tuum » veluti tesseram sibi propriam habeat, idcirco a ceteris omnibus piis consociationibus quibus fecunda Iesu Christi Sponsa exornatur, clare discernitur, luculenteque distinguitur. Ut vero innumerus hic comprecantium exercitus supernas vires supernaque arma sua ne distrahat, sed in unum convertat, duplex singulis mensibus supplicandi ratio ac mens universis sociis proponitur, quam ipse Romanus Pontifex recognoscit, comprobat, ac caelesti benedictione auget: altera scilicet mens ac ratio generalis est, altera autem ad sacras spectat missionalium expeditiones fovendas promovendasque.

At putandum non est laudabilem hanc societatem universae tantummodo Ecclesiae bono prospicere, quandoquidem, ut Decessor Noster imm. rec. Pius XI asseverat, singulis etiam sodalibus « continentes uberesque ab initiis suis fructus protulit spiritualis boni » (3). Etenim consociatos omnes ad adsiduae precationis usum excitat ac permovet secundum illud: « Oportet semper orare et non deficere » (4). Ac praeterea, quandoquidem nostris hisce temporibus illud fallaciae plenum commentum, quod « naturalismum » vocant, omnia pervadere conatur, ac per « haeresim actionis », ut aiunt, vel in ipsas spiritualis vitae et apostolicae navitatis rationes irrepere contendit, non sine summa opportunitate utilitateque per pium hoc institutum vestrum christifideles ad illud revocantur doctrinae caput, quo edocemur « neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deum » (5).

Huc accedit quod sodalitas vestra ad solidam verique nominis pietatem suos asseclas instituit ac dirigit. Eis enim suadet, ut piae semper mentis intentione omnia cuiusque sua ad Deum erigant ac dirigant, quod quidem recti omnes sacrae disciplinae magistri praeclarissimum ducunt ac praecipuum spiritualis perfectionis adiumentum. Eosque adhortatur universos ut, quae pietatis exercitia minus probata sint devitantes, cultum Sacratissimi Cordis Iesu promoveant, in quo « totius religionis summa atque adeo perfectioris vitae continetur » (6), itemque ut Augu-

---

(3) Litt. Apost. *Apostolatus Orationis*, d. d. VI aug., a. MDCCCCXXXII.
(4) Luc., XVIII, 1.
(5) Cf. *I Cor.*, III, 7.
(6) Litt. Enc. *Miserentissimus Redemptor*: *A. A. S.*, XX, p. 167.

stum colant Eucharistiae Sacramentum, quod « tamquam centrum existimandum est, in quo christiana vita, quanta usquam est, insistit » (7); ac denique ut Deiparam Virginem, eiusque Immaculatum Cor, quod « vas insigne devotionis » (8) est, revereantur impenseque diligant. Nec deest in instituto hoc vestro flagrantis caritatis studium erga Romanum Pontificem, cui quidem quanto quis arctius adhaeserit, tanto erit ab omni periculo tutior.

Cum vero multiformis sit gratia Dei (9), valde opportune societas ista ita conformata est, ut non eadem ab omnibus sodalibus postulet atque exigat, sed eos in gradus, seu ordines, dispertiens, variae animorum generositati facultatique se accommodet; atque adeo eis, « qui prae ceteris pietati dediti, singulari flagrant animarum studio, ideoque zelatores et zelatrices dicuntur » (10), altioris perfectionis viam commendet, ad eamque volenti animo ingrediendam eos alliciat suaviterque compellat.

Ex iis, quae adhuc, presse breviterque attingendo, diximus, facile cernere est, Dilecte Fili, quantopere haec pia societas conferat ad « Actionem Catholicam » ad ceterasque consociationes, quae adiutricem in Ecclesiae apostolatu navant operam, provehendas efficiendasque cotidie magis frugiferas. Etenim, praeterquam quod exploratum est sine divino auxilio — quod per instantem adsiduamque precationem ad Deum admotam nobis esse comparandum nos admonet — incassum laborare homines, illud quoque animadvertendum est institutum hoc vestrum interiorem illam alere ac refovere vitam, qua Deo continenter coniungamur, quaeque veluti supernus sit afflatus veracis validique apostolatus, ac praeterea, cum singulis mensibus peculiares Ecclesiae necessitates ante omnium sodalium oculos ponat, eosque excitet, ut iisdem satisfaciendis supplices Deo preces ac piacula offerant, idcirco procul dubio sociorum animos ad apostolicum studium permovet, et ad rectam eosdem id genus navitatem comparat, conformat, instruit. Quin immo, cum suos etiam cotidianos labores doloresque pro Ecclesiae necessitatibus aeterno Numini eos deferre iubeat, totius eorum vitae cursum non modo in impetrationem expiationemque convertit, sed in eiusmodi et-

---

(7) Acta Leonis XIII, pag. 130: Litt. Enc. *Mirae caritatis.*

(8) Litan. Lauret.

(9) Cf. *I Petr.*, IV, 10.

(10) *Statuta Apostolatus Orationis*, art. VI.

iam apostolatus opera, quae cuilibet volenti facile pateant. Qua in re commentarii illi magna Nobis laude digni videntur, qui « Nuntius Cordis Iesu » inscribuntur, quique linguis amplius quadraginta editi, tam bene de Ecclesia merentur.

Sed in hac potissimum tempestate, dum odio simultateque seiuncti, acerrime inter se digladiantur populi, peculiari sane opportunitate pollet, peculiaremque vim habet pia ista societas ad animorum conciliandam firmandamque coniunctionem. Ex caritate enim orta, et ad caritatem fovendam animorumque salutem procurandam ordinata, sodalium mentes, ex quavis gente, stirpe ac sermone sint, ad idem apostolicum propositum, eadem communi prece exsequendum efficiendumque, allicit atque comprecantium agmina singulari quadam ratione cum Iesu Christi Vicario arctissime coniungit, non modo quod, ut supra diximus, ad eius mentem singulis mensibus datam, funduntur preces, sed quod etiam, inde ab inito eiusmodi instituto, eius consueverunt socii « spirituales thesauros » qui dicuntur, colligere ac pro Summo Ecclesiae Pastore Deo offerre. Hisce autem postremis temporibus, cum Communis Patris aerumnae atque angustiae ingravescerent, id laudabili consilio inductum est, quod Nobis est sane gratissimum, ut cotidie nempe in universo terrarum orbe Eucharistica Sacrificia, auspice sodalitate vestra, ad mentem Nostram celebrarentur, qua quidem in re cernere libet priscae aetatis christianorum morem reviviscere, qui perseverantes erant in precatione sancta pro primo Christi Vicario: « Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo » (11).

Sed fraterna haec animorum coniunctio, qua sodales inter se copulantur, in eum consummatur, qui est « Rex et centrum omnium cordium » (12), in divinissimum videlicet Cor Iesu, cui iidem se consecrant, ex quo vitam et apostolicam vim hauriunt, quod peculiari modo venerantur, et cuius communione invicem coagmentati, suas preces et piamenta Deo offerunt.

Cum tam uberes sint salutis fructus, quos haec societas per annorum decursum feliciter edidit, cumque vel uberiores cotidie feliciores que exspectentur, haud mirum est si Decessores Nostri summis eam laudibus exornarunt; ac Nosmet ipsi, qui inde ab

(11) *Act.*, XII, 5.
(12) Litan. Sacrat. Cord. Iesu.

inito Pontificatu, quotiescumque opportunitas data est, eidem benevolentiam Nostram ultro patefecimus, haud ita multo ante in Encyclicis Litteris « Mystici Corporis Christi » eamdem summopere commendare voluimus « utpote Deo gratissimam » ([13]). Magno autem cum animi solacio ac gaudio cernimus haec comprecantium agmina fere omnes terrarum orbis partes pervasisse, ubicumque christiana fides fulgeat, christianaque caritas operetur, et in Dioeceses MCCC circiter inque paene innumeras paroecias, Episcopis iuvantibus ceteroque clero, fuisse invecta. Siquidem institutum hoc vestrum non modo in Europae et Americae regionibus viget, sed in Africanis etiam, in Asianis et in Oceanicis terris, ac vel in glacialibus illis plagis, quibus recens illuxit evangelicae lucis iubar; itemque non modo in religiosis domibus, in sacris Seminariis, in collegiis et ephebeis viret atque efflorescit, sed in officinis etiam, in militum stationibus, in valetudinariis, ac vel in ipsis carceribus publicaeque custodiae locis. Ita quidem ut pacifica haec precantium acies trecenties et quinquagies centena milia consociatorum in suis ordinibus recenseat.

Nec minore cum solacio cernimus, praeter Societatem Iesu — in cuius sinu haec sodalitas orta atque enutrita est et in maiorem usque ubertatem constanter laudabiliterque increbrescit — sacrorum Antistites plurimosque ex utroque clero sacerdotes volentibus animis foederatisque viribus in pia hac consociatione, pro sua cuiusque parte, augenda, iuvanda, moderandaque sollerter elaborare.

Pergite igitur, dilecti Filii, quotquot piam hanc participatis societatem, per iter auspicato inceptum studiose cotidie magis progredi; pergite hoc institutum — quo ex sententia Decessoris Nostri fel. rec. Pii X, « nihil utilius » est « ad haec tanta et tam varia sananda mala, quibus humani generis societas est affecta » ([14]) — pro viribus fovere et usque quaque propagare; pergite ea omnia alacri impensaque navitate adhibere, quae ad Sacratissimi Cordis Iesu Regnum augendum amplificandumque valeant.

Nos cupimus vehementer ominamurque a Deo, ut hic paene

([13]) *A. A. S.*, XXXV, p. 246.

([14]) Epist. ad R. P. Iosephum Boubée, *A. A. S.*, III, p. 345.

innumerus supplicantium exercitus non tantum militum numero succrescat, sed superna etiam virtute supernoque vigore adaugeatur; utque incenso illo impetrationis expiationisque studio affletur ac vigescat, quod totam sodalium vitam eorumque cogitationes, proposita ac vota permoveat, ita quidem ut iidem « non amplius petitores, sed petitiones » ([15]) sint; illo dicimus impetrationis expiationisque ardore, quo — ut per proximum decembrem mensem ad mentem Nostram iam vobis ex more patefactam deprecaturi estis — christianos omnes oportet magis in dies magisque imbui.

Quae ut feliciter, adspirante Deo, eveniant, efficiat Apostolica Benedictio, quam caelestium gratiarum auspicem, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, Dilecte Fili, tum piae huius consociationis moderatoribus, fautoribus ac sodalibus singulis universis effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Iunii, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, anno MDCCCCXXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XII

Cum R. P. Vicarius una cum hac Epistola Apostolica italicam eius versionem quoque ad singulas Provincias misisset (*), *visum est operae pretium nos esse facturos, si eandem interpretationem hic subiceremus.*

Al compiersi ormai del primo centenario, da quando, non senza ispirazione della Divina Provvidenza venne felicemente fondata la Pia Unione dell'Apostolato della Preghiera, Noi in mezzo ai dolori e alle angustie che Ci stringono da ogni parte, attingiamo profondo conforto al ricordo dei frutti ubertosi, maturati con l'aiuto divino dal Sodalizio in questo lungo periodo di tempo. Mentre pertanto paternamente Ci congratuliamo con te, che della benemerita Associazione sei a capo, e con quanti specialmente della Compagnia di Gesù, si adoperano a consolidarla e a propagarla, desideriamo che la fausta ricorrenza non passi senza il meritato encomio e senza esortare i fedeli a prendervi parte con pia e premurosa volontà.

([15]) Cf. Gregor. Magn., In *I Reg.*, XII, 2, Migne, P. L., LXXIX, 338.

(*) V. infra pag. 685.

L'Apostolato della Preghiera mezzo efficacissimo per la salvezza delle anime.

E' facile comprendere quanto strettamente questa istituzione si connetta coi progressi della Chiesa e col bene delle anime. Poichè se la preghiera collettiva, fatta « come si deve » (1), più facilmente ci ottiene la divina clemenza e bontà, secondo la promessa di Gesù Cristo: « Se due di voi si accorderanno sopra la terra a domandare qualsiasi cosa, sarà loro concessa dal Padre mio che è nei cieli » (2); quanto più si deve dire che abbia forza dinanzi al trono dell'eterno Iddio quella preghiera che inalzano, da quasi ogni parte della terra non due persone soltanto, ma molti milioni di Cristiani uniti tra loro in modo speciale dai vincoli della carità. Tanto più che in questa benemerita Unione, alle assidue preghiere degli ascritti si aggiungono atti di riparazione, e a tale intento di supplica e di riparazione vengono ascritti in gran numero innocenti fanciulli, i quali con il loro candore d'animo, più facilmente commuovono la divina misericordia; interponendosi a tale scopo l'intercessione efficacissima della Vergine Madre di Dio, e congiungendosi le preghiere ed espiazioni collettive a quelle, con le quali il Sacro Cuore di Gesù, immolandosi nell'augusto Sacramento dell'Altare, prega l'eterno Padre per noi.

Natura dell'Apostolato della Preghiera.

Ed è questo infatti lo scopo particolare che si prefiggono i membri della Pia Unione: pregare assiduamente per le necessità della Chiesa e cercar di soddisfarvi con tutte le forze; e mediante l'offerta quotidiana a Dio delle preghiere, delle azioni, dei patimenti, trasformare tutta la propria vita in un atto continuo di impetrazione e di riparazione. Di più, mentre porgono al Padre delle misericordie, per mezzo del Cuore Immacolato di Maria, questa offerta — infinitamente impreziosita dalle preghiere del Cuore divino di Gesù, alle quali si unisce — essi concorrono non poco, secondo le loro forze, a stabilire e diffondere più largamente il Regno di Dio. Poichè dunque l'Apostolato della Preghiera non mira soltanto a questo o quel bene a vantaggio della Chiesa, ma a procurare con tutte le forze la gloria di Dio e la salvezza delle anime, e poichè ritiene come suo motto quelle parole dell'orazione domenicale « Adveniat Regnum tuum »,

(1) *Rom.*, VIII, 26.
(2) MATTH., XVIII, 19.

perciò si distingue nettamente e con evidenza da tutti gli altri pii sodalizi che ornano la Sposa feconda di Gesù Cristo. Affinchè poi questo innumerabile esercito di supplicanti non disperda le sue forze e le sue armi soprannaturali, ma le concentri allo stesso intento, ogni mese viene proposta a tutti i soci una duplice intenzione, conosciuta, approvata e arricchita di celesti benedizioni dal Romano Pontefice: cioè una intenzione generale, e un'altra missionaria.

L'Apostolato della Preghiera apporta copiosi frutti agli stessi ascritti.

Ma non si deve credere che questa lodevole istituzione abbia di mira il solo bene della Chiesa in generale, poichè, come afferma il nostro predecessore di s. m. Pio XI, essa « fin da principio apportò frutti continui ed ubertosi di bene spirituale » (3) anche ai singoli ascritti.

a) *Promuove in essi la pratica della preghiera.*

Essa infatti, secondo il detto « Bisogna sempre pregare e non mai venir meno » (4), sprona e spinge tutti gli associati all'uso della preghiera.

b) *Favorisce in essi lo spirito soprannaturale.*

E mentre ai nostri giorni quel sistema fallace, che vien detto « naturalismo », tenta di penetrare dappertutto, e per mezzo della cosiddetta « eresia dell'azione », cerca di insinuarsi negli stessi metodi di vita spirituale e di attività apostolica, i cristiani, con somma opportunità ed utilità, da questa vostra santa istituzione sono richiamati a quella dottrina, che ci insegna come « nulla è colui che pianta e colui che innaffia, ma è solo Dio a dare il crescere » (5).

c) *Li induce all'esercizio di una solida pietà.*

Di più, questa vostra Pia Unione ammaestra e indirizza i suoi membri a una pietà solida e genuina. Li consiglia infatti ad elevare

(3) Lett. Apost. *Apostolatus Orationis* del 6 agosto 1932.
(4) Luc., XVIII, 1.
(5) *I. Cor.*, III, 7.

e a rivolgere a Dio con rettitudine d'intenzione ogni cosa loro; pratica, che tutti i buoni maestri della vita spirituale considerano eccellente e tra i precipui mezzi di perfezione spirituale. Inoltre esorta tutti ad evitare le forme di pietà meno sicure, e a promuovere invece il culto del Sacro Cuore di Gesù, nel quale « si contiene l'essenza di tutta la religione e perciò stesso della vita di perfezione » (6). Inculca parimente di venerare l'augusto Sacramento dell'Eucaristia, che « deve considerarsi il centro, su cui poggia tutta quanta la vita cristiana » (7); e di onorare infine e amare fervidamente la Vergine Madre di Dio e il suo Cuore Immacolato, che è « vas insigne devotionis » (8). Nè manca nell'Apostolato della Preghiera un amore intenso verso il Romano Pontefice, al quale quanto più strettamente si è uniti, tanto più al sicuro si rimane da ogni pericolo.

Ma essendo la grazia di Dio varia di forme (9), con grande opportunità questa vostra pia Lega è costituita in guisa da non richiedere ed esigere le stesse pratiche da tutti gli ascritti, ma dividendo questi in gradi o classi, si adatta alla diversa generosità e alle possibilità varie dei singoli; e a « coloro che dediti più degli altri alla vita spirituale, ardono di singolare affetto per le anime, e son detti perciò zelatori e zelatrici » (10), mostra la via di una più alta perfezione, e li trae e dolcemente li spinge ad incamminarvisi volenterosamente.

d) *Aiuta l'apostolato dell'azione.*

Da quanto finora abbiamo detto in brevi e rapidi accenni, è facile vedere, Diletto Figlio, quanto questa Pia Unione torni utile a dare incremento e rendere sempre più fruttuosa l'« Azione Cattolica » e le altre associazioni che prestano l'opera loro collaboratrice nell'apostolato della Chiesa. E' certo infatti che gli uomini s'affaticano invano senza l'aiuto divino, che l'Apostolato ci insegna di dover impetrare con sollecita e costante preghiera indirizzata a Dio. Ma oltre a ciò si deve anche osservare che questa vostra Pia Unione alimenta e sviluppa quella vita interiore che ci mantiene continuamente uniti a Dio, e che è come il principio soprannaturale di ogni vero ed efficace apostolato; inoltre, mettendo ogni mese sotto gli occhi degli ascritti le particolari necessità della Chiesa, ed esortandoli a of-

(6) Encicl. *Miserentissimus Redemptor*: *A. A. S.*, XX, 1928, p. 167.
(7) *Acta Leonis XIII*, p. 130: Encicl. *Mirae caritatis*.
(8) Lit. Lauret.
(9) Cf. *I. Petr.*, IV, 10.
(10) *Statuta Apostolatus Orationis*, art. VI.

frire a Dio supplici preghiere e atti di riparazione onde sovvenire a quelle necessità, instilla sicuramente negli animi dei soci l'amore all'apostolato, e li prepara, li forma, li ammaestra a questo genere peculiare di santa attività. Che anzi, istruendoli ad offrire a Dio anche le fatiche e sofferenze quotidiane per le necessità della Chiesa, ne trasforma tutta la vita, non solo in un atto continuo di impetrazione e di riparazione, ma in un lavoro apostolico che è facilmente accessibile a chiunque voglia. Al qual proposito ci sembrano degne di grande encomio quelle riviste che, pubblicate in più di quaranta lingue sotto il nome di « Messaggero del S. Cuore di Gesù », si rendono tanto benemerite della Chiesa.

e) *Fomenta l'unione dei cuori.*

Soprattutto poi in questi tempi, in cui i popoli divisi dall'odio e dagli antagonismi si combattono così aspramente, l'Apostolato della Preghiera è specialmente opportuno, ed ha una sua particolare efficacia nel conseguire e nel saldare l'unione degli animi. Nato dall'amore, destinato a fomentarlo e a procurare la salvezza delle anime, esso trae efficacemente i cuori dei suoi ascritti, a qualunque nazione, stirpe e lingua appartengono, ad attuare, per mezzo della medesima preghiera a tutti comune, il medesimo intento apostolico. Inoltre unisce strettamente con speciale vincolo al Vicario di Gesù Cristo le sue schiere di supplicanti, non solo perchè, come diciamo più sopra, essi pregano secondo l'intenzione assegnata ogni mese dal Pontefice, ma anche perchè fin dall'inizio della Pia Lega i suoi ascritti furono soliti raccogliere e offrire a Dio per il Pastore Supremo della Chiesa i cosiddetti « tesori spirituali ». Anzi in questi ultimi tempi, divenendo più gravi le pene e le difficoltà del Padre Comune, con lodevole pensiero è stata introdotta la pratica, a Noi davvero graditissima, di far celebrare quotidianamente delle Messe nel mondo intero, per iniziativa dell'Apostolato, secondo la Nostra intenzione; pratica nella quale Ci piace veder come rivivere la consuetudine dei primi Cristiani, che perseveravano nella preghiera per il primo Vicario di Cristo: « dalla Chiesa si facevano per lui preghiere a Dio senza sosta » (11).

Ma questa fraterna unione di spiriti, che congiunge tra loro gli ascritti, trova il suo compimento in Colui che è « Re e centro di tutti i cuori » (12), nel Sacro Cuore di Gesù, al quale essi si consacrano, dal quale attingono vita e slancio nell'apostolato, cui essi onorano di

(11) *Act.* XII, 5.

(12) Litan. del Sacro Cuore di Gesù.

culto speciale, e nella cui unione fatti come una cosa sola, offrono a Dio preghiere e riparazioni.

Gioia del Pontefice per la diffusione dell'Apostolato della Preghiera.

Essendo tanto abbondanti i frutti di salute che l'Apostolato della Preghiera ha dati nel corso degli anni, ed aspettandosene ogni dì anche più abbondanti e benefici, non deve far meraviglia che i Nostri Predecessori l'abbiano onorato di alti encomi; e Noi stessi, che fin dall'inizio del Nostro Pontificato, ogni volta che se ne presentò l'occasione, manifestammo cordialmente al Pio Sodalizio la nostra benevolenza, non molto tempo fa nell'Enciclica « Mystici Corporis Christi » volemmo calorosamente raccomandarlo come « gratissimo a Dio » [13]. Con grande conforto e consolazione del Nostro cuore vediamo che queste folte schiere di supplicanti si sono sparse in quasi tutte le parti del mondo, dovunque risplende la fede cristiana e dovunque opera la cristiana carità; e che sono state introdotte, col favore dei Vescovi e del Clero, in circa 1300 Diocesi e in innumerevoli parrocchie. Infatti l'Apostolato della Preghiera fiorisce non soltanto nelle regioni dell'Europa e dell'America, ma ancora nelle terre dell'Africa, dell'Asia, dell'Oceania, e perfino in quelle lande glaciali, dove da poco è cominciata a risplendere la luce del Vangelo. Così pure, non solo fiorisce nelle case religiose, nei seminari ecclesiastici, nei collegi ed istituti per giovanetti, ma ancora nelle officine, nelle caserme, negli ospedali e persino nelle pubbliche carceri. Così che questo pacifico esercito di anime che pregano annovera nelle sue file 35 milioni di ascritti.

Con non minore consolazione vediamo che al di fuori della Compagnia di Gesù, — nel cui seno questa associazione è nata e cresciuta e con lodevole continuità va aumentando in abbondanza di frutti —Vescovi e numerosi Sacerdoti dell'uno e dell'altro Clero ciascuno per la sua parte, si adoperano premurosamente, volenterosamente e con unione di forze, per espanderla, sostenerla e dirigerla.

Esortazione finale.

Continuate dunque, Figli diletti che fate parte di questa Pia Unione, a progredire ogni giorno più per un cammino iniziato sotto sì buoni auspici; continuate a sostenere secondo le vostre forze e a propagare in ogni luogo tale istituzione, della quale, secondo l'espres-

(13) *A. A. S.*, XXXV, 1943, p. 246.

sione del Nostro Predecessore di f. m. Pio X, « niente è più adatto a risanare i mali sì gravi e svariati dai quali è afflitta l'umana società » (14); continuate ad usare con viva e intensa diligenza tutti quei mezzi che valgono ad accrescere ed espandere il Regno del Sacro Cuore di Gesù.

Noi ardentemente desideriamo e auguriamo che per grazia divina questo esercito quasi innumerabile di anime che pregano, cresca non solo per numero di soldati, ma ancora per superna grazia e vigore; e che attinga spirito e forza da quell'acceso desiderio di impetrazione e di riparazione, che deve permeare tutta la vita, i pensieri, le aspirazioni, i desideri degli ascritti, in modo che essi siano « non più preganti, ma preghiere viventi » (15); vogliamo dire siano accesi da quell'ardore di impetrazione e di riparazione, del quale è necessario che i Cristiani siano sempre più informati, come voi chiederete nella preghiera del mese di dicembre, conforme alla Nostra intenzione, già a voi secondo il solito resa nota.

E a far sì che questi voti, con l'aiuto divino, felicemente si compiano, valga l'Apostolica Benedizione, che quale auspicio delle grazie celesti e prova della Nostra paterna benevolenza, impartiamo nell'effusione del Nostro animo a Te, Diletto Figlio, ai direttori dell'Apostolato della Preghiera, ai sostenitori e a tutti e singoli gli ascritti.

Dato in Roma, presso San Pietro, il 16 giugno 1944, festa del Sacro Cuore di Gesù, anno sesto del Nostro Pontificato.

PIUS PP. XII.

8. **20 iunii 1944.**

Gratiae aguntur pro litteris de Summi Pontificis navitate in Urbe a bello feliciter liberanda. — Epist. Subst. Secret. Stat. ad R. P. Vic. Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

No. 80362

Dal Vaticano, 20 giugno 1944.

REV.MO PADRE,

Le filiali espressioni di riconoscenza, che la Paternità Vostra Rev.ma ha manifestato al Santo Padre per l'opera da Lui svol-

(14) Lettera al R. P. Giuseppe Boubée: *A. A. S.*, III, 1911, p. 345.
(15) Cfr. GREG. MAGN., In *I Reg.*, XII, 2: MIGNE, P. L., LXXIX, 338.

ta per la salvezza di Roma, costituiscono, tra le innumerevoli, una nuova e gradita testimonianza della devozione dei RR. Padri della Compagnia di Gesù al Vicario di Cristo.

Sua Santità se ne compiace e come sempre nell'attività alacre ed efficace dei RR. Padri non poco confida per la diffusione degli insegnamenti pontifici e per il rifiorire del « sensus Christi » e del cristiano amore, dove finora hanno imperversato l'odio e la distruzione.

A tale compito sarà di divino conforto la preghiera fiduciosa e la protezione della Vergine Santissima. Nulla quindi di più caro e di più prezioso per l'Augusto Pontefice che l'offerta di 5.000 Sante Messe, che i RR. Padri della Compagnia di Gesù hanno, con filiale e pio pensiero, applicate secondo le Sue intenzioni.

Nel comunicare a Lei, Rev.mo Padre, e ai suoi Confratelli l'Apostolica Benedizione, colgo volentieri l'occasione per professarmi con religioso ossequio

della P. V. Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. Montini

Reverendissimo Padre
P. Norberto de Boynes, S. I.
Vicario Generale della Compagnia di Gesù - Roma.

Interpretatio latina:

Reverendissime Pater,

Quae grato ex animo Paternitas Tua Sancto Patri pro eius in servanda Urbe navitate ostendit, ea sunt inter alias innumeras nova quaedam et grata amoris probatio, qua RR. Patres e Societate Iesu erga Vicarium Christi flagrant.

Id quidem Sanctitati Suae placet, eique spes est, fore ut RR. Patres, qua sunt actuosa alacritate, documenta pontificia, ut semper, diffundant et « Christi sensum » et christianum amorem ad pristinum splendorem ibi revocent, ubi odium et excidium usque adhuc imperarunt.

Ad hoc divina auxilia suppeditabunt preces fide plenae et SS. Virginis patrocinium. Nihil igitur suavius, nihil pretiosius Augusto Pontifici esse potuit, quam illa 5000 Missarum, quae RR. Patres e Societate Iesu tam pie sancteque secundum eius mentem celebrarunt.

Dum tecum, Reverende Pater, tuisque sodalibus Apostolicam Benedictionem communico, hanc occasionem libenter nanciscor profitendi me etc.

Praeiverat haec R. P. Vicarii Generalis ad Summum Pontificem epistola:

Beatissimo Padre,

Ieri sera, alle ore 18, un'immensa moltitudine di popolo si adunò in Piazza S. Pietro per offrire a Vostra Santità un attestato di filiale e profonda riconoscenza per la salvezza della città di Roma. Ben conosceva infatti che l'incolumità dell'Urbe, in condizioni così favorevoli ed inaspettate, era dovuta, dopo Dio e la SS. Vergine, alla potentissima influenza del Papa ed al Suo incessante interessamento.

Ma non si tratta di riconoscenza del solo popolo Romano, bensì del mondo intero; poichè Roma, capitale della cristianità, è la patria spirituale di tutti i cattolici. Perciò nell'inno universale di gratitudine che si eleva unanimemente da tutti i cuori, voglia la Santità Vostra ascoltare anche la voce sommessa, ma sentitissima, della Compagnia di Gesù che si onora, per volontà del suo Fondatore, di essere legata all'Augusto Trono di Pietro da vincoli speciali di assoluta dedizione.

Oggi quindi, a nome di tutti i membri della Compagnia, assicuro la Santità Vostra che nel contemplare la commovente manifestazione di ieri in Piazza S. Pietro, non si poteva fare a meno di rallegrarsi vivamente di tale testimonianza resa all'Autorità ed al prestigio della Santa Sede degnamente rappresentata dalla Vostra Augusta Persona.

Il giorno 4 giugno 1944 rimarrà una data storica memorabile; tutto il mondo dirà: « E' il Papa che ha salvato Roma, e Lui solo poteva salvarla ».

Rivolgendomi intanto verso l'avvenire e considerando quanto rimane da fare per salvare non più Roma soltanto, ma il mondo intero, ho piena fiducia che in un giorno, che ci auguriamo vicino, si potrà dire: « E' il Papa che ci ha ottenuta la pace dall'infinita bontà di Dio ».

Pertanto in questa missione tanto necessaria per il bene di tutti i popoli, per venire incontro a Vostra Santità nella misura delle nostre deboli forze, sono lieto di poter applicare a tale intenzione 5.000 Sante Messe. Voglia gradire, Beatissimo Padre, questa offerta quale umile attestato della nostra filiale riconoscenza.

Prostrato al bacio del Sacro Piede imploro umilmente l'Apostolica Benedizione e con la maggiore venerazione mi professo

Roma, 6 giugno 1944.

di Vostra Santità
ultimo figlio
NORBERTO DE BOYNES
Vic. Gen. d. C. d. G.

Interpretatio latina:

BEATISSIME PATER,

Heri vespere, duodevigesima hora, immensa populi multitudo in plateam S. Petri confluxit, ut Sanctitati Tuae pie intimeque grates rependeret pro servata Urbe Roma. Ea enim probe novit, Urbis incolumitatem, post Deum et Deiparam, acceptam referri validissimae Summi Pontificis intercessioni et assiduae curae.

Verum non de solius populi romani animo grato agitur, sed etiam totius mundi, quippe quod Roma, omnium christianorum caput, est patria spiritus omnium catholicorum. Quare in omnium hymno vocem quoque grati animi humilem quidem sed amantissimam, Societatis Iesu, audire ne detrectet Sanctitas Tua, cui honori vertitur, ex praescripto sui Conditoris, augusto Petri solio peculiaris deditionis vinculo alligari.

Propterea hodie, nomine omnium sodalium Societatis Iesu, Sanctitati Tuae declarare volo, fieri non potuisse, quin in contemplanda ea amoris significatione ad S. Petri, animi vehementer exultarent propter insigne testimonium auctoritati dignitatique Sanctae Sedis tributum, cuius partes adeo digne Sanctitas Tua agit.

Dies, qui fuit pridie Nonas iunias anni MCMXLIV, memorandus apud posteros erit; mundus universus dictitabit: Summus Pontifex Romam servavit: unus ipse eam sospitare potuit.

Ad futura porro me extendens, ratus quam multa desint non ad Romam dumtaxat conservandam, sed universum orbem, plene confido futurum esse diem, non adeo a nobis remotum, in quo dicere fas sit: Summus Pontifex ab infinita Dei misericordia nobis pacem obtinuit.

Quamobrem ut in negotio populorum saluti tam necessario Sanctitati Tuae pro virili parte faveam, gaudeo me posse 5000 Missarum ad mentem Tuam applicare. Gratum Tibi sit, Beatissime Pater, hoc tenue donum, quo nostrum filiorum animum gratum testari cupimus.

Ad sacrum Pedem etc.

9. **18 iulii 1944.**

Grati animi significatio pro oblato Obolo S. Petri. — Epist. Subst. Secret. Stat. ad R. P. Vic. Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N° 80775

Dal Vaticano, 18 luglio 1944.

REV.MO PADRE,

Con l'obolo che la Paternità Vostra Rev.ma ha umiliato a Sua Santità nella festa dei Santi Apostoli Pietro e Paolo, la Compagnia di Gesù ha voluto affermare anche sul terreno della carità benefica la sua attiva presenza alle iniziative della Santa Sede per alleviare quanto le è possibile le innumerevoli fraterne sofferenze di cui l'atroce guerra in corso è infaustamente così feconda.

Da parte Sua, l'Augusto Pontefice gode di questa partecipazione tutta filiale; e come in essa vede trasparire a chiare note lo zelo fattivo dei figli di S. Ignazio, così si allieta al pensiero che larga sarà per essi la divina mercede della loro cristiana carità.

Con tale fiducia la Santità Sua invoca su la grande Famiglia ignaziana l'abbondanza dei divini favori; e imparte di cuore alla Paternità Vostra, all'intero Istituto e a tutte le sue opere di zelo e di pietà cristiana l'Apostolica Benedizione.

Mi valgo volentieri dell'occasione per professarmi con religioso ossequio

della P. V. Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. MONTINI

Reverendissimo Padre
P. NORBERTO DE BOYNES
Vicario Generale d. C. d. G. - Roma.

10. **27 septembris 1944.**

Quaedam condicio aufertur ad lucrandam quamdam indulgentiam plenariam Apostolatui Orationis concessam. — Rescript. S. Paenit. Apost.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

REVERENDE IN XTO PATER,
P. XTI.

Mandante R. P. Vicario, cum R.a V.a communico Rescriptum Sacrae Paenitentiariae Apostolicae die 27 septembris h. a. datum, quo condicio ad Indulgentiam plenariam bis in mense diebus festis Patronorum sodalitatis Apostolatus Orationis ab eiusdem Zelatoribus et Zelatricibus lucrandam ita mutatur, ut in posterum non requiratur, ut *simul*, sed satis sit ut singillatim sacram communionem illis diebus faciant, servato in ceteris tenore concessionis die 13 aprilis 1861 factae.

Velit R.a V.a hoc Rescriptum communicare cum iis, quorum interest.

Commendo me ss. SS.

Romae, in die festo 1[i] Centenarii Apost. Orat.
3 decembris 1944

R.[ae] V.[ae]
Servus in Xto.
L. DUMOULIN, *Secr. S. I.*

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA
(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

BEATISSIME PATER,

Moderator Generalis sodalitatis Apostolatus Orationis, cuius sedes princeps seu centrum in Urbe, apud Religiosos Societatis Iesu, exstat, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humiliter petit, ut in favorem Zelatorum et Zelatricum memoratae sodalitatis formula, quae in Rescripto Apostolico, d. d. 13 aprilis 1861, sic sonat: « Alteram Indulgentiam plenariam bis in mense lucrandam diebus festis Patronorum, semel electorum, quibus prae-

dicti Socii pro Summo Pontifice, Dei Ecclesia et animarum necessitatibus sacram communionem *simul* fecerint », ita mutetur, ut omittatur vox: *simul.*

Et Deus, etc.

Die 27 septembris 1944

Sacra Paenitentiaria Apostolica, vi facultatum a SS.mo D. N. Pio Pp. XII sibi tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servato, quoad cetera, tenore concessionis in supplici libello memoratae. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

De mandato Eminentissimi
S. Luzio, *Reg.*

L. ✠ S.

I. Rossi, *a Secr.*

11. **15 decembris 1944.**

Summus Pontifex Congregationibus Marianis sollemniter benedicit — Telegr. Subst. Secret. Stat. ad P. Aem. Villaret, Vicepraes. Secret. gen. Congr. Mar.

Cum Summus Pontifex quinquagesimum annum ageret, quo Romae in Congregationem Marianam Almi Collegii Capranicensis, cuius alumnus tunc erat, adlectus est, P. Aemilius Villaret, Vicepraeses Secretariatus generalis Congregationum Marianarum, nomine omnium Sodalitatum in orbe existentium bene ominatus est sequenti telegrammate:

A Sua Santità Pio XII — Città del Vaticano.

Roma, 13 decembris 1944.

Congregationes Marianae per orbem universum dispersae mente autem et oratione simul coniunctae in quinquagesimo anniversario aggregationis veneratissimi amatissimique Summi Pontificis Pii XII in Sodalitatem Almi Collegii Capranicensis obsequium filialis devotionis exprimentes paternam benedictionem humiliter implorant

Villaret

Cui telegrammati Pius XII respondendum curavit hoc alio telegrammate:

R. P. Aem. Villaret, Borgo S. Spirito 5, Roma

Augustus Pontifex amplas rependens grates sodalitatibus a Deipara Virgine ob peculiarem quinquagesimi anni memoriam ex quo eum adlectum habuerunt alumnum effuso animo benedicit.

MONTINI

12. 25 decembris 1944.

Romanus Pontifex Pont. Universitati Gregorianae bene ominatur. — Autogr. Pii Pp. XII.

Cum Summus Pontifex, postquam nocte Nativitatis Domini Nostri Sacrum in templo Vaticano S. Petri confertissima multitudine fecit, ipso mane eiusdem diei 25 decembris inviseret privatus aedes Pont. Universitatis Gregorianae, quae exceperat ante praesepe puerulos profugos aut belli calamitate miseros, quibus ipse Pontifex dona manu sua dedit, Rector Universitatis hanc gratulationem habuit:

BEATISSIME PATER — QUI — PUERIS BELLICO FURORE PROFUGIS — CARITATIS DONA LARGITURUS — ALMAM MATREM PRIMUM INVISIS — TE VENERABUNDA EXCIPIENS — UNIVERSITAS TUA GREGORIANA — UNA CUM CAELITIBUS OLIM ALUMNIS SUIS — A IESU INFANTE — FAUSTISSIMA QUAEQUE PRECATUR — AC SE TIBI TOTAM DENUO DEVOVENS — APOSTOLICAM BENEDICTIONEM — IMPLORAT.

Cui gratulationi Summus Pontifex ad Aedes vaticanas reversus, inde statim hanc responsionem misit:

GREGORIANAE UNIVERSITATIS MODERATORIBUS ET ALUMNIS PUERISQUE OMNIBUS QUOS HODIE ALMA HAEC MATER PROFUGOS EXCEPIT PATERNA BENEDICIMUS VOLUNTATE ID A DIVINO PRECANTES PUERULO UT EX HOC STUDIORUM DOMICILIO INTEGRUM CHRISTIANAE DOCTRINAE LUMEN UNA CUM CARITATIS FERVORE SANCTITUDINISQUE LAUDE SEMPER REFULGEAT.

PIUS PP. XII

IN DIE NATIVITATIS DOMINI, ANNO MCMXLIV

Acta quaedam in causis NN. BB. et VV.

13. **6 februarii 1944.**

Cardinalis Ponens Causae S. D. Philippi Jenningen eligitur. — Rescript. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

ROTTENBURGEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

PHILIPPI JENNINGEN

SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE IESU.

Quum proxime apud S. Rituum Congregationem pertractanda sit Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Philippi Jenningen, Sacerdotis Professi e Societate Iesu, quaeque suo Cardinali Ponente seu Relatore indiget, Rev.mus P. Carolus Miccinelli, Societatis Iesu, eiusdem Causae Postulator legitime constitutus, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII. suppliciter exoravit, ut unum ex E.mis Patribus Sacris tuendis ritibus praepositis ipsius Causae Ponentem seu Relatorem constituere benigne dignaretur. Sanctitas porro Sua, has preces a R. P. D. Fidei Promotore Generali relatas, libenter excipiens, E.mum ac Rev.mum Dominum Carolum Salotti, Episcopum Praenestinum et S. R. C. Praefectum, Causae Servi Dei Philippi Jenningen, sacerdotis Professi e Societate Iesu, Ponentem seu Relatorem cum omnibus iuribus et facultatibus necessariis et opportunis, eligere ac deputare benigne dignata est. Quibuscumque contrariis non obstantibus.

Die 6 februarii 1944.

† CAROLUS Card. SALOTTI *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

A. CARINCI *S. R. C. Secr.*

II. — PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS.

14. **2 decembris 1944.**

Summus Pontifex, gratias agens, bene ominatur Congregationibus Marianis Hispaniae. — Telegr. Summi Pontif.

Città del Vaticano 2 diciembre 1944.

Padre SEVERIANO AZCONA
JESUITAS MADRID

Paternalmente agradecidos por solemne filial homenaje que Congregaciones Marianas de la católica España celebrarán para conmemorar quincuagésimo aniversario de Nuestra agregación como miembro de tan benemérita institución hacemos fervientes votos por su próspero florecimiento e implorando para queridos hijos visible asistencia Virgen Inmaculada enviamos de todo corazón Nuestra Apostólica Bendición señal de particular benevolencia y prenda de abundantes gracias divinas.

PIUS PP. XII

Interpretatio latina:

Ab Urbe Vaticana, 2 decembris 1944.

Paterne grati propter sollemne filiorum obsequium, quod Congregationes Marianae catholicae Hispaniae celebraturae sunt ad memoriam quinquagesimi anniversarii anni quo tamquam sodalis aggregati sumus tam benemeritae institutioni, ferventer ominamur ut eae prospere florescant; et implorando pro caris filiis praesens Virginis Immaculatae auxilium, Apostolicam Benedictionem toto corde mittimus, signum peculiaris benevolentiae et pignus copiae gratiarum divinarum.

15. **anno 1944.**

Quorumdam e Nostris pontificiae nominationes.

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

4 *gennaio* 1944. — Con lettera della S. Penitenzieria Apostolica è stato nominato Penitenziere minore straordinario della Basilica Vaticana il P. Luigi De Poletti (Prov. Rom.).

OFFICIUM SECRETARIAE STATUS

21 *gennaio* 1944. — Con biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre, felicemente regnante, si è degnato nominare il P. Giuseppe Creusen (Prov. Belg. Merid.) Consultore delle S. C. dei Religiosi.

Excerpta quaedam ex aliis actis Apostolicae Sedis anno 1944 editis

16. **16 novembris 1944.**

Laudes S. Stanislai Kostka texuntur.

(Ex allocutione Pii Pp. XII ad coloniam Polonam Urbis) (1)

. . . . .

Victimes agréées de Dieu en holocauste propitiatoire, ces héros que vous pleurez, et que Nous pleurons avec vous ici-bas, il Nous semble les voir, là-haut, dans la gloire, unir leur prière à l'intercession de tous vos Saints: l'évêque Stanislas, Jean de Kenty, Hyacinthe, André Bobola l'incomparable martyr, Josaphat l'apôtre de l'union.

Mais, en ce jour si voisin de celui de sa fête, comment ne pas évoquer avec une ferveur toute particulière le souvenir de l'autre Stanislas, l'angélique Kostka, fidèle au pacte émouvant scellé entre lui et sa bien-aimée patrie.

Pour ne citer que quelques traits parmi tant d'autres: vers lui Sigismond III se tourne dans l'angoisse de ses luttes, entre

(1) Ex *Osservatore Romano*, 16 novembris 1944.

les infidèles; il obtient que le chef de Stanislas lui soit apporté de Rome et, au moment même où la précieuse relique franchit la frontière de Pologne, la première victoire de Chocim répond à la confiance du roi. A la citadelle étroitement assiégée de Przemyśl aucun espoir humain ne reste: le nom de Stanislas est donné comme mot d'ordre et c'est au cri de « Bienheureux Stanislas Kostka », que les défenseurs brisent l'étau qui les enserrait. Plus tard, Lublin, Léopol ressentent les merveilleux effets de la confiance en Stanislas. C'est à Lublin devant son image, que Jean Casimir, roi de Pologne, fait sa veillée d'armes et la victoire de Beresteczko est la réponse à sa prière. Le valeureux Sobieski vénéra le jeune Bienheureux comme patron de son armée et lui attribua la seconde victoire de Chocim.

Par ces prodiges, le ciel avait visiblement sanctionné le pacte. Aussi dérogeant expressément à la règle selon laquelle le Saint Siège ne confère qu'aux Saints un patronage officiel et liturgique, Clément X (par le bref « Ex iniuncto » du 10 janvier 1674) proclame solennellement le Bienheureux Stanislas patron principal de la Pologne (cfr. Bullar. Rom. t. XVIII p. 463-465).

Au milieu des cruelles vicissitudes par lesquelles passe votre patrie bienaimée, ces preuves de la singulière et puissante protection du jeune Saint soutiennent vos âmes vaillantes. Et Nous comprenons comment, si dures et si longues que soient les épreuves que la Providence permet dans ces mystérieux desseins, votre coeur ne peut accepter que le découragement l'envahisse. Votre espérance brille toujours, fécondée qu'elle est par tant de prières, tant de larmes, tant de sang généreux. Et le fier hymne de Wybicki peut continuer de chanter aussi fier qu'autrefois: « Non, la Pologne n'est pas finie! »: Jeszcze Polska nie zginęła!

. . . . .

ACTA VICARII GENERALIS

ACTA VICARII GENERALIS

I. — PRO SOCIETATE

17. 3 martii 1944.

Nuntiatur morbus R. P. Vicarii Generalis.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Iubentibus RR. PP. Assistentibus cum Ra. Va. communicanda habeo haec, quae sequuntur:

Abhinc duas hebdomadas R. P. Vicarius Generalis domi lecto decumbit hyperazotaemia quae dicitur laborans, quam periti medici curationibus specialibus ac quiete perfecta vincere conati sunt. Sed recens sanguinis probatio patefecit aegrotationem, non obstante medicorum cura, in dies ingravescere, ita ut status venerati infirmi, nisi novae curationes felicem qui speratur exitum obtineant, gravis fieri possit.

Auxilio divino fidentes, preces novendiales in honorem S. Francisci Xaverii ad hanc specialem intentionem dirigemus, ut D. O. M. dilecto Patri nostro Vicario Generali integram si lubet sanitatem restituere dignetur, ita ut munus suum ab A. R. P. N. Wl. Ledóchowski b. m. sibi concreditum, usque ad felicem finem, i. e. ad Congregationem Generalem et electionem novi Praepositi Generalis obire possit.

Velit ergo Ra Va. Patres Fratresque istius Provinciae de his omnibus certiores reddere, eosque hortari, ut omnes uno corde

preces fundant et sacrificia offerant pro sanatione venerati Patris Vicarii Generalis.

Commendo me sanctis Sacrificiis.

Romae, 3 martii 1944.

R.ae V.ae
Servus in Christo
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

18. 12 martii 1944.

De Centenario Apostolatus Orationis.

AD UNIVERSAM SOCIETATEM.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN CHRISTO CARISSIMI,
P. XTI.

Proximo die 3 mensis decembris, Apostolo Indiarum sacro, centesimus agitur anniversarius dies ex quo P. Franciscus Xaverius Gautrelet, divino quodam instinctu atque afflatu, prima iecit fundamenta Piae Unionis *Apostolatus Orationis.* Cum enim eo die anno 1844 venerandus ille vir, de efficacitate precationis communis bene conscius, et persuasum habens omnes Societatis filios Apostolos esse debere, in exhortatione ad Scholasticos Collegii Valsensis, eis proponeret modum fidei propagandae, etiam dum studiis vacarent, suis precibus ac supplicationibus suaque operum omnium ac totius vitae in hunc finem apostolicum cotidiana oblatione, illi Scholastici, in quibus spiritus missionarius tunc vehementer fervebat, hoc sui Praefecti spiritus consilium magno cum ardore susceperunt, quippe qui in eo viderent rationem aptissimam, ut zelo animarum quo flagrabant materiam copiosam praeberent.

Brevi tamen tempore Pia Unio limen nostri Collegii transcendit; et nunc, post annos centum, conspicimus granum illud sinapis factum esse vere in arborem magnam, quae ramos ad omnes mundi plagas protendit. Neminem enim latet Apostolatum Orationis et in Alaskanas glacies et in insulas Oceanicas et

in sylvas Africanas pervasisse; Religiosas etiam domos atque Instituta sibi consociasse, quorum amplius octingenta sexaginta communicationem meritorum cum eo habere voluerunt; non modo viros et feminas ex omni aetate atque ex omni ordine sociali ad se attraxisse, verum etiam in nosocomia, in officina, in stationes militum, in carceres ipsos penetrasse. Ita ut instructa haec acies, hodiernos nationum exercitus numero exsuperans, trecenties quinquagies centena milia (35.000.000) militum in suis ordinibus percensere possit.

Mirum hoc quidem incrementum singulari Dei Providentiae tribuendum est. Sed oblivioni danda non sunt instrumenta, quibus benignissimus Dominus ad hanc hominibus gratiam conferendam uti voluit: ut fuit in primis zelantissimus P. Henricus Ramière, qui opus ad definitam perfectamque formam perduxit et scriptis suis usque ad fines terrae diffudit; deinde plurimi alii Patres nostri, qui industriis variis adhibitis et etiam radiophoniae usum facientes, praesertim vero per « Nuntium Cordis Iesu », omnibus fere linguis editum, non cessant illud fovere et magis magisque propagare.

Fieri autem non poterat, quin arbor haec tam frugifera tamque luxuriosa feraces quoque emitteret surculos. In omnibus enim nationibus videmus Apostolatum Orationis plura opera in bonum animarum promovere; inter quae praeterire non possum *Consecrationem familiarum SS.mo Cordi Iesu*, quae, verbis Benedicti XV, ad Apostolatum Orationis pertinet veluti pars ad totum, veluti species ad genus (1), et *Cruciatam Eucharisticam*, « quae, ut fideles, parvulos atque adultos, ad SS.mum Sacramentum Altaris magis magisque converteret, tamquam sectio Apostolatus Orationis, Litteris Apostolicis diei 6 augusti anni 1932 ad gradum Primariae promota est » (2).

Quis vero computare poterit bona spiritualia quae, per hanc Apostolatus latissimam propagationem et florentia opera, Sacratissimum Cor Iesu hominibus erogare dignatus est? Ut enim omittam gratias ac divina auxilia — quot quantaque in futura tantum vita cognoscere poterimus —, quae non solum fidelibus

(1) Allocutio ad Romanos Moderatores et Zelatrices Ap. Or., habita d. 22 iun. 1920 (*Acta Rom.*, vol. III, 1920, p. 20).

(2) Pius XII Epist. ad P. G. Venturini, d. d. 25 apr. 1939 (*Acta Rom.*, vol. IX, 1939, p. 338).

catholicis, sed etiam schismaticis, haereticis, gentilibus, cotidiana Apostolatus precatio impetrat, ipsis Piae Unionis ascriptis, Summo Pontifice teste, « continentes uberesque ab initiis suis fructus protulit spiritualis boni » (3).

Nec mirum. Si enim naturam ipsam Apostolatus Orationis inspicimus, hoc praeter alia invenimus quod eius excellentiam magnopere commendat: soliditatem maximam coniunctam cum maxima simplicitate.

Apostolatum quidem Orationis solidissimam esse pietatis formam, nemo est qui non videat. Etenim, fundatus efficacitate precationis communis, cui Christus Iesus suam Ipsius assistentiam promisit, eo omnes suos sodales adducit, ut — in communione cum intentionibus Cordis Iesu, quod in SS.mo Eucharistiae Sacramento semper vivit et palpitat « ad interpellandum pro nobis » — continuas pro salute aeterna hominum preces fundant atque adeo in hunc finem impetratorium atque apostolicum actus suos omnes omnemque vitam convertant.

Praeterea, ut hoc propositum melius socii assequantur, Apostolatus nullas eis proponit novitates aut leves quasdam suspectasve devotiones, quae non raro ad falsum mysticismum inducere solent. Fovet in primis devotionem erga SS.mum Cor Iesu, a quo vitam ac praecipuam precum efficacitatem haurit, in quo cernit exemplar perfectissimum ac validissimum incitamentum precationis apostolicae, quod habet divinum atque indissolubile vinculum omnes socios arcte coniungens (4). Fovet devotionem erga SS.mam Eucharistiam, ut et ipsa formula cotidianae oblationis, ad intentiones ad quas Cor Iesu « in Sanctissimo Altaris Sacramento » Seipsum perpetuo offert, et Communio reparatrix, quae propria est tertii gradus sociorum, et Cruciata Eucharistica diserte demonstrant. Fovet devotionem erga Beatissimam Virginem Mariam: ortus enim sub umbra Sanctuarii Aniciensis, SS.mo Cordi Iesu Cor Mariae Immacaulatum, per quod socii opera sua cotidie offerunt, prima iam aetate consociavit, et constanter curavit, ut praesertim socii secundi gradus omnibus iis modis hanc filiorum devotionem exhiberent, « quos in honorem

(3) Pius XI, Litt. Apost. « Apostolatus Orationis », d. d. 6 aug. 1932 (*Acta Rom.*, vol. VII, 1932, p. 58).

(4) H. Ramière, S. I., La Dévotion au Coeur de Jésus et l'Apostolat de la Prière (*Messager du Coeur de Jésus*, vol. XII, 1867, pp. 1-11).

eiusdem Deiparae Virginis saeculorum pietas invexit » (5). Fovet denique — ut alia omittam — devotionem erga Romanum Pontificem, ad cuius intentiones opera cotidiana ipsis verbis offeruntur, ad cuius animum paternum tantum solacii tantumque fiduciae his postremis calamitosis temporibus attulit pium Apostolatus Orationis inventum, quod dicitur « Horologium Missarum » (6).

Sed, ut diximus, haec Pia Unio cum soliditate simplicitatem prae se fert eximiam. Simplicissima profecto est tota eius ordinatio et moderatio; simplicissima sunt trium graduum exercitia, quae omni aetati, omni hominum condicioni, omni mentis statui, omni vitae interioris perfectioni facile accommodari possunt; simplicissima est interna eius ratio et constitutio, qua totam hominis vitam ad Deum convertit.

Quae cum ita sint, minime mirum si Apostolatus Orationis a Summis Pontificibus atque ab Episcopis saepe laudatus et commendatus fuerit.

Iam anno 1849 Pius PP. IX, in Caietanis oris exsul, eum indulgentiis ditavit (7), et postea saepius aliis copiosis gratiis cumulavit. Leo XIII eum dicebat unam de consociationibus animo Suo carissimis plantamque novellam, qua magnopere exornabatur et iucundabatur hortus Divini Cultoris (8). Pius X asserere non dubitavit « nihil utilius » esse opere Apostolatus Orationis « ad haec tanta et tam gravia sananda mala, quibus humani generis societas est affecta » (9). Benedictus XV suum desiderium patefecit, ut nemo a consortione Apostolatus Orationis abstineret (10). Pius XI iterum iterumque eum probavit, commendavit,

---

(5) *Manuale Apostolatus Orationis,* Roma [1934], n. 92; cf. nn. 83-102.

(6) Cf. *Acta Rom.,* vol. VIII, 1937, pp. 653-654; vol. IX, 1940, pp. 484-485; vol. X, 1941, pp. 5-6.

(7) Litt. Apost. « Ad augendum », d. d. 19 aug. 1849.

(8) Allocutio ad Socios Ap. Or. Italos, habita d. 11 oct. 1893 (*Il Messaggere del Sacro Cuore di Gesù,* vol. LIX, p. 151); cf. etiam Epist. ad P. H. Ramière, d. d. 23 sept. 1878 (*Messager du Coeur de Jésus,* vol. XXXIV, pp. 484-489).

(9) Epist. ad P. I. Boubée, d. d. 9 apr. 1911 (*A.A.S.,* vol, III,, 1911, p. 345; *Acta Rom.,* vol. II, 1911, p. 21).

(10) Epist. Apost. « Maximum illud », d. d. 30 nov. 1919 (*A.A.S.,* vol. XI, 1919, p. 452); cf. etiam *Acta Rom.,* vol. III, 1919, pp. 17-26; 1920, pp. 205-209.

laudavit, et quantopere auxilio huius precantium exercitus fideret testatus est; nominatim vero Apostolatum Orationis vocavit « magnum, pulchrum opus, vere accommodatum huius temporis necessitatibus, maxime satisfaciens desideriis Sacratissimi Cordis », exercitum omnipotentem, « Apostolatum omnium potentissimum et simul facillimum, qui omnium hominum apostolatus esse debet » ([11]). Denique Pius XII, feliciter regnans, nullam omisit occasionem significandi quam caram habeat hanc Piam Societatem; quam dixit « opus magnae fidei, magnae vis vitalis, cuius beneficio amplissima, ferventissima, fecundissima cruciata pro mystici Regni propagatione in omnibus civilis societatis ordinibus florescit » ([12]); nuper vero, in Litteris Encyclicis « Mystici Corporis Christi », publice declaravit Sibi cordi esse hanc sodalitatem « utpote Deo gratissimam ... summopere commendare » ([13]).

His adiungi possunt paene innumera testimonia Episcopatus, qui, ut verbis utar ipsius Pii XI, amore et studio in hoc opus ardet idque reputat adiumentum pretiosum ad omne illud bonum quod Episcopis semper cordi est ([14]).

Haec omnia, Reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, officium nobis irrogant ferventes Deo reddendi gratias de hoc singulari dono, quod Societati nostrae largiri dignatus est. Plurimis ac praeclaris armis voluit benignissimus Dux noster Societatem instruere ad pugnam pro gloria Dei et animarum salute pugnandam. Itaque, ut duo tantum excellentissima dona commemorem, dedit ei in primis Exercitia Spiritualia S. P. Ignatii, quibus et suos filios ad spiritualem militiam institueret, et alios plurimos imperio Christi subiceret; dedit pariter « munus suavissimum ... devotionis erga divinum Cor suum colendae, fovendae, propagandae » ([15]); ut quae per Exercitia in vitam, passionem, Personam Christi tam intime penetrarat, per devotio-

---

([11]) Cf. *Nuntius ad Nuntios*, 1939, pp. 69-115, praesertim nn. 13, 35, 62, 80.

([12]) Epist. ad P. G. Venturini, d. d. 25 apr. 1939 (*Acta Rom.*, vol. IX, 1939, pp. 337-338.

([13]) *A.A.S.*, vol. XXXV, 1943, p. 246.

([14]) Allocutio ad Socios Ap. Or. Italos, habita d. 25 apr. 1925 (*Acta Rom.*, vol. V, 1925, p. 255).

([15]) *Coll. Decr.*, d. 223 (Epit. n. 851 § 1).

nem erga Cor Eius Sacratissimum divitias miserationis et gratiae in Corde illo absconditas effoderet et egenti animarum populo abundanter dispertiret. Novum tamen propriae atque alienae sanctificationis instrumentum Societati renascenti munerari decrevit, Apostolatum Orationis; qui, licet Exercitiis Spiritualibus et devotioni erga Cor Iesu componi non possit, ex his duobus donis profluere eaque complere quodammodo atque confirmare dicendus est. Idem enim « Christus, Rex aeternus », qui in Exercitiis homines ad suum exercitum invitat, Ille est qui, inimicos suos debellare et totius mundi dominium Sibi vindicare volens, sodales quoque Apostolatus Orationis ad se vocat eisque Secum in hoc sacro bello laborare proponit. Qui quidem, « Adveniat Regnum tuum! » conclamantes, non modo servitio sui Regis ac Ducis se totos addicant, verum etiam se Ei cotidie penitus offerunt suaque omnia divinae subiciunt voluntati, atque adeo hac sui cotidiana oblatione fructum Exercitiorum conservant et constanter renovant. Quare ipsa experientia nos docet Apostolatum Orationis esse optimum sodalicium seu foedus perseverantiae, praesertim cum, praeter oblationem cotidianam primi gradus, homines ad recollectionem menstruam cum Communione reparatrice tertii gradus adducuntur. — Devotio autem erga SS.mum Cor Iesu, quamquam non sit finis ipse Apostolatus Orationis, est tamen eius adeo propria, ut Summus Pontifex Benedictus XV Apostolatum Orationis vocaverit « formam valde eximiam » illius devotionis ([16]). Cum enim in cultu Sacratissimi Cordis, ut docet Pius XI, emineat consecratio, « qua nos nostraque omnia aeternae Numinis caritati accepta referentes, divino Iesu Cordi devovemus » ([17]), hanc consecrationem socii Apostolatus Orationis exercitium primarium atque essentiale habent.

Societas quidem hoc novum Sacratissimi Cordis donum lubentissimo ac gratissimo animo accepit. Iam R. P. Roothaan, p. m., vix lecto Patris Gautrelet de Apostolatu Orationis libro, communicationem meritorum Societatis cum sociis Piae Unionis

([16]) « forma principalissima della devozione al Sacro Cuore di Gesù ». Allocutio ad Moderatores Ap. Or., habita d. 17 oct. 1920 (*Acta Rom.*, vol. III, 1920, p. 205).

([17]) Pius XI, Litt. Encycl. « Miserentissimus Redemptor », d. d. 8 maii 1928 (*A.A.S.*, vol. XX, 1928, p. 167).

instituit ([18]). Dein Patres Congregationis Generalis XXVI^ae, « in ipso limine saeculi ab instaurata Societate secundi, ... omnibus Nostris, maxime vero Superioribus, enixe commendatum voluere, ut piam illam a Corde Iesu foederationem omni ope confovere et propagare satagerent » ([19]). Post quod decretum, neminem latet quot quantaque perfecerit desideratissimus Pater Noster Wlodimirus Ledóchowski, ut Apostolatus Orationis et numero sociorum et praesertim spiritu sibi proprio floreret: quorum quaedam miliaria, ut ita dicam, sunt duo conventus quos Romae habuerunt Directores « Nuntiorum Cordis Iesu » annis 1919 et 1925, translatio Directionis Generalis in urbem Romam, et definitiva constitutio Cruciatae Eucharisticae tamquam sectionis Apostolatus Orationis in Consociationem Primariam ([20]).

Nunc autem, vertente iam anno centesimo huius singularis beneficii, gratum animum nostrum erga divinam Bonitatem speciali quadam ratione exhibeamus oportet. Quare, praeter ea quae Directores et Promotores Apostolatus in variis regionibus promovere curabunt, desidero ut in omnibus nostris domibus, praesertim in Domibus probationis et in Collegiis Nostrorum, prout difficultates temporum permittant, triduum celebretur, in quo debitae Divino Cordi grates referantur et omnes Nostri magis ac magis magnitudinem doni ab Eo accepti existimare addiscant.

Sed in primis gratus animus operibus est ostendendus; quod fiet si Apostolatum Orationis cum novo fervore et in nobis ipsis et in aliis promovere conemur.

Primum quidem in nobis ipsis. Dolendum enim esset si haec Pia Unio, quae in Collegio Nostrorum et inter nostros Scholasticos ortum habuit, eo praesertim consilio, « ut offerret iuvenibus, dum obscuris studiorum occupationibus vacarent, modum sui zeli exercendi » ([21]), nunc, cum ad plurima alia Instituta Religiosa et ad omnes ordines humanae societatis propagata est, a Nostris deseratur. Nam, quamquam ob communicationem me-

---

([18]) Cf. *Epistolae Ioannis Phil. Roothaan*, Romae, 1940, vol. II, pp. 127-128.

([19]) d. 21 (*Acta Rom.*, vol. II, 1915, p. 20); cf. Coll. Decr., d. 223 (Epit. n. 672 § 1).

([20]) Cf. *Nuntius ad Nuntios*, 1943, ian.-febr., Supplementum: « In memoriam A. R. P. Wlodimiri Ledóchowski ».

([21]) H. Ramière, S. I., *L'Apostolat de la Prière*, Lyon, 1861: Préface.

ritorum, ut probe scitis, Nostri a necessitate nomen suum inscribendi liberati sunt, et satis habent « aliud signum externum adhibere » (22), fieri tamen posset, ut quis, falso putans Apostolatum Orationis esse congregationem quandam externorum, suam ipse operam ad hoc insigne opus apostolicum afferre omitteret. Quare curandum est Superioribus ut iuvenes nostri iam a Noviciatu de usu et ordinatione huius Piae Unionis edoceantur; haec autem anniversaria commemoratio optimam offert opportunitatem ad illam cognitionem per instructiones a peritis Patribus habitas et per accommodatas lectiones in omnibus amplificandam.

Sed potissimum opus est ut Nostri spiritu Apostolatus Orationis, qui spiritui Societatis est valde consentaneus, magis ac magis imbuantur. In eo quidem invenient Scholastici et Fratres Coadiutores modum consequendi finem apostolicum ad quem omnes Nostri, non solum Operarii, vocati sunt. In eo invenient omnes Nostri modum satisfaciendi praescripto Constitutionum, quo iubemur proximos nostros « sanctis desideriis et orationibus in Dei conspectu pro universa Ecclesia ... effusis » iuvare (23). In eo invenient omnes Nostri modum perseverandi in illa recta intentione, quam S. P. N. Ignatius in omnibus suis filiis exoptat, « non solum circa vitae suae statum, verum etiam circa res omnes particulares » (24); qui enim exercitiis huius Piae Unionis non contentus ipsum Orationis Apostolatum « vivere », ut dicitur, conatur, totam suam vitam in orationem convertit, ut de eo dici merito possit quod de S. Francisco Assisiensi dictum est, eum « non tam orantem quam orationem factum esse »; quae oratio cum apostolica sit, vere asserere licet illius vitam totam esse factam continuum apostolatum. In eo praeterea invenient omnes Nostri modum devotionis erga SS.mum Cor Iesu colendae: ea enim de causa Patres Congregationis Generalis XXVI^ae Apostolatum Orationis commendare se dicunt, quod experientia docti essent eum esse « ad hanc devotionem provehendam peraptum » (25). In eo tandem invenient omnes Nostri modum cotidie renovandi et confirmandi illam devotionem erga Roma-

(22) Rescriptum d. d. 13 maii 1875 (Cf. Manuale Ap. Or., nn. 196-197).
(23) *Const.* P. VII. c. 4, n. 3.
(24) *Const.* P. III. c. 1, n. 26 (Summ. Const., reg. 17).
(25) d. 21 (*Acta Rom.*, vol. II, 1915, p. 40).

num Pontificem, qua Societas nostra, ex voluntate Sancti Conditoris, apud amicos et inimicos insignita est.

Sed praeterea gratitudo animi ob hoc insigne beneficium nobis officium imponit ut Apostolatum Orationis, « opus summe spirituale et sociale et Societatis valde proprium » (26), totis viribus in fidelibus fovere atque propagare conemur. Non raro fit ut nonnulli Nostri opera nova condere aggrediantur, mox peritura, cum periculis quibus se obicit qui in ministeriis novitates sectatur, et praetermittant vel languescere sinant Apostolatum Orationis, « tam diuturna experientia probatum » (27) et ad eosdem vel similes fines constitutum.

In promovendo autem Apostolatum Orationis apud externos, specialis cura, ut decrevit Congregatio Generalis XXVII, habenda est « virorum » (28). Qua in re enixe velim commendare Superioribus et Operariis nostris, praesertim vero Directoribus et Promotoribus Apostolatus ac Directoribus « Nuntiorum », quod Patri Nostro Generali Wlodimiro Ledóchowski postremis suae vitae annis cordi maxime fuit: ut constituantur et omni diligentia propagentur separatae sectiones Apostolatus Orationis ex solis viris, quemadmodum cum magno fructu, variis adhibitis nominibus — ut « Foederum S. Cordis », « Apostolatus Virorum », « Cruciatorum Cordis Iesu » etc. —, in pluribus iam regionibus factum est (29). Videbat quidem desideratissimus Pater Noster viros ad SS.mam Eucharistiam attrahere opus esse, ut ex illo divino gratiae fonte eam vitam supernaturalem ebiberent, quae ad vincendam hodiernam populorum a Deo apostasiam omnino necessaria est; ad hoc autem aptissimum esse Apostolatum Orationis et nominatim Cruciatam Eucharisticam, quae, ex voluntate ipsius Summi Pontificis, non ad solos pueros

---

(26) R. P. Wl. Ledóchowski, Epist. de constituendis in Italia coetibus propagatorum Ap. Or., d. d. 26 nov. 1920 (*Acta Rom.*, vol. III, 1920, p. 349).

(27) R. P. Wl. Ledóchowski, Epist. de Missionariis Ap. Or. Intentionibus, d. d. 3 dec. 1927 (*Acta Rom.*, vol. V, 1927, p. 701).

(28) Cf. *Coll. Decr.*, d. 223 (*Epit.*, n. 672 § 1).

(29) Cf. *Apostolatus Orationis Conventus quem Directores Nuntiorum ... Romae celebrarunt*, Toulouse, 1925, pp. 45-54; [Ios. Boubée, S. I.], *Eclaircissements sur notre Croisade Eucharistique*, n. 4; *Nuntius ad Nuntios*, 1939, pp. 118-120; *Annuarium Ap. Or.*, 1940-1941, pp. 72-74.

et puellas coarctanda est, sed ad iuvenes quoque et viros extendenda [30].

Considerent etiam Directores « Nuntiorum » quam validum apostolatus instrumentum in manibus habeant. Perpendant vel ipsa sola explicatione intentionis generalis quantum in bonum animarum perficere possint: singulis mensibus una eademque res ad fidem vel mores pertinens, quam iudicio ipsius Summi Pontificis necessitates temporis maxime postulant, amplius quadraginta diversis sermonibus apud plurima centena milia fidelium explicatur et commendatur. Magni ergo faciant munus sibi commissum; omni ope atque opera enitantur ut « Nuntii » sint vera « organa » Apostolatus Orationis; ut a novitatibus et devotionibus minus probatis abstinentes, promoveant in primis devotionem erga SS.mum Cor Iesu et erga Immaculatum Cor Mariae et, exemplo Patris Ramière, solida atque integra doctrina catholica legentes alant; ut, quoad eius fieri possit, profana omnia, quae « Nuntium », id est Legatum, Cordis Iesu minime decent, devitent.

Hoc modo, Reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, Apostolatus Orationis exhibetur nobis in his calamitosis temporum condicionibus, opus vere providentiale ad obtinenda ea quibus homines nunc maxime indigere videmus. Hic enim exercitus precantium vim faciet amantissimo Cordi Iesu, ut tandem nationibus illam pacem dare dignetur, « quam mundus dare non potest ». In hac consensione precum, ad intentionem Summi Pontificis et in communione cum SS.mo Corde Iesu pro nobis constanter precante, fiet illa cordium coniunctio, quae tantopere in his bellicis odiis lacerata est. Haec denique Pia Unio instrumentum nobis praebet validissimum ad spiritum christianum cum magna simplicitate infundendum in coetus opificum et agricolarum, qui, cum efficiant hac nostra aetate partem vineae Domini quae magis indiget [31], praecipuam nostram curam efflagitant.

Ut finem imponam his iam longioribus litteris, omnibus vobis commendo ut hoc anno iubilari a SS.mo Corde Iesu, per

---

(30) Cf. *Acta Rom.*, vol. VII, 1932, p. 59; 1933, pp. 379-380; vol. IX, 1939, p. 338.

(31) Cf. *Const.* P. VII, c. 2, litt. D.

Immaculatum Cor Mariae, vestris precibus impetrare conemini renovationem veri spiritus Apostolatus Orationis in cunctis Nostris; ut hoc eximium beneficium divinae Bonitatis in nullo sterile maneat, sed copiosos ferat sanctitatis fructus et in Nostris ipsis et in fidelibus omnibus nostrae curae commissis.

Commendo me vestris Sacrificiis et orationibus.

Romae, die 12 martii 1944
anniversario Canonizationis S. P. Ignatii et S. F. Xaverii.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
Alexius Ambrosius Magni
Vic. Gen. Soc. Iesu.

19. 11 aprilis 1944.

R. P. Norbertus de Boynes a R. P. Alexio A. Magni ut Vicarii Generalis partes ad tempus agat constituitur.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Cum vires meae, in dies infirmiores factae, iam non sufficiant ut ordinariis mei muneris officiis rite fungi valeam, censui ad maius Dei obsequium et bonum Societatis fore, ut per tempus aegrotationis meae facultates meas delegem alicui ex PP. Assistentibus ad ordinaria negotia nomine meo expedienda.

Itaque, divino implorato lumine, et re cum PP. Assistentibus Romae degentibus collata iisque plene consentientibus, ad normam Instituti nostri (Cfr. *Const.* P. IX c. 5 D et *Coll. Decr.* d. 262 § 3; *Epit.* n. 796).R. P. Norbertum de Boynes, antiquissimum inter PP. Assistentes, Vicarium ad tempus constituo, qui si res graviores id exigant, me semper consulere mecumque agere poterit.

Omnium ss. SS. et precibus me valde commendo.

Romae, 11 aprilis 1944.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Alexius A. Magni
Vic. Gen. Soc. Iesu.

20. **13 aprilis 1944.**

Nuntiatur mors R. P. Alexii A. Magni, Vicarii Generalis Societatis Iesu.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Nova gravique probatione misericors Deus Societatem nostram, tot iam aerumnis conflictatam, visitare voluit. Ut enim per telegramma PP. Visitatoribus missum omnes Nostros certiores facere curavimus, hesterno die, hora 22,45, post exactos sexdecim tantum menses a morte desideratissimi Patris Nostri Generalis Wlodimiri Ledóchowski, R. P. Vicarius Generalis Alexius Ambrosius Magni, aetatis suae anno septuagesimo secundo, Societatis quinquagesimo secundo, ex hac vita migravit.

Integris viribus munus Vicarii cum iniisset, iam mense iulio male se habere et defatigatione affici coepit, tamen Curiam nostram relinquere noluit et munia sua obire fideliter perseveravit. Sed cum, praesertim exeunte anno 1943, etiam post diaetam aliasque medicorum praescriptiones diligenter servatas, effectus morbi ingravescere viderentur, medio mense ianuario h. a. in xenodochium Sancti Spiritus se contulit, ubi experimentis per plures dies a medicis factis confirmatum est, dilectum Patrem renibus laborare et omnes molestias quibus afficiebatur ex nimio nitrogeno sanguinis procedere. Redux in Curiam novis curationibus et severae victus rationi a medico horum morborum peritissimo praescriptis se subiecit, sed frustra. Factis enim aliis probationibus, compertum est nitrogenum sanguinis non solum non minui sed magis ac magis augeri. Quare ex consilio medicorum die 15 mensis februarii lecto se commisit in Curiae valetudinario, quod iam relicturus numquam erat.

Nos interea Dominum Nostrum implorare non desistebamus: praeter privatas cuiusque preces ac devotiones, omnes S. Francisci Xaverii novemdialia quae a gratia dicuntur pro sanatione cari Patris obtulimus; progrediente autem morbo, alias novemdiales supplicationes Sanctissimae Trinitati per intercessionem P. Ioannis Roothaan adhibere incepimus.

Tamen, Divina Providentia sic res disponente, morbus, etsi quandoque detineri videretur, non cessabat, et carissimum Patrem in dies deficere conspiciebamus. Quamobrem, cum ipse desiderium ostendisset recipiendi ultima Ecclesiae sacramenta, die 10 h. m., hora 19, praesentibus omnibus Patribus et Fratribus Curiae, Praeposito Provinciae Romanae et pluribus Superioribus et sociis ex aliis Urbis domibus, sacrum Viaticum et Extremam Unctionem ei administravi. Pater, antequam SS. Christi Corpus sumeret, veniam de suis defectibus humiliter petiit, gratias egit omnibus Nostris de iis quae erga se egerant, et omnium precibus se commendavit. Ad finem, me rogante, Societati Universae paterne benedixit.

Summus Pontifex progressionem morbi sequebatur, et de omnibus certior fieri volebat; die autem 11 singularem Benedictionem Apostolicam caro aegroto misit.

Post acceptum Viaticum, Pater Magni, nominato de consensu Assistentium Vicario qui per tempus aegrotationis negotia ordinaria expediret, se totum orationi dedit. Resplenduit his praesertim postremis diebus eius exemplum patientiae et fortitudinis in perferendis doloribus aliisque aegrotationis molestiis. Heri mane, cum S. Communionem postremum acciperet, auditus est cum magna devotione repetere: « Veni, Iesu, veni, Iesu », et: « mitis atque festivus Christi Iesu mihi aspectus appareat ». Tandem hora fere 22 ad exitum appropinquare visus est, quare convocatis PP. Assistentibus et plurimis aliis Patribus et Fratribus Curiae intervenientibus, eius animam Deo commendavimus, quae post brevem agoniam ad praemium caeleste evolavit.

R. P. Alexius A. Magni, ortus die 3 iulii 1872 in oppido Pozzuolo Martesana in dicione et archidioecesi Mediolanensi, post studia classica in Mediolanensi Seminario peracta, vicennis Societatem ingressus est die 1 octobris 1892 Portu Regio in Croatia, ubi tunc temporis Provincia Veneta Domum Probationis habebat. Noviciatum egit Magistro insignis sanctitatis viro Servo Dei P. Richardo Friedl, quo Instructore quoque tertiae probationis, post expletum consuetum studiorum curriculum et sacerdotio anno 1904 auctus, usus est. Sollemnem quattuor votorum professionem emisit die 15 augusti 1910 Patavii, in qua urbe maximam suae vitae apostolicae partem degit. Nam, ad illam Universitatem primum missus ut magisterii gradum adipisceretur, dein

nostri Convictus Universitarii Moderator seu Praefectus generalis designatus, hoc munus per annos quattuordecim egregie gessit, et bis praeterea totum Collegium Rector gubernavit.

Die 3 iulii 1935 Praepositus Provinciae Venetae renuntiatus fuerat. Sed, cum paulo post R. P. Petrus Boetto a Summo Pontifice in Sacrum Cardinalium Collegium cooptaretur, Pater Noster Generalis in eius locum Patrem Magni Assistentem Italiae constituit.

In his omnibus muneribus magnum erga Societatem amorem semper ostendit et fidelissimum sese praebuit religiosae disciplinae custodem. Eloquentiae et doctrinae dotibus haud communiter instructus, orationes praesertim quas « conferentias » vocant de rebus apologeticis et religiosa cultura, sive Patavii sive alibi, cum copioso animarum fructu saepius habuit. Exercitiorum Spiritualium S. P. Ignatii cognitor eximius et studiosus cultor, ea Sacerdotibus ac Religiosis viris, et etiam pluries omnibus Episcopis certae alicuius regionis simul congregatis, atque adeo bis in ipsis sacris Vaticanis Ædibus optime tradidit. Nativam indolis alacritatem prudentia opportune temperabat eamque roborabat sincerae pietatis studio, quo omnibus exemplo et aedificationis erat. Qua in re iuvat commemorare ardorem quo his ultimis annis et verbo et scripto fovit devotionem erga Immaculatum Cor Mariae, ut pientissimae Matris auxilium pro afflicto mundo imploraret. Voluit autem benignissimus Deus eum ad Se vocare cum iamiam adventaret dies 13 mensis, Beatae Mariae Virgini a Fatima sacer.

Ex quo, die 14 decembris 1942, per schedulam Patris Nostri, Vicarius Generalis cum plena potestate quam Praeposito Generali nostrum Institutum tribuit renuntiatus est, consueto suo animi vigore Societati difficillimis his temporibus diligenter gubernandae se addixit; ut, sicut in primis suis ad Societatem litteris ipse scribebat, quam mediis etiam in tot procellis tantopere auctam et florentem de manibus A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski venerabundus acceperat, eam, sin minus maiore in dies prosperitate donatam, saltem incolumem et spiritu incorruptam ad eius successorem transmittere valeret (cfr. *Acta Rom.*, vol. X, 1942, p. 485). Huic autem eius pio desiderio Deus benedicere voluit, in tam brevi enim temporis spatio et permanentibus belli difficultatibus, vidit numerum Provinciarum auctum ob divisionem

antiquae Provinciae Marylandiae Neo-Eboracensis, quam divisionem a Patre Nostro iam paratam ipse decrevit die 2 iulii 1943. Multa etiam perfecit in bonum Nostrorum Romae commorantium, tam in Curia, cuius prius etiam Superior fuerat, quam in aliis domibus romanis. Nominatim mentionem facere oportet diligentiae qua curavit digniorem sedem Praeposito Provinciae Romanae et commodiorem habitationem nostris Scholasticis accommodare in antiquo aedificio Domus Professae iuxta templum SS. Nominis Iesu.

Qua de causa, ex grato animo erga dilectum Patrem, quamquam pro defuncto Vicario Generali nulla specialia suffragia in Instituto nostro praescribantur, rogant PP. Assistentes, ut omnes Nostri suffragiis ordinariis et specialibus ab Instituto praescriptis (Cf. *Coll. Decr.* d. 290, Congr. Gen. XXVIII d. 43, III) unum suffragium addant ratione muneris Vicarii Generalis.

Hic Romae sollemnia funebria peragentur in templo SS.mi Nominis Iesu, die 15 h. m., hora 10.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 13 aprilis 1944.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
NORBERTUS DE BOYNES S. I.
Assist. Gall.

21. **13 aprilis 1944.**

Indicitur Congregatio ad eligendum Vicarium Generalem temporarium.

DECRETUM

Cum Deus Dominus Noster, in investigabilibus suae Providentiae viis, ad Se vocare voluerit R. P. Alexium Ambrosium Magni, quem desideratissimus Pater Noster Generalis Wlodimirus Ledóchowski, per schedulam die 13 novembris anni 1942 scriptam, Vicarium Generalem post suam mortem nominaverat, cumque diligentibus indagationibus factis a P. Ludovico Dumoulin, Secretario Societatis Iesu, constet R. P.em Magni — ut ipse iam

coram declaraverat — facultatibus sibi a Summo Pontifice, rogante eodem P. Ledóchowski die 21 aprilis anni 1939 concessis (cfr. *Acta Rom.*, vol. X, 1942, pp. 301-303), usum non esse ad novum Vicarium nominandum qui post suam mortem Societatem regeret, officii est Assistentis sollemni quattuor votorum professione antiquissimi qui Romae praesens fuerit, indicere Congregationem ad eligendum Vicarium Generalem temporarium, ad normam Instituti (Cfr. Formula Congregationis ad eligendum Vicarium Generalem temporarium, nn. 1, 2, 5 § 2, quae invenitur in *Actis Romanis* vol. IV, vel in fasciculo distincto cuius titulus: *Statuta Congr. Gen.* XXVII).

Quamobrem, omnibus rite coram Domino perpensis, meis hisce litteris decerno: Congregationem ad eligendum Vicarium Generalem temporarium incohandam esse in hac Curia Generalicia statim post sepulturam R. P. Alexii Ambrosii Magni, i. e. proximo die 16 mensis aprilis anni 1944, hora 18ª, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Huic Congregationi intererunt, praeter quattuor PP. Assistentes Romae praesentes, sex et triginta Professi quattuor votorum sollemnium, secundum antiquitatem professionis, qui suam residentiam habitualem in eadem Urbe habeant (Cfr. Formula ad eligendum Vicarium Generalem temporarium, nn. 3-4), et quorum catalogus mox conficietur. Ipsi autem Patres ad Congregationem ius habentes singillatim certiores fient.

Nihil restat nisi ut, dum animam dilecti P. Alexii A. Magni Deo pie commendamus, preces quoque et Sancta Sacrificia et paenitentias multiplicare non omittamus, ut Divina Bonitas novum Vicarium Generalem talem nobis dare dignetur, quali difficillimis his temporibus Societas maxime indiget.

Commendo me Sanctis Sacrificiis et orationibus.

Romae, die 13 aprilis 1944.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
NORBERTUS DE BOYNES S. I.
Assist. Gall.

22. **19 aprilis 1944.**

Nuntiatur omnibus Visitatoribus novus Vicarius Generalis, qui eos in eorum munere confirmat.

Statim ac R. P. Norbertus de Boynes electus est Vicarius Generalis, primus novae potestatis actus ille fuit, ut omnes Visitatores per universam Societatem sparsos in eorum munere confirmaret. Quare ipso die 19 aprilis P. Secretarius undecim telegrammata, diversis linguis concinnata, ad eos misit, quae omnia ita dicebant:

P. de Boynes Vicarius, gaudens omni Generalis auctoritate, confirmat vestras Visitatoris facultates.

LUDOVICUS DUMOULIN

23. **20 aprilis 1944.**

Describitur Congregatio ad eligendum Vicarium Generalem et nuntiatur electio R. P. Norberti de Boynes.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Post tristes nuntiationes de ultimis Sacramentis et de morte R. P. Alexii A. Magni, laetus potui hesterno die, per telegramma PP. Visitatoribus missum, iucundiorem nuntium ad vos perferre: electionem novi Vicarii Generalis.

Non dubito, quin omnes Nostri praecipua cognoscere cupiant ex iis, quae Romae his postremis diebus acta sunt.

R. P. Magni, quamquam die 11 aprilis, videns suas vires in dies infirmiores iam non sufficere ut ordinariis sui muneris officiis fungi valeret, facultates suas delegavit R. P. Norberto de Boynes per tempus suae aegrotationis — ut ipse Praepositis Provinciarum eodem die per litteras rettulit —, tamen iam prius declaraverat se non usurum esse facultatibus a Summo Pontifice die 21 aprilis anni 1939 concessis (Cf. *Acta Rom.*, vol. X, 1942, pp. 301-304) ad novum Vicarium nominandum, qui post suam mor-

tem Societatem regeret. Quare, cum, post eius discessum e vita, re diligenter investigata, nullum invenirem documentum ad eiusmodi nominationem pertinens, R. Pater de Boynes, Assistens sollemni quattuor votorum professione antiquissimus, die 13 aprilis, ad normam Instituti (Cf. *Statuta Congr. Gen. XXVII,* Formula Congregationis ad eligendum Vicarium Generalem temporarium, nn. 1, 2, 5 § 2), indixit Congregationem ad eligendum Vicarium, atque horam 18 diei 16 eiusdem mensis ad primam sessionem incohandam constituit.

In historia quidem Societatis eiusmodi Congregatio ad eligendum Vicarium Generalem temporarium quinquies tantum prius convenerat; post mortem S. P. Ignatii et trium proximiorum eius successorum, qui nullum Vicarium designatum reliquerant, et iterum anno 1730, post mortem R. P. Tamburini, cuius Vicarii designatio, si forte facta est, inveniri non potuit. Eadem tamen Congregatio convocata est anno 1853, ad normam decreti 18 Congregationis Generalis XX, ad eligendum Substitutum Assistentis Germaniae; eo quod, P. Iacobo Pierling Vicario Generali a R. P. Roothaan designato, tres tantum remanserant Assistentes qui ei in gubernatione adesse possent.

Igitur die 16 aprilis, Dominica in Albis, hora praestituta, quattuor PP. Assistentes qui Romae erant ac sex et triginta Professi sollemni quattuor votorum professione antiquissimi, residentiam habitualem in eadem Urbe habentes, quorum catalogum adiungo (1), congregati sunt in hac Curia Generalicia, in aula recreationis Scriptorum accommodate praeparata. Dicto hymno « Veni Creator » cum oratione de Spiritu Sancto et de Beata Virgine, R. Pater de Boynes, qui Congregationi praeerat, legit litteras per quas Emmus Cardinalis Maglione, a Secretis Status, referebat Summum Pontificem specialem Benedictionem Apostolicam Congregationi impertire (2), et notum fecit PP. Congregatis Summum Pontificem, futuro Vicario Generali easdem facultates eisdemque condicionibus concessisse, quas R. P. Ledóchowski anno 1939 pro Vicario Generali a se designando impetraverat (3). Post quae electus est Secretarius Congregationis P. Petrus Tac-

(1) V. infra pag. 681.
(2) V. supra pag. 628.
(3) V. *Acta Rom.*, vol. X, 1942 pag. 301 sqq.

chi-Venturi (Rom.) et Assistens Secretarii P. Iosephus Creusen (Belg. Mer.). Interposito biduo praescripto ad divinum lumen invocandum et informationes petendas, feria quarta, 19 aprilis, hora 9 antemeridiana, habita est altera Congregationis sessio: in ea, praemissa per semihorae spatium oratione et consideratione, prima suffragatione, conspirantibus mirabiliter animis, longe plura quam tres suffragiorum partes tulit R. P. Norbertus de Boynes, Assistens Galliae, quem statim Secretarius Congregationis proclamavit in Vicarium Generalem temporarium divino numine atque auxilio electum esse.

Primus actus novi Vicarii is fuit, ut facultates Visitatorum, quae vi decreti 274 Collectionis Decretorum (*Epit.* n. 813 § 1) cessaverant, confirmaret; quod statim per telegramma eis notum facere curavi (4).

Minime necessarium est ut R. Patrem de Boynes ad vos introducam, cum omnibus satis notus sit. Ortus die 24 augusti 1870, Societatem ingressus est die 18 octobris 1888; post consuetum probationum et studiorum curriculum, semper officiis fiduciae in Societate functus est. Vix enim expleto anno tertiae probationis constitutus est Socius Provincialis; fuit postea Magister Noviciorum ac Rector Domus Probationis Cantuariensis, et Praepositus Provinciae Franciae; per annos fere quattuor visitavit Provincias Assistentiae Americae cum Missione Iamaicensi, et praeterea Missionem Nankinensem ac Missiones Syriae, Armeniae atque Aegypti alias perlustravit. Electus est Assistens Galliae a Congregatione Generali XXVII, cui prius, aegrotante Patre Nostro, ipse praeerat (Cf. *Statuta Congr. Gen. XXVII*, p. 262); praefuit pariter Congregationi Generali XXVIII, cum ex Patris Generalis petitione Congregatio ageret de eligendo Vicario Generali perpetuo (Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, pag. 13). Ipse Pater Noster die 2 ianuarii 1938 suum Vicarium Generalem ad tempus eum nominavit (Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1938, pp. 195-196), quem iam ab anno 1935 Admonitorem constituerat (Cf. *Acta Rom.*, vol. VIII, 1935, p. 197).

Gratias igitur Deo agamus, quod his difficillimis temporibus Vicarium Societati dederit, qui non modo desideratissimi Patris Nostri mentem optime novit, verum etiam eius et Societatis fi-

---

(4) V. supra pag. 678.

ducia semper fruitus est; et enixe Divinam Bonitatem deprecemur, ut dilectum Patrem nobis salvum viribusque valentem conservet, donec, optata pace adveniente, Societas in Congregationem Generalem convenire possit et novum Praepositum Generalem sibi eligere.

Commendo me ss. SS.

Romae, d. 20 aprilis 1944.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu.

CONGREGATIO VI

ad eligendum Vicarium Generalem temporarium

16-19 aprilis 1944

NOMEN	ORTUS	INGRESSUS	GRADUS
ASSISTENTES			
P. Norbertus de Boynes, *Ass. Gall.*	24 aug. 1870	18 oct. 1888	2 febr. 1906
P. Camillus Crivelli, *Ass. Am. Lat.*	18 iul. 1874	12 nov. 1888	15 aug. 1907
P. Antonius P. Prešeren, *Ass. Slav.*	8 iun. 1883	3 oct. 1910	2 febr. 1921
P. Carolus Brust, *Assist. Germ.*	6 apr. 1890	30 sept. 1909	2 febr. 1927
ELECTORES			
P. Petrus Tacchi Venturi, *Rom.*	12 aug. 1861	12 nov. 1878	2 febr. 1897
P. Franciscus Zorell, *Germ. Sup.*	29 sept. 1863	1 oct. 1884	3 febr. 1902
P. Antonius Stravino, *Neap.*	27 apr. 1867	1 dec. 1883	2 febr. 1903
P. Dominicus P. Lazzarini, *Rom.*	19 maii 1869	1 iul. 1884	2 febr. 1903
P. Antonius Deimel, *Germ. Inf.*	5 dec. 1865	27 apr. 1888	15 aug. 1905
P. Augustinus Merk, *Germ. Sup.*	11 sept. 1869	27 apr. 1888	15 aug. 1905
P. Iulianus Cassiani, *Ven. Med.*	21 dec. 1872	23 aug. 1887	2 febr. 1906
P. Augustus Anzuini, *Rom.*	2 iun. 1872	15 oct. 1887	15 aug. 1907
P. Dominicus Gori, *Rom.*	12 apr. 1874	30 oct. 1889	2 febr. 1908
P. Marcellus Renaud, *Mexic.*	29 ian. 1870	20 sept. 1890	2 febr. 1908
P. Octavius Marchetti, *Rom.*	30 iun. 1869	30 sept. 1897	2 febr. 1908
P. Franciscus Zidek, *Austr.*	16 apr. 1873	7 sept. 1892	2 febr. 1909
P. Paulus Gâltier, *Tolos.*	9 febr. 1872	17 oct. 1892	2 febr. 1909
P. Albertus Vaccari, *Taur.*	1 mart. 1875	20 iun. 1892	15 aug. 1909

NOMEN	ORTUS	INGRESSUS	GRADUS
P. Ioannes M. Restrepo R., *Colomb.*	11 dec. 1875	2 ian. 1890	2 febr. 1910
P. Florentinus Ogara, *Cast.*	13 mart. 1877	30 iul. 1891	15 aug. 1910
P. Iosephus Filograssi, *Rom.*	11 nov. 1875	29 oct. 1891	2 febr. 1911
P. Carolus Miccinelli, *Rom.*	1 mart. 1876	29 oct. 1894	2 febr. 1911
P. Felix Rinaldi, *Taur.*	15 iul. 1878	4 aug. 1894	15 aug. 1911
P. Wilhelmus Kratz, *Germ. Inf.*	31 ian. 1874	30 apr. 1895	15 aug. 1911
P. Ioannes Ruwet, *Belg. Merid.*	14 ian. 1876	23 sept. 1894	2 febr. 1912
P. Iosephus Massaruti, *Rom.*	25 oct. 1875	29 oct. 1894	2 febr. 1912
P. Aloisius da Fonseca, *Lusit.*	3 nov. 1878	12 nov. 1892	2 febr. 1913
P. Urbanus Holzmeister, *Austr.*	8 apr. 1877	2 oct. 1895	2 febr. 1913
P. Attilius Munzi, *Rom.*	20 mart. 1880	14 nov. 1895	2 febr. 1914
P. Franciscus Hürth, *Germ. Inf.*	5 oct. 1880	30 sept. 1896	2 febr. 1914
P. Victorius Bovini, *Rom.*	20 oct. 1879	15 oct. 1895	2 febr. 1915
P. Aloisius De Poletti, *Rom.*	20 maii 1880	21 apr. 1897	2 febr. 1915
P. Franciscus Pelster, *Germ. Inf.*	9 mart. 1880	1 maii 1897	2 febr. 1915
P. Dionysius Fernández, *Leg.*	3 oct. 1877	23 aug. 1897	2 febr. 1915
P. Aemilius Villaret, *Camp.*	21 iun. 1876	15 sept. 1897	2 febr. 1915
P. Iosephus Creusen, *Belg. Merid.*	18 apr. 1880	23 sept. 1897	2 febr. 1915
P. Ioannes Moglia, *Rom.*	28 nov. 1875	30 iul. 1898	2 febr. 1915
P. Franciscus S. Mueller, *Germ. Inf.*	12 apr. 1872	4 maii 1905	15 aug. 1915
P. Galilaeus Venturini, *Rom.*	13 iun. 1880	1 febr. 1898	2 febr. 1916
P. Paulus Sträter, *Germ. Inf.*	4 nov. 1878	12 apr. 1899	15 aug. 1916

24. **11 maii 1944.**

Mors nuntiatur piae fundatricis, Iuliae Grant, et pro eius anima suffragia indicuntur.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Per has litteras — quibus telegrammata hodie ad Visitatores missa confirmo — R.am V.am certiorem facio pie in Domino defunctam esse Illustrissimam dominam Iuliam Grant, Neo-Eboracensis Collegii S. Ioannis Francisci Regis Fundatricem.

Ob haec aliaque praeclara beneficia, quibus opera nostra in

Provinciis Neo-Eboracensi, Marylandiae et Novae Angliae iterum atque iterum cumulaverat, b. m. P. N. Wlodimirus Ledóchowski insignem hanc benefactricem, diplomate die 25 decembris anni 1937 dato, participem declaravit omnium bonorum operum quae in universa Societate Dei gratia fiunt.

Curet ergo R.a V.a, ut pro anima huius Fundatricis, ex praescripto Constitutionum (P. IV c. 1 n. 4; cf. Epit. n. 855 § 1, 2°), omnes Sacerdotes Sacra tria faciant, qui vero Sacerdotes non sunt, tres coronas B. M. V. seu tertias Rosarii partes recitent et tres Missas atque Communiones offerant. Pro eius quoque filiis, qui generoso animo beneficia matris rata habebant, studeant omnes, ad earundem Constitutionum normas, Deum instanter precari.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 11 maii 1944.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
NORBERTUS DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu

25. **26 maii 1944.**

Nuntiatur electio novi Assistentis Italiae et Admonitoris Vicarii Generalis.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Postquam R. P. Vicarius Alexius A. Magni, qui etiam Assistentis Italiae munere fungebatur, ad Dominum evocatus est, opus erat, ad normam Instituti, alium Assistentem nominare, qui me in rebus praesertim Provinciarum Italiae adiuvaret.

Informationibus diligenter quaesitis, auditis etiam sententiis Praepositorum Provinciarum Italiae, cum quibus conferre potuimus, et divino lumine suppliciter implorato, omnes PP. Assistentes, qui Romae degunt, mecum censuerunt aptissimum ad illud

munus esse P. Alfonsum M. Martin, Instructorem Tertiae Probationis et Rectorem Domus Florentinae. Quare R. P. Alfonsum M. Martin ad munus Assistentis Italiae elegi.

Ex praescripto quidem Instituti (cf. Coll. Decr., d. 269 §§ 4-5), novus Assistens, ut omnibus sui muneris iuribus fruatur, habere debet approbationem maioris partis Assistentium et Provincialium Societatis. Sed cum in his difficillimis temporum condicionibus praescripta informatio de electo mitti nullatenus possit, Summum Pontificem rogavi, approbantibus PP. Assistentibus, ut suprema sua auctoritate supplere dignaretur ea quae ad normam Instituti nostri desint. Summus Pontifex, consueta sua erga Societatem benignitate precibus meis cedens, hodie nominationem R. P. Alfonsi M. Martin confirmavit (1).

Praeterea, cum ipse apud R. P. Generalem et apud R. P. Magni munere Admonitoris fungerer, alter quoque in hoc munere sufficiendus erat. Quamobrem, de consilio ceterorum PP. Assistentium ad munus Admonitoris Vicarii Generalis elegi R. P. Camillum Crivelli, Assistentem Americae Latinae. Qui cum etiam egeret approbatione maioris partis Assistentium et Provincialium Societatis (cf. Coll. Decr., d. 272 § 2), ob eandem causam Summum Pontificem adivi. Summus vero Pontifex nominationem quoque R. P. Camilli Crivelli confirmare dignatus est (2).

Commendo me ss. SS.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
NORBERTUS DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu

---

(1) V. supra pag. 631 sqq.
(2) V. ibid.

26. **3 augusti 1944.**

Communicatur cum Societate epistola Apostolica de Apostolatu Orationis.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

RVae mitto exemplar Epistolae Apostolicae a Beatissimo Patre Pio XII die 16 mensis iunii, occasione Centenarii Apostolatus Orationis, ad me datae (1), cui adiungo versionem italicam a nobis factam.

Non dubito quin hoc novum pignus benevolentiae Summi Pontificis futurum sit omnibus Nostris magnae consolationi, mediis in his calamitatibus quibus ubique circumdamur, magno incitamento et cohortationi ad insigne opus Apostolatus Orationis et in se ipsis et in aliis promovendum atque propagandum.

Curet RVa, modo qui sibi aptissimus videatur, hanc Epistolam Apostolicam communicare cum omnibus nostris domibus et cum omnibus Moderatoribus Dioecesanis Apostolatus Orationis qui in territorio suae Provinciae inveniantur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 3 augusti 1944.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Norbertus de Boynes
Vic. Gen. Soc. Iesu

(1) V. supra pag. 635 sqq.

27. 5 decembris 1944.

Praescribuntur suffragia pro Oeconomo Generali, P. Antonio M. Stravino, et nuntiatur electio novi Oeconomi Generalis, P. Romuli Durocher.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Ut R.a V.a per telegramma Patris Secretarii iam noverit, in hac Curia generalicia, die 3 decembris hora 20.10, post diuturnum morbum forti patientique animo toleratum, pie in Domino obiit, omnibus sanctis Sacramentis munitus, P. Antonius M. Stravino, Oeconomus generalis, anno aetatis 78°, Societatis 62°.

Cum autem proxima Congregatio Generalis XXVIII[a] decreto 43° suffragia, a Congregatione Generali XXVII[a] Procuratori generali concessa, etiam ad Oeconomum generalem extenderit, curet R.a V.a, ut omnes suae Provinciae sacerdotes Sacrum unum faciant, qui vero sacerdotes non sunt, coronam seu tertiam Rosarii partem recitent et Missam atque Communionem offerant pro anima carissimi in Christo defuncti.

R.m V.m vero certiorem facio me, auditis Patribus Assistentibus Romae degentibus, Oeconomum generalem constituisse Patrem Romulum Durocher, e Provincia Canadae Inferioris, qui iam a pluribus annis, ob Patris Stravino infirmitatem, hoc officio ut Adiutor Oeconomi Generalis fungebatur.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 5 decembris 1944.

R.[ae] V.[ae]
Servus in Xto.
NORBERTUS DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu

II. — PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS

28. 13 iunii 1944.

De quinquagesimo anno Granatensis Collegii Max. NN. (Prov. Baet.).

AD R. P. IOSEPHUM A. DE ALDAMA

RECTOREM GRANATENSIS COLL. MAX. NN.

Romae, 13 iunii 1944.

REVERENDE IN XTO. PATER,
P. XTI.

Cum quinquaginta nunc compleantur anni a Domo vestra condita, non possum, quin cum omnibus vobis Sacratissimo Cordi Iesu gratias quam plurimas humiliter reddam pro tot tantisque suae misericordiae beneficiis, quibus per hoc temporis spatium illam cumulavit.

Senza dubbio, la coltura generale e professionale non può avere dappertutto l'ampiezza conseguita, per esempio, a Valenza nella Spagna, ove le diverse sezioni giuridica, scientifica, letteraria, tecnica, munite di tutti gli strumenti di studio e di lavoro pratico, specialmente la sezione medica con la sua clinica e il suo dispensario, assicurano ai Congregati, grazie alla cooperazione di illustri maestri appartenenti anch'essi alla Congregazione, un posto eminente nel campo delle loro rispettive professioni. Ma, sebbene in misura più modesta, dappertutto le Congregazioni, degne di tal nome, hanno questa cura e mostrano questo loro carattere proprio. In primo luogo, perchè l'efficacia del lavoro apostolico di ogni singolo Congregato dipende in gran parte dal suo valore intellettuale, sociale, professionale, e non soltanto dalle sue qualità morali e spirituali; inoltre, perchè fin dalla loro origine le Congregazioni, avendo in mira la restaurazione di una società cristiana, hanno esercitato il loro apostolato particolarmente nella professione e per mezzo della professione.

Sotto l'impulso di questo ideale, sono state formate, distintamente, ma pure in stretta unione e collaborazione fra loro, Congregazioni per i diversi stati di vita e per tutti i gradi della scala sociale, dalle Congregazioni dei sacerdoti, degli « intellettuali », dei signori e delle dame dell'alta società, degli studenti e delle studentesse universitarie, fino a quelle degli umili lu-

strascarpe di Beyrouth e dei piccoli strilloni di giornali a Buenos Aires. Dalla Congregazione degli studenti di medicina in Parigi uscì il primo nucleo della Unione di San Luca dei medici cattolici. Gli Stati Uniti d'America hanno le loro Congregazioni d'infermiere. E per richiamare alla memoria anche un Nostro personale ricordo di Monaco, quanta ricchezza di vita familiare veramente cristiana, quanto virile coraggio nella pubblica professione della fede, l'azione benefica della Congregazione di uomini in San Michele, allora così fiorente, produceva nella capitale della Baviera! Finalmente, vicino, vicinissimo a Noi, nella Congregazione mariana della Nostra Guardia Svizzera sotto il nome di Nostra Signora del Rosario, voi siete in qualche modo tutti rappresentati, di giorno e di notte, presso la Nostra persona.

Quanto bene fanno queste Congregazioni nel loro ambito rispettivo! Quanto con la loro cooperazione agli scopi comuni per i quali ciascuna apporta il contributo della sua competenza speciale! Quanto nelle opere più varie di zelo e di carità! Il Nostro glorioso Predecessore Pio XI in una solenne occasione ricordò ciò che le Congregazioni « in tutta la loro storia secolare, plurisecolare, hanno fatto in questo campo, in questi vasti orizzonti di bontà, cooperando al bene dovunque se ne presentasse la necessità e la possibilità, cooperandovi nei modi più umili e più alti, i più squisiti e i più semplici, proprio come una Madre e Regina e Patrona come la loro poteva insegnare alle anime redente dal Sangue di Cristo » (1).

Quasi a confermare la verità di queste parole, voi Ci avete annunziato due doni preziosi: le vostre ricche offerte spirituali, che Ci sono di grande sostegno e conforto nell'adempimento del Nostro gravissimo ufficio; le vostre offerte materiali (2) che Ci aiuteranno a difendere dal freddo i miseri profughi, Nostri figli carissimi e vostri fratelli in Cristo. Ma la Nostra gratitudine va anche al di là di questa intima, per quanto numerosa adunanza; essa si rivolge a tutte le Congregazioni del mondo, che hanno voluto unirsi a voi col cuore e con la preghiera.

---

(1) Udienza del 30 marzo 1930 (Cf. *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, p. 443).
(2) Sodales obtulerant mille lodices.

Conforme al precetto del divino Maestro, e secondo l'esempio incomparabile della loro celeste Patrona e Madre, le Congregazioni amano di fare il bene « in abscondito », e il più sovente il Padre celeste « che vede nel segreto » (1) ne è il solo testimonio. Spesso anche esse portano alle altre opere il contributo della loro attività, forniscono loro le migliori reclute. Non vi è quasi forma di apostolato o di carità, di cui esse non siano state in passato le iniziatrici, sempre spiando i nuovi bisogni per soddisfarli, le nuove aspirazioni per appagarle. Queste opere, cominciate da loro modestamente, hanno preso poi l'impulso per volare con le proprie ali, sempre sicure di trovare nelle Congregazioni un appoggio e una partecipazione egualmente premurosa e discreta. E come si potrebbe qui omettere di ricordare due ardenti Congregati e fedeli campioni dell'Azione Cattolica Italiana, Mario Fani e Giovanni Acquaderni?

Ma di tutta questa fecondità quale è la intima sorgente se non la vita fervorosa che, alimentata dalla devozione più tenera e insieme più efficace a Maria, deve tendere, secondo la vostra stessa regola, sino alla santità? Essa dimora nascosta nel segreto dei cuori. Nondimeno la si vede trasparire nei frutti che produce, nelle numerose vocazioni che fa germogliare, nella mirabile schiera di santi, di beati, di martiri che la rappresentano in cielo.

Diletti figli e figlie, voi ben potete far vostra la pia invocazione di S. Giovanni Eudes alla Vergine: « Combien vous suis-je redevable... de m'avoir admis en votre sainte congrégation, qui est une vraie école de vertu et de piété... Et c'est ici, ô Mère de grâce, une des plus grandes grâces que j'ai reçues de mon Dieu par votre entremise » (2). Nella fiducia che voi saprete con una sempre crescente fedeltà corrispondere a un così gran beneficio e mostrarvene di giorno in giorno più degni, Noi invochiamo su di voi e su tutti i Congregati sparsi nel mondo i favori di Gesù e della sua SS.ma Madre, mentre con tutta l'effusione del Nostro cuore impartiamo a voi e alle vostre care famiglie, in auspicio

(1) Math., 6, 4.

(2) Le Coeur admirable de la très sacrée Mère de Dieu, Paris 1908, livre XII, p. 355.

delle più elette grazie, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

Interpretatio latina:

Pia vos subiit cogitatio, dilecti filii et filiae, commemorandi apud Nos quinquagesimam anniversariam memoriam dulcissimi vitae Nostrae eventus, quo SS. Virgini Nos ipsi in Almo Capranicensi Collegio devovimus. Et prima quidem vox quam, dum vos excipimus, proferimus ea est, ut toto pergrati Nostri cordis fervore exclamemus: *Magnificate Dominum mecum et exaltemus nomen eius simul* (1).

Deiparae in Sodalitate Mariana consecratio est quoddam suipsius donum, tota vita atque adeo in aeternum permansurum; est donum, non ad speciem solummodo vel ad praecordiorum sensum dumtaxat significandum, sed factum certum et verum, fructus vitae christianae et marianae intense peractae; est donum, quo in vita apostolica sodalis efficitur minister Mariae, cuius evadit, ut ita dicam, aspectabiles in terra manus, afferens sponte quoddam effluvium abundantioris vitae internae, quod in omnia opera externa solidae pietatis, cultus, caritatis, studii animarum promanat. Haec omnia singulari quadam vi inculcat prima ex vestris Regulis. Seria, pro cuiusque statu, animi ad sanctitatem applicatio; deditio sui ad salutem et sanctimoniam aliorum procurandam, non qualiscumque, sed magno cum ardore facta, prout uniuscuiusque socialis condicio permittit; sui traditio ad Ecclesiam Christi strenue defendendam, haec inquam, sunt praecepta a sodali libere et alacriter suscepta eo die, quo sese Deiparae dedidit; hoc est vitae propositum in Regulis sodalibus praescriptum.

Reapse hae Regulae nil aliud effecerunt, quam ut presse definiteque exprimerent et quasi « codicis instar perstringerent » historiam et usum constantem Sodalitatum marianarum, a tam bene merita Societate Iesu provide institutarum et a Sancta Sede summis laudibus ornatarum.

Ut nostis, Nos longe admodum absumus a consilio cuiusdam pietatis, quae, sibi quieta ac segnis, sit refugium dumtaxat contra pericula animis debilibus minitantia; sed simul abhorremus a simplici illo foedere agendi solum exterius coeco quodam ardore, quippe quod artificiosum sit et possit exsuscitare et accendere tantum inanes ignes, plus minus mansuros. « *Numquid potest homo abscon-*

(1) P~, 33, 4.

dere ignem in corde suo, ut vestimenta eius non ardeant? » (1). Si id verum est de incompositis motibus humanis, cum in corde commoventur, quanto magis valebit de amore caritatis, cuius flammam Spiritus Sanctus constanter excitat et alit?

Obsequium itaque marianum sodalis SS. Virginis esse non potest religio quaedam rebus suis misere intenta, quae in potentissima Deipara non nisi aditum beneficiorum praesertim terrenorum speculetur; nec pietas, quae sit quies libera a sancta cruce sollicitudinum, pugnae et aerumnarum; nec studium molle suavium consolationum et clamosarum gratulationum; nec tandem devotio, quae, quamvis sancta esse possit, fere unica curet peculiaria sui spiritus commoda. Sodalis, qui vere sit Mariae filius, eques Virginis ,non potest contentus esse solo honore ieiuni cuiusdam operis; sed praeterea debet esse ei obediens in omnibus, custos et defensor nominis, maximorum privilegiorum, causae; deferre etiam fratribus gratias et caelestia dona Matris communis; sine induciis praeliari, Deipara duce, quae « *cunctas haereses sola interemit in universo mundo* » (2).

Ipse cum, fide perpetua, eius vexillo nomen dederit, non amplius potest ex timore oppugnationum et insectationum arma deponere; nec potest, negata fide, castra deserere et locum pugnae atque honoris relinquere.

Ipsi obligamini ad defendendam Iesu Christi Ecclesiam; quod quidem Ecclesia novit et spem in vobis ponit, haud secus ac in praeteritis sodalium phalangibus, qui vos praecesserunt. Expectatio autem eam non fefellit, quippe quod maiores vestri viam vobis liberaliter straverint et indicarint. Contra luem errorum eorumque saevam dominationem Sodalitates marianae ad protegendam Europam, qua verbo , qua calamo, modo editis libris, modo controversiis, nunc contentionibus, nunc defensionibus et recte factis, prima in acie depraeliatae sunt, ut fidelibus animum adderent, fidei confessoribus auxiliarentur eosque adiuvarent, et pravos populi mores, interdum singulariter, semper acriter et efficienter, insectarentur. Denique fines quandoque ipsos Christianae reipublicae armis defenderunt, quibus civilem cultum tuitae sunt, quemadmodum egerunt Sobieski, Carolus a Lorena, Eugenius Sabaudus et alii tam multi duces, non secus ac mille et mille eorum milites.

At cur exempla a superiore aetate quaerimus, cum nunc quoque, nec apud unam tantum gentem, milleni ac milleni Sodales

(1) Prov., 6, 27.

(2) Cf. Brev. Rom., Comm. Fest. B. M. V., in 3 Noct., ant. 7.

apprime strenui decertarunt et vitam fuderunt, Christum Regem acclamantes et invocantes?

Spem ergo fovemus, fore ut et vos sciatis onus tam gloriosae hereditatis sustinere. Velimus enim asserere, perfectum virum catholicum, qualem Sodalitas mariana iam inde ab eius exordio efficere conata est, non tam respondisse omnium temporum necessitatibus et adiunctis, quam respondeat huic nostrae aetati nec umquam superiora tempora illum adeo sibi expostulasse, sicut haec nostra.

Quid enim hodie civilis ordinis vita reposcit? Viros sibi vindicat, vere viros: non eos qui nil aliud cogitant nisi sui oblectamentum et delectationem, veluti pueri; sed qui constanter sunt temperati et ad agendum sunt prompti, et quibus sacrum tectumque est nihil negligere, quod eorum animos magis ac magis perficere possit. Hoc Nobis in votis est, ut in nostris iuvenibus aliquid maius illius alacritatis, quae olim vigebat, cernamus. Verum tempora quae sunt considerare oportet: nostra quidem gravia sunt, amare et dure gravia. Ipsa porro exposcunt homines qui per asperas miserrimae rei familiaris vias ambulare ne timeant, aptique sint ad eos quoque sustinendos, quos Providentia eorum curae commisit; homines sane, qui in obeundo officio mediocritatem aversentur et animum applicent ad eam perfectionem adipiscendam, quam obligatio instaurandi tam multa, post tot immanes ruinas, ab omnibus exigit.

Ecclesia autem quid petit? Catholicos, catholicos inquam veros, bene instructos ac fortes. Alias, de profunda temporum nostrorum mutatione sociali iam disseruimus. Bellum praeter modum eam maturavit, ita ut dici possit fere absoluta. Dolendum porro est quod,in magnis praesertim urbibus, minor usque factus sit numerus eorum, qui sano et catholico maiorum more institutoque totam eorum mentem penetrante et replente, secure defensi et constanter ducti, hac via fortiter progrediantur. In quoddam discrimen veniunt aeque mulier et vir, feminea iuventus et virilis. Nam ipsa mulier hodie trahitur et devolvitur ad pugnandum pro vita, sive professionibus, sive artibus, et nunc ipso bello; imo in hac rerum civilium eversione magis ipsa attingitur ac feritur.

Itaque haec nostra tempora iis catholicis indigent, in quibus iam a puero fides sit firmiter insita, qua non vacillent, cum amplius non sustententur nec roborentur fervore eorum, qui eos circumstant. His catholicis indigent, qui eximiam virtutum christianarum integritatis et sanctimoniae, formam speculati, et gnari sacrificiorum quae illa poscit, recta semper et omnibus viribus ad eam tendunt

in vita quotidiana, despicientes quidquid seducit, quidquid tentat animum inflectere. Ecce, dilecti filii et filiae, virtus heroica, saepe quidem obscura, sed non ideo minus pretiosa nec minus mirabilis cruento martyrio.

Haec tempora catholicos volunt intrepidos; quibus naturale sit fidem aperte profiteri, tam verbis, quam operibus et quotiescumque lex divina ac sensus honoris christiani id postulant. Volunt viros, viros integros, constantes, qui metum omnem expellant: dimidiatae enim virtutis homines mundus ipse hodie abhorret, repellit, proterit.

Is fuit semper finis bene institutarum et industriarum Sodalitatum marianarum, effingere nimirum viros eiusmodi et tales catholicos. Iamvero vobis notum est, hostes Christi eiusque Ecclesiae numquam arma deponere, etiam cum mentem simulant habere pacificam. Praeter enim cruentas insectationes et violentos impetus, alia quoque ratione bella movent, scilicet corruptione, animorum veneficiis et inscia nonnullorum participatione, qui, illusione decepti, sinunt se ab illis transversum agi ac seduci.

In his pugnis continuis generosus et intrepidus animus, pietas et sui ipsius demissio, invicta quoque labore constantia, omnibus sodalibus necessaria principia ac fundamenta sunt. Verum haec nondum satis sunt. Deipara favente, debetis praeterea homines hodiernos Christo acquirere; pugnare etiam pro veritate armis veritatis. Sed tunc scire opus est, quomodo arma sint adhibenda. Qua igitur ratione eorum usum absolute consequi poteritis?

Ante omnia id assequemini studio religionis, eius dogmatum, eius moralis doctrinae, eius liturgiae, eius vitae interioris et publicae, eius denique historiae. Ante omnia, dixi, sed non unice. Si enim ita esset, idem foret, ac valedicere ante actae Sodalitatum marianarum aetati, quibus semper curae fuit, quam aptissime fieri posset, ut faverent non solum culturae generali, verum etiam professionibus; quae utraque cultura, ut par erat, virtuti et statui uniuscuiusque accommodaretur. Haec est una e laudibus, quas Sodalitatibus earundem Academiae referunt, quaeque, quod Dei beneficium est, non fuerunt abruptae.

Sine dubio cultura generalis et quae ad professiones spectat eam amplitudinem consequi ubique non possunt, quae cernitur e. g. Valentiae in Hispania, ubi partes diversae, ut sunt iuridica, scientifica, litteraria, thecnica, suis quidem studiorum et operum instrumentis adornatae, et praecipue medicina cum valetudinario et medicamentorum taberna, in tuto collocant eminentem locum sodalibus in suis profitendis officiis, non sine illustrium magistrorum ad

Sodalitatem pertinentium auxilio. Sed ubique Sodalitates, eo nomine dignae, eandem curam, quamvis modestius, habent et omnibus hoc insigne sibi proprium commonstrant. Id primo obtinent, eo quod efficacitas apostolici muneris in unoquoque sodali maximam partem pendet ab insita vi tam intellectuali, quam morali et ab ipsa professione, et non solum a morum et spiritus virtutibus. Deinde quia Sodalitates cum iam inde a primo earum ortu societatis christianae instaurationem ante oculos haberent, suum ipsae apostolatum in artibus et per ipsas artes exercuerunt.

Cuius tam praeclari propositi ductu constitutae sunt Sodalitates, distinctae quidem, sed in eodem opere intime conspirantes, pro diversis vitae statibus et pro omnibus gradibus vitae socialis, pro sacerdotibus, pro perspicaciori intellectu praeditis, pro dominis, electioris coetus dominabus, iis qui studiis dant operam, feminis Universitati nomen dantibus, usque ad calceorum politores Berythenses, et parvos ephemeridum clamatores Bonis Auribus. Lutetiae Parisiorum ex Sodalitate alumnorum Facultatis medicinae prima cohors « Unionis S. Lucae pro medicis catholicis » orta est. Civitates Foederatae Americae Sodalitates habent pro feminis infirmariis. Et ut in Nobis cari monumenti memoriam excitemus, quam vivide Monachii in familiis vitam ad mores vere christianos compositam et quem omnino virilem animum in fide publice profitenda effingebat actio benefica Sodalitatis hominum ad S. Michaëlis, tunc valde florentis, in urbe capite Bavariae! Denique prope Nos ipsos, et maxime prope, Custodia Helvetica sacri palatii sua ipsa Sodalitate a Domina Nostra SS.mi Rosarii vos omnes apud Nos, die noctuque, quodammodo repraesentat.

O quantum usui sunt Sodalitates suis quaeque laboribus! Quantum utiles fini communi, cui unaquaeque Sodalitas, afferens singularem peritiam, auxiliatur! Quantum cuiusvis generis operibus, ad animorum studium et caritatem rite institutis! Illustris Decessor Noster Pius XI in sollemni quodam sermone commemorat quantum Sodalitates « in omni sua saeculari, imo plurisaeculari historia praestiterint, bonis operibus, ubicumque necessitas et potestas fiebat, animas a Christi sanguine emptas adiuvantes, idque modis omnibus, summis et infimis, perquam simplicibus exsquisitisque, eo omnino ritu, quem talis Mater, Regina ac Patrona vestra vos docere poterat » (1).

Quasi ad confirmanda ea quae diximus, duo dona pretiosa Nobis offertis, nimirum: aliud caeleste, quod Nos valde iuvabit et in

(1) Alloc. d. 30 Mart. 1930.

obeundo Nostro Officio confirmabit; aliud terrenum, quo poterimus carissimos Nostros filios et fratres vestros, miserrimos profugos, a frigore defendere. Verum gratus animus Noster progreditur ulterius, quam est haec intima concio, quamvis numerosa, et ad omnes mundi Sodalitates se extendit, quae animis precibusque vobiscum coniunguntur.

Ex praecepto divini Magistri et exemplo caelestis Patronae et Matris, avent Sodalitates benefacere « in abscondito », et saepissime Pater coelestis « qui videt in abscondito » (1) unus est testis. Haud raro enim aliis quoque operibus Sodalitates suas vires conferunt iisque optimos quosque suppeditant. Nulla revera est apostolatus aut caritatis forma, cui ipsae vitam non dederint, quippe quae novas necessitates rimentur, iis provideant, nova desideria perscrutentur, quibus satisfaciant. Haec opera modeste quidem ab iis inchoata, ita postea excreverunt, ut propriis iam alis convolarint, et spem habuerint in sodalitatibus se auxilium et communionem sollicitam aeque ac moderatam esse inventura. Et quomodo silentio praeterire possumus duos illos insignes sodales et Duces Actionis Catholicae, Marium Fani et Ioannem Acquaderni?

Sed quis tandem est tantae foecundidatis fons internus, nisi vita fervens, quae debet pio et efficaci cultu erga Mariam conari, quemadmodum vestra Regula docet, ut ipsam sanctimoniam attingatis? Illa quidem latet in secreto corde. Nihilominus apparet in fructibus, quos gignit, ut sunt frequentes vocationes divinae et admirabilis Sanctorum cohors, qui eam in caelo repraesentant.

Dilecti filii et filiae, licet vobis S. Ioannis Eudes piam precem ad Virginem facere vestram: « Combien vous suis-je redevable ... de m'avoir admis en votre sainte congrégation, qui est une vraie école de vertu et de piété ... Et c'est ici, ô Mère de grâce une des plus grandes grâces que j'ai reçues de mon Dieu par votre entremise » (2). Spe ducti, fore ut magis ac magis tam magno beneficio respondeatis, vosque digniores in dies qui eo fruamini exhibeatis, Nos in vos et in omnes sodales per orbem sparsos munera Iesu eiusque ss. Matris invocamus, dum tota cordis Nostri effusione vobis vestrisque familiis, praestantium donorum auspicem, Apostolicam Benedictionem paterne impertimus.

(1) Math. 6, 4.

(2) Le Coeur admirable de la très sacrée Mère de Dieu, Paris 1908, livre XII, pag. 355.

4. 24 ianuarii 1945.

Prorogatur ad aliud quinquennium facultas de praecepto paschali in missionibus popularibus et Exercitiis Spiritualibus. — Rescript. S. C. Concilii (1).

SACRA CONGREGATIO
CONCILII

N°. 295/45

BEATISSIME PATER,

Procurator Generalis Societatis Iesu, perdurantibus iisdem causis, a Sanctitate Vestra humiliter postulat ut sibi prorogetur indultum iampridem concessum per rescriptum S. Congregationis Concilii diei 29 ianuarii 1940, circa praeceptum paschale occasione exercitiorum spiritualium vel sacrarum missionum.

SACRA CONGREGATIO CONCILII, attentis expositis, petitam prorogationem, in terminis et forma praecedentis rescripti, benigne impertita est ad aliud quinquennium.

Datum Romae, die 24 ianuarii 1945.

I. BRUNO, *Secr.*

L. ✠ S.

A. FAROLFI, *Off.*

5. 31 martii 1945.

Summus Pontifex Patribus Pont. Instituti Biblici novam Psalmorum conversionem gratulatur. — Epist. Subst. Secret. Stat. ad R. P. Aug. Bea, Instituti Rectorem.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 92758

Dal Vaticano, 31 marzo 1945.

REV.MO PADRE,

Sua Santità ha accolto il *Liber Psalmorum* come un grazioso dono pasquale, diligentemente preparato dall'illuminato

(1) Cf. *Acta Rom.* vol. VII, 1932, pag. 20; vol. VIII, 1937, pag. 655; vol. IX, pp. 486, 561 sq.

zelo dell'Istituto Biblico a conforto delle anime sacerdotali, desiderose di più consapevole unione con la lettera e con lo spirito di così veneranda preghiera.

Nel compiacersi del coscienzioso lavoro, l'Augusto Pontefice chiede al Signore, premio a così utile fatica, di moltiplicare per essa nel mondo dello spirito i frutti di pietà a cui mira. E mentre a tal fine forma tutti i Suoi voti, ringrazia la Paternità Vostra e i suoi valorosi collaboratori; e invia di cuore, rinnovato pegno di benevolenza, il conforto dell'Apostolica Benedizione.

Con sensi di religiosa stima mi professo

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. Montini, *Sost.*

Rev.mo Padre
P. Agostino Bea, S. I.
Rettore del Pont. Istituto Biblico. — Roma.

6. 3 aprilis 1945.

Approbantur intentiones Apostolatus Orationis in annum 1946.
Epist. Subst. Secret. Stat. ad R. P. Vicarium Gen.

Segreteria di Stato
di Sua Santità
—
N°. 91954

Dal Vaticano, li 3 aprile 1945.

Reverendissimo Padre,

Riferendomi all'elenco delle « Intenzioni Generali dell'Apostolato della Preghiera » per l'anno 1946, ho il piacere di significare alla P. V. Rev.ma che le modificazioni apportate per maggior chiarezza alle due « Intenzioni » per i mesi di Settembre e di Ottobre e da Lei comunicate in data 9 marzo p. p. hanno il *benestare* del Santo Padre, alla Cui approvazione non ho mancato di sottoporle. Sono così approvate le altre « Intenzioni », quali V. P. ha proposte; e tutte col voto che il pacifico esercito dei fedeli che le faranno proprie valga a confortare di superni

aiuti la Chiesa militante, in un'ora di tanti pericoli e di tante necessità. Di questi voti e sentimenti vuol essere conferma la Benedizione Apostolica che Sua Santità rinnova per V. P. e per i suoi degni collaboratori.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità Vostra Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. Montini, *Sost.*

Reverendissimo Padre
P. Norberto de Boynes
Vicario Generale
della Compagnia di Gesù. - Roma.

INTENTIONES GENERALES
IN ANNUM 1946

Ianuario . Pro intentionibus generalibus et particularibus Summi Pontificis.

Februario . Ut singulae nationes debita libertate et interna pace gaudeant.

Martio . . Ut singulae familiae vocationem filiorum ad sacerdotium magni aestiment.

Aprili . . . Ut pericula verae fidei in America Latina efficaciter avertantur.

Maio. . . . Ut morum depravationi fortius oppugnetur.

Iunio . . . Pro toto mundo, consecrato SS. Cordibus Iesu et Mariae.

Iulio . . . Pro iis qui moderandae oeconomiae sociali praesunt.

Augusto. . Pro medicis et infirmariis.

Septembri. Ut divites et proceres bonis terrestribus secundum Christi doctrinam utantur.

Octobri . . Ut ii, qui Universitates acatholicas frequentant, puritatem fidei conservent.

Novembri . Pro defunctis tempore belli.

Decembri . Ut omnes supra omnia habeant caritatem.

INTENTIONES MISSIONALES
IN ANNUM 1946

IANUARIO . Pro Pacificatione Orientis.

FEBRUARIO. Ut christiani de urgenti erga infideles officio conscii fiant.

MARTIO . . . Pro missionibus quae maiora ex bello detrimenta passae sunt.

APRILI . . . Ne indigenae, falso amore patriae impulsi, religioni christianae adversentur.

MAIO . . . . Ut christiani caritate universali omnes gentes prosequantur.

IUNIO . . . Ut militum commoratio in terris longinquis ad fidei propagationem iuvet.

IULIO . . . Ut, abolita scissione protestantium, infideles facilius ad veram fidem trahantur.

AUGUSTO. . Ut catholici indigenae ad conversionem infidelium sollicite collaborent.

SEPTEMBRI. Ut in docendo, scribendo et praedicando amor erga missiones promoveatur.

OCTOBRI . . Ut missionibus pecuniae liberaliter dentur.

NOVEMBRI . Ut pro crescente necessitate numerus vocationum pro missionibus crescat.

DECEMBRI . Ut publicae supplicationes pro missionibus promoveantur.

7. 25 maii 1945.

Conceditur indulgentia plenaria visitantibus oratorium in vico « Storta » prope Urbem. — Rescript. S. Paenit. Apost.

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA
OFFICIUM DE INDULGENTIIS

N°. 1956/45

BEATISSIME PATER,

Vicarius Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit plenariam Indulgentiam, a chri-

stifidelibus, confessis ac sacra Synaxi refectis, lucrandam Dominica tertia mensis maii, si publicum oratorium titulo sancti Ignatii, in Urbe, extra portam Populi, in vico « Storta », situm, visitaverint et ad mentem Summi Pontificis preces fuderint.

Et Deus, etc.

Die 25 maii 1945.

Sacra Paenitentiaria Apostolica, benigne annuit pro gratia iuxta preces ad septennium.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

S. Luzio, *Reg.*

S. de Angelis, *Subst.*

8. 19 iulii 1945.

Gratiarum actiones pro obolo S. Petri. — Epist. Substit. Secret. Stat. ad R. P. Vicarium Gen.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

N° 97271

Dal Vaticano, 19 luglio 1945.

Rev.mo Padre,

L'offerta che con tanta larghezza ha Ella, di recente, inviata al Santo Padre, nella solennità dei Santi Apostoli Pietro e Paolo, viene una volta ancora a testimoniare quanto i Figli della Compagnia di Gesù intendano le sollecitudini della carità del Padre comune, in momenti di così larga povertà e sofferenza per tutta la grande famiglia umana. E in particolare sono giunte gradite le espressioni di devoto omaggio, accompagnate dalle assicurazioni della loro assidua preghiera per tutte le opere di bene che più stanno a cuore al Sommo Pontefice nell'ora presente.

Concedendo con effusione l'implorata Benedizione Apostolica, il Santo Padre benedice insieme le molteplici attività che

alla Compagnia si collegano per la gloria di Dio e la diffusione del Regno di Cristo.

Profitto dell'occasione per confermarmi con sensi di religioso ossequio

di Vostra Paternità Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. MONTINI, *Sost.*

Rev.mo Padre
P. NORBERTO DE BOYNES
Vicario Generale
della Compagnia di Gesù. - Roma.

9. **31 augusti 1945.**

Gratiae aguntur pro eleemosynis ex America receptis. — Epist. Subst. Secret. Stat. ad R. P. Vicarium Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
—
N°. 100854

Dal Vaticano, li 31 agosto 1945.

REV.MO PADRE,

Sua Santità affida alla P. V. Rev.ma l'espressione della Sua augusta riconoscenza per il doppio obolo che la carità dei fedeli americani e dei Collegi d'America della Compagnia di Gesù ha umiliato al Padre Comune con distinte precisate intenzioni.

Particolarmente lieto di questa fraterna solidarietà e della pietà cristiana da cui è animata, l'Augusto Pontefice ne chiede al Signore la degna ricompensa. E mentre a tale effetto forma per gli offerenti tutti i Suoi paterni voti, invia di cuore ai singoli oblatori, come altresì alla stessa P. V. il conforto dell'Apostolica Benedizione.

Con sensi di religiosa stima mi professo

della P. V. Rev.ma
dev.mo nel Signore
C. GRANO, *f. f.*

Reverendissimo Padre
P. NORBERTO DE BOYNES
Vicario Generale
della Compagnia di Gesù. - Roma.

10. 11 septembris 1945.

Summus Pontifex gratias agit pro obsequiis Apostolatus Orationis Americae. — Epist. Subst. Secret. Stat. ad R. P. Vicarium Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
—
N°. 100319

Ex Aedibus Vaticanis, 11 septembris 1945.

REV.ME PATER,

Inter non paucas gaudii causas, quibus in praesenti rerum discrimine, Dei procul dubio aspirante gratia, Augusti Pontificis animus affectus est, peculiarem obtinet locum obsequii testificatio, quam, per membranam colorum luminibus ornatam, Societatis Iesu adulescentes Sodales e Foederatis utriusque Americae Civitatibus, saeculo post conditam Sodalitatem a Precationis Apostolatu nuncupatam feliciter exeunte, Ipsi mittere voluerunt.

Eiusmodi siquidem membrana amplum refert flosculorum manipulum, ab iisdem Sodalibus, in suae fervidae pietatis hortis apparatum ac Domino, pro eius in terris Vicario, oblatum.

Beati Petri Successor, qui non una data occasione gratae Suae voluntatis praecipuaeque existimationis sensus in omnes Apostolatus Precationis Consociationem participantes ostendit, hos iterum sensus confirmatos nominatim iis modo patefacit, qui e Societate Iesu in utraque America providae Sodalitati fovendae moderandaeve operam sunt daturi.

Ipsis eorumque sociis universis Sanctitas Sua uberes fructus ut ex impensis laboribus reportare queant vehementer ominans, caelestium solaciorum auspicem paternaeque benevolentiae Suae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertit.

Haec tibi significans, meam in te observantiam profiteor, meque confirmo

Tibi
addictissimum
I. B. MONTINI, *Subst.*

Rev.mo Patri
P. NORBERTO DE BOYNES
Societatis Iesu Vicario Generali. - Roma.

11. **12 septembris 1945.**

Dissertationes ad lauream in Facultatibus expetuntur. — Epist. Card. Praef. S. C. de Sem. et Stud. Univ. ad R. P. Vicarium Gen.

SACRA CONGREGATIO
DE SEMINARIIS
ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Prot. N°. 958/45

Roma, 12 settembre 1945.

REV.MO SIGNORE,

La tremenda guerra che ha imperversato nel mondo per vari anni ha impedito, tra le altre cose, che molti Atenei ecclesiastici si uniformassero all'art. 43 delle *Ordinationes* annesse alla Costituzione Apostolica « Deus scientiarum Dominus », secondo il quale ogni Facoltà deve inviare a questa Sacra Congregazione un esemplare di tutte le tesi di laurea.

Dovendo seguire l'incremento e lo sviluppo degli studi ecclesiastici nelle varie nazioni, veniamo a pregarLa di voler inviare a questo medesimo Sacro Dicastero un elenco completo delle tesi approvate, dall'anno accademico 1932-33 in poi, nelle Facoltà di Studi Ecclesiastici affidate a cotesta benemerita Compagnia e un esemplare, possibilmente, di tutte quelle pubblicate, nell'ipotesi, s'intende, che non siano state già mandate.

Nell'attesa, Le porgiamo, con sensi di profonda stima, il nostro deferente ossequio, mentre formuliamo i voti migliori per cotesto centro di studi.

Di V. P. R.ma
dev.mo in G. C.
G. Card. PIZZARDO

ERNESTO RUFFINI, *Segr.*

Rev.mo Signore
P. NORBERTO DE BOYNES
Vicario Generale S. I. - Roma.

12. 7 decembris 1945.

Gratiae aguntur pro « Horologio Missarum » anni 1946 — Epist. Substit. Secret. Stat. ad R. P. Vicarium Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ
—
N°. 110319

Ex Aedibus Vaticanis, 7 decembris 1945.

REV.ME PATER,

Sanctitas Sua, qua semper solet benevolentia, hoc quoque anno accepit « Horologium Missarum pro Papa », quod ipse nomine Sodalitatis Apostolatus Orationis, Ei obsequii plena comite epistula, nuper misisti.

Augustus Pontifex memorati Sodalicii gregalibus omnibus uberrimas agit gratias, quod Eucharistici sacrificii et precum auxilio Ei adesse voluerunt eiusque universale ministerium adiuvare atque fulcire, ut accommodate ad tempora, nefasta quidem et misera, magis magisque suam exserere efficacitatem valeat. Actuosa eorum caritatis industria, pietatis afflatu permota, Beatissimo Patri ita manifesta est, ut spem melioris aevi inde percipiat.

Gaudeo tibi referre Sanctitatis Suae huiusmodi studii testimonio Apostolica Benedictione vicem reddere, quae iis universis praecipueque tibi divinorum donorum copiam adprecatur.

Interea qua par est observantia me profiteor

Tibi
addictissimum
I. B. MONTINI, *Subst.*

Rev.mo Patri
P. NORBERTO DE BOYNES
Vicario Generali Societatis Iesu. - Romam.

Acta quaedam in causa S. D. P. Richardi Friedl

13. **26 ianuarii 1945.**

Decretum de « Non cultu ». — Decr. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N°. 138-14/945

FLORENTINA
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI
RICHARDI FRIEDL
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Instante Rev.mo P. Carolo Miccinelli, Societatis Iesu Postulatore Generali, E.mus ac Rev.mus Dominus Ianuarius Cardinalis Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Ostien. et Albanen. Causae Servi Dei Richardi Friedl, sacerdotis professi eiusdem Societatis Jesu, Ponens seu Relator, in Ordinariis Particularibus S. Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, dubium discutiendum proposuit: An sententia lata a iudice delegato ab E.mo Cardinali Archiepiscopo Florentino super cultu numquam exhibito praefato Servo Dei, seu super obedientia praestita decretis Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur. Et E.mi ac Rev.mi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Ponentis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, re mature perpensa, respondendum censuerunt: Affirmative, seu sententiam esse confirmandam. Die 23 ianuarii 1945.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII, per infrascriptum S. Rituum Congregationis Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua Purpuratorum

Patrum responsum probare et confirmare benigne dignata est. Die 26 ianuarii 1945.

† Carolus Card. Salotti, *S. R. C. Praef.*

Henricus Dante, *Subst.*

14.

6 februarii 1945.

Conceditur E.mo Cardinali Vicario Urbis facultas construendi processum apostolicum de virtutibus et miraculis. — Decret. S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum

N°. 138-16/45

FLORENTINA
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI
RICHARDI FRIEDL
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Quum die quarta mensis Martii elapsi anni Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII dispensationem a Processu Apostolico in Causa Servi Dei Richardi Friedl, Sacerdotis Professi e Societate Iesu, construendo super fama sanctitatis in genere concedere dignatus sit, cumque die vigesima sexta elapsi mensis ianuarii Decretum de cultu praefato Servo Dei haud exhibito editum sit, R. P. Carolus Miccinelli Societatis Iesu Postulator Generalis eumdem Sanctissimum Dominum Nostrum instanter rogavit, ut remittere dignaretur E.mo ac Rev.mo Domino Cardinali Urbis Vicario facultatem, qua saltem quatuor Dignitates Vicariatus Urbis, ab eodem Cardinali eligendae et nominandae, Processum Apostolicum super virtutibus et miraculis in specie memorati Servi Dei conficere valeant, cum clausula tamen quod saltem tres iudices cuilibet Processus actui intersint, necnon nominandi unum vel plures sui Tribunalis Notarios ad acta conficienda et confirmanda, ceterisque cum facultatibus in similibus concedi solitis.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi

specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis de cetero omnibus de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 6 februarii 1945.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

HENRICUS DANTE, *Subst.*

15. 6 februarii 1945.

De Processu Apostolico Florentiae instituendo — Decret. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
N°. 138-16/45

FLORENTINA
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI
RICHARDI FRIEDL
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Quum, die quarta mensis martii elapsi anni, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII dispensationem a Processu Apostolico in Causa Servi Dei Richardi Friedl, Sacerdotis Professi e Societate Iesu, construendo super fama sanctitatis in genere concedere dignatus sit, cumque die vigesima sexta elapsi mensis ianuarii Decretum de cultu praefato Servo Dei haud exhibito editum sit, R. P. Carolus Miccinelli Societatis Iesu Postulator Generalis eumdem Sanctissimum Dominum Nostrum instanter rogavit ut E.mo ac Rev.mo Domino Cardinali Archiepiscopo Florentino Litteras Remissoriales et Compulsoriales expedire dignaretur, ad Processum Apostolicum instituendum super virtutibus et miraculis in specie Servi Dei Richardi Friedl.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributarum, petitas Litteras Remissoriales et Compulsoriales E.mo ac Rev.mo Domino Cardinali Archiepiscopo Florentino expediendas concessit, in casu et ad effectum de quo agitur, tamquam praesidi

et quatuor saltem sacerdotibus in aliqua ecclesiastica dignitate, si fieri possit, constitutis, in iudices eligendis ac deputandis, cum clausula tamen quod idem E.mus Vir cum duobus iudicibus, vel ipso absente et annuente, tres saltem iudices omnibus et singulis actis Processus semper et coniunctim assistant; facta quoque potestate eidem E.mo Archiepiscopo in casu mortis vel impedimenti unius vel plurium ex nominatis, alium aut alios ex eodem coetu substituendi, et cum ceteris facultatibus in similibus concedi solitis, adhibitis Interrogatoriis a R. P. D. Fidei Promotore Generali tradendis; servatis de cetero servandis. Adsignato termino duorum annorum a die praesentationis et aperitionis earumdem Litterarum Remissorialium et Compulsorialium computando, ad memoratum Processum Apostolicum absolvendum. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 februarii 1945

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

HENRICUS DANTE, *Subst.*

16. **5 maii 1945.**

Dispensatur a nova exuviarum recognitione. — Decret. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N°. 138-17/45

FLORENTINA
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI
RICHARDI FRIEDL
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Quum recognitio exuviarum Servi Dei P. Richardi Friedl Sacerdotis Professi e Societate Iesu facta fuerit canonice die 17 decembris anni 1930, cumque corpus eiusdem Servi Dei a coemeterio florentino vulgo « Trespiano » delatum fuerit ad Ecclesiam Societatis Iesu in eadem urbe florentina ibique sepultum infra pavimentum ecclesiae, R. P. Carolus Miccinelli Postulator Generalis Societatis Iesu Sanctissimum Dominum Nostrum Pium

Papam XII instanter exoravit, ut benigne dispensare dignetur a nova recognitione exuviarum, quae fieri debet ante finem Processus Apostolici super virtutibus.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributarum, attentis expositis peculiaribus adiunctis, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 5 maii 1945.

† Carolus Card. Salotti, *S. R. C. Praef.*

A. Carinci, *S. R. C. Secr.*

17. 15 iunii 1945.

Conceditur facultas construendi Cunei processiculum apostolicum. — Decret. S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum

N°. 138-18/45

FLORENTINA
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI
RICHARDI FRIEDL
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Quum nonnulli testes in Causa Servi Dei Richardi Friedl, sacerdotis professi Societatis Iesu, deposituri in Cuneensi Dioecesi degant, Re.mus P. Carolus Miccinelli, eiusdem Societatis Postulator Generalis, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII suppliciter exoravit, ut ad praefatorum testium depositiones excipiendas processiculus instruatur in Curia ecclesiastica Cuneensi.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab Ipso Sanctissimo Domino nostro tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces; servatis tamen Interrogatoriis et Instructione a R. P. D. Fidei Promotore Generali tra-

dendis, aliisque de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 iunii 1945.

A. CARINCI *S. R. C. Secr.*

S. MATTEI, *Offic.*

18. 21 iulii 1945.

Facultas construendi Mediolani processum apostolicum. — Decret. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

N° 138-19/45

FLORENTINA
BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI
RICHARDI FRIEDL
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

Quum nonnulli testes in Processu Apostolico super virtutibus et miraculis in specie Servi Dei Richardi Friedl, sacerdotis Professi e Societate Iesu, deposituri, in Archidioecesi Mediolanensi degant, et Florentiam, ubi modo conficiuntur Processus Apostolici super virtutibus et miraculis in specie, petere prohibeantur, R. P. Carolus Miccinelli, Societatis Iesu Generalis Postulator Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XII suppliciter exoravit, ut iidem testes in Curia Mediolanensi audiri valeant.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributarum, attentis expositis peculiaribus adiunctis, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis tamen Instructione et Interrogatoriis a R. P. D. Fidei Promotore Generali tradendis, ceterisque de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 iulii 1945.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

HENRICUS DANTE, *S. R. C. Subst.*

Acta quaedam in aliis causis NN. BB. et VV.

19. 12 ianuarii 1945.

De aperiendo processu cuiusdam miri a B. Iosepho Pignatelli patrati: — Decret. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

—

N°. 318-19/45

ROMANA
CANONIZATIONIS
BEATI IOSEPHI PIGNATELLI
SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE IESU

Quum apud Sacram Rituum Congregationem exstet Processus Apostolica auctoritate constructus in curia Maioricensi super asserto miro per intercessionem Beati Iosephi Pignatelli Sacerdotis Professi e Societate Iesu, uti fertur, patrato, R. P. Carolus Miccinelli eiusdem Societatis Postulator Generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XII suppliciter exoravit, ut ad eiusdem Processus aperitionem rite deveniri queat. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis tamen omnibus de iure, stilo et consuetudine servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 ianuarii 1945.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

20. 23 martii 1945.

Decretum introductionis causae S. D. P. Philippi Jeningen (Prov. Germ. Sup.). — Decret. S. C. Rit.

DECRETUM

ROTTENBURGEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

PHILIPPI JENINGEN

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

« Praecipuus Societatis Iesu finis, ita Gregorius XIII, catho- « licae est Religionis defensio ac propagatio, animarumque in « christiana vita et doctrina profectus. Ad quem finem Spiritus « Sanctus ... media quoque praedicationum ac cuiusque ministe- « rii verbi Dei, doctrinaeque christianae et spiritualium exerci- « tiorum, aliorum item caritatis operum et sacramentorum ad- « ministrationis accommodavit. Ad quae sufficienter et pro di- « gnitate praestanda, difficultates superandas, periculaque adeun- « da, necesse est, ut Religiosi ipsi talia obituri, magno virtutis « et devotionis praesidio muniantur, quod illis gratia in primis « Omnipotentis Dei simulque educatio ipsa, longa item in Socie- « tate probatio nec non regularum et constitutionum observan- « tia praestare noscuntur » (Const. Ascendente Domino, 25 Maii 1584).

Servus Dei Philippus Jeningen inter insigniores Sodales huius optime de Ecclesia meritae Societatis est adnumerandus, qui in verbum Dei incessanter praedicandum, in sacramenta administranda atque in alia sacra ministeria, totam vitam ad mortem usque impendit, uberrimos referens fructus in salutem animarum, uti mox declarabimus.

Anno 1642 in civitate Eistettensi, Bavariae ditionis, ex Nicolao Jeningen aurifice, huius civitatis praefecto, et Anna Maria, quartus ex undecim filiis, Ioannes Philippus natus est, qui lustralibus sacri baptismi aquis die 5 ianuarii fuit ablutus.

Humaniorum litterarum curriculo in patria emenso, in Ingolstadtensi universitate philosophiae operam dedit, ubi Magistri titulum adeptus est; ibidem quoque theologicis disciplinis operam navare incepit. In Societatem Iesu a. 1663 admissus, maiori nisu totum se perfectionis studio dedidit eoque successu, ut senioribus ipsis in exemplum eluceret. Simplicibus votis nuncupatis, magisterio fuit addictus, ac postea theologiae studium resumpsit, quod a. 1672 complevit, eodemque anno die 11 iunii ad sacrum Presbyteratus ordinem est promotus. Tertio probationis anno absoluto, pueros docendi munus aliaque minora officia ei fuerunt concredita usque ad annum 1680. Interim quatuor sollemnia Societatis vota nuncupavit.

Etsi pluries a Superioribus petierat ut ad evangelizandos infideles mitteretur, sui voti compos, ob tenuem valetudinem, non fuit factus.

Ad urbem « Ellwangen » missus, ibi ad mortem usque permansit, multiformibus sacris ministeriis impensissime distentus, praecipue in beatae Mariae Virginis Lauretanae sanctuario, voto et opera Praepositi noviter erecto, ad quod frequentes peregrinantium fidelium turmae accurrebant.

Verum missionalis zelus, quo vehementer animus eius inflammabatur, non poterat in eius pectore contineri: quapropter in sacris expeditionibus fere totam contrivit aetatem, in quo ministerio centum saltem loca peragrans, spatia caritatis dilatavit ingentesque animarum manipulos Christo valuit offerre.

Innumeros apostatas a fide atque haereticos in Ecclesiae sinum reduxit, plurimos in fide confirmavit et ad viam christianae perfectionis allexit.

Efficax quidem erat eius verbum, longe autem efficacior eius vivendi ratio. Virtutum enim omnium exempla praebebat, quae non modo fideles, sed etiam Dei inimicos, cogebant eum virum sanctum agnoscere aut saltem revereri; in qua sententia hi confirmati videntur a charismatibus, quibus a Deo ditatus Servus Dei ferebatur.

Quoniam autem hunc apostolatum in illa praesertim regione exercuit, quae Rhaetia dicitur, *Rhaetiae Apostolus* merito fuit nuncupatus.

Laboribus ac poenitentiis fractus, die 8 februarii anno 1704 Ecclesiae sacramentis refectus, placidissime animam Deo reddidit, annos natus sexaginta duos.

Sanctitatis fama ad nostra usque tempora viguit, atque frequens ad eius sepulcrum populus accedit, eius patrocinium implorans.

Paucis annis post Servi Dei obitum, coeperunt Actores documenta colligere, ut canonicae inquisitiones fierent; verum pluribus de causis formalis processus non potuit construi nisi a. 1901. Constituta a Pio Papa XI fel. rec. in hac S. Congregatione Sectione historica, huic munus demandatum est collecta excipiendi ab Actoribus aliaque colligendi documenta atque de eorum probandi vi Sacrae Congregationi referendi, uti feliciter factum est. Sanctitatis famae perseverantiam plures quoque Postulatoriae Litterae comprobant, qua Germaniae Cardinales, Archiepiscopi, Viri principes eorumque Familiae Summo Pontifici obtulerunt, ut huius Servi Dei causae Introductionem implorarent.

Anno 1906 die 2 martii S. R. C. decrevit, scriptis perpensis, nihil obstare quominus ad ulteriora procedi posset.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, Rev.mo P. Carolo Miccinelli causarum Societatis Iesu Postulatore generali instante, die 13 mensis huius, in Ordinario S. R. C. coetu subscriptus Cardinalis Praefectus atque causae Ponens, dubium posuit discutiendum: *An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur*, atque de ea retulit. Rev.mi quoque Officiales Praelati suum suffragium dedere. E.mi ac R.mi Cardinales, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, omnibus mature perpensis, rescribere censuerunt: *Signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Facta autem subsignato die ab eodem Cardinali relatione SS.mo D. N. Pio Papae XII, Sanctitas Sua rescriptum E.morum Patrum ratum habens, *commissionem Introductionis causae Servi Dei Philippi Jeningen* Sua Manu signare dignata est.

Datum Romae, die 23 martii a. D. 1945.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

21. 25 martii 1945.

Decretum quo probantur scripta SS. D. P. Leonis Ignatii Mangin (Prov. Camp.) et Socc. MM. — Decret. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N°. 382-4/945

VICARIATUS APOSTOLICI SIENHSIEN

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII SERVORUM DEI

LEONIS IGNATII MANGIN, S. I. ET SOCIORUM

IN ODIUM FIDEI INTEREMPTORUM

Instante... super revisione scriptorum praefatorum Servorum Dei. Et E.mi Patres Sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem Cardinalis Ponentis, omnibus diligenter perpensis, rescribere censuerunt: Nihil obstare, quominus ad ulteriora procedatur; reservato tamen iure Promotoris Generalis Fidei obiiciendi, si et quatenus de iure. Die 13 martii 1945.

Facta... Sanctitas Sua Purpuratorum Patrum sententiam ratam habere et confirmare benigne dignata est, die 25 martii 1945.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

22. 13 aprilis 1945.

Processus S. D. P. Francisci de Paula Tarín (Prov. Tolet.) validi declarantur. — Decret. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

N°. 147-17/945

HISPALEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI

FRANCISCI DE PAULA TARIN

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU

Instante...: An constet de validitate processuum tam ordinaria quam apostolica auctoritate constructorum; testes sint

recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur. Et E.mi ac Rev.mi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ..., rescribendum censuerunt: Affirmative, seu constare. Die 10 aprilis 1945.

Facta ... Sanctitas Sua Purpuratorum Patrum responsum probare et confirmare benigne dignata est. Die 13 aprilis 1945.

† Carolus Card. Salotti, *S. R. C. Praef.*
A. Carinci, *S. R. C. Secr.*

23. **11 maii 1945.**

Probantur scripta S. D. Petri Barbarić. — Decret. S. C. Rit.

Sacra Congregatio
Rituum

N°. 513-6/45

SERAJEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI
PETRI BARBARIC
NOVITII SCHOLASTICI SOCIETATIS IESU

Instante ... super revisione scriptorum praefati Servi Dei; et E.mi ac Rev.mi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Ponentis, re mature perpensa, rescribendum censuerunt: Nihil obstare quominus ad ulteriora procedatur; reservato tamen iure Promotoris Generalis Fidei obiiciendi si et quatenus de iure. Die 8 maii 1945.

Facta ..., Sanctitas Sua Purpuratorum Patrum responsum probare et confirmare benigne dignata est. Die 11 maii 1945.

† Carolus Card. Salotti, *S. R. C. Praef.*
A. Carinci, *S. R. C. Secr.*

24. 15 iunii 1945.

Conceditur, ut aperiatur processus Diligentiarum in causa S. D. P. Michaëlis Pro (Prov. Mex.). — Decret. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
N°. 209-7/45

MEXICANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI

MICHAELIS PRO

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU

Clausus sigillisque munitus in Actis S. Rituum Congregationis reperitur Processus Diligentiarum super scriptis Servi Dei Michaëlis Pro, sacerdotis professi Societatis Iesu. Hinc Rev.mus P. Carolus Miccinelli, eiusdem Societatis Postulator Generalis, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII suppliciter exoravit, ut ad eiusdem Processus aperitionem deveniatur.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatem sibi specialiter ab Ipso Sanctissimo Domino nostro tributarum, benigne annuit pro gratia iuxta preces; servatis tamen omnibus de iure, stilo et consuetudine servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 15 iunii 1945.

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

S. MATTEI, *Offic.*

II. — PRO PROVINCIIS, DOMIBUS, SODALIBUS

25. 8 decembris 1944.

Confirmatur Facultas theologica Seminarii Bonaërensis. — Decret. S. C. de Sem. etc.

Sacra Congregatio
de Seminariis
et Studiorum Universitatibus

Prot. N°. 1156/41

DECRETUM

Ad Pontificii Seminarii Metropolitani Bonaërensis, a Virgine Immaculata, decori et studiorum ecclesiasticorum in universa Republica Argentina incremento magis magisque consulendum, E.mus Dominus D. Card. Iacobus Copello, Archiepiscopus Bonaërensis atque Argentinae Primas, una cum R.mo P. Norberto de Boynes, Vicario Generali Societatis Iesu, cui pium illud Institutum ab Archiepiscopo est concreditum, ab Apostolica Sede enixis precibus nuper efflagitavit ut Facultas Theologica, iam die XXIII m. decembris a. D. MCMXV in memorato Seminario a Summo Pontifice Benedicto XV f. r. primum constituta, et deinde ad Constitutionem Apostolicam « Deus scientiarum Dominus » et adnexas Ordinationes instaurata, suprema Ecclesiae Auctoritate denuo erigeretur.

Beatissimus Pater Pius Div. Prov. PP. XII, feliciter regnans, pro singulari studio quo erga praeclarissimam illam Nationem et urbem afficitur, petitioni annuere dignatus est, atque Archiepiscopum Bonaërensem eiusdem Facultatis Patronum Pontificium constituit.

Quamobrem Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus Pontificiam Facultatem Theologicam in Seminario Metropolitano Bonaërensi iam conditam, hoc Decreto denuo erigit atque confirmat, facta ei potestate gradus academicos

in Sacra Theologia conferendi, secundum Statuta ab ipsa Sacra Congregatione adprobata, alumnis qui, scholis Seminarii rite celebratis, et studiorum curriculo laudabiliter emenso, digni habeantur; servatis ceteris de iure servandis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Callisti, die VIII mensis decembris, in Festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., a. D. MCMXLIV.

† I. Card. PIZZARDO, *Praef.*

L. ✠ S. ERNESTUS RUFFINI, *Secr.*

26. 16 martii 1945.

Aguntur gratiae pro obsequio singulari Apostolatus Orationis in Hibernia. — Epist. Substit. Secret. Stat. ad R. P. Ioannem Lo Grasso, Proc. Gen.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

—

N°. 916.32.

Dal Vaticano, 16. III. 1945.

REVERENDISSIMO PADRE,

Affido alla P. V. Rev.ma l'espressione dell'alto compiacimento di Sua Santità per il ricco Tesoro spirituale umiliatoGli dall'Apostolato della Preghiera di Irlanda in occasione del primo fausto Centenario di un'opera così universalmente benefica.

La Santità Sua non dubita che lo zelo di quei ferventi cattolici vorrà continuare, intenso e perseverante, a moltiplicar frutti di preghiera e pietà cristiana in tempi di tanta calamità e di tanto bisogno della divina Misericordia.

A questo li esorta con particolare insistenza il Padre Comune. E nella certezza che il loro spirituale contributo sarà sempre più largo e fecondo di buoni frutti, invia ad essi, e anzitutto ai singoli dirigenti, la confortatrice Apostolica Benedizione.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della P. V. Rev.ma
dev.mo nel Signore
G. B. MONTINI, *Sost.*

Reverendissimo Padre
P. GIOVANNI LO GRASSO, S. I.
Procuratore Generale della Compagnia di Gesù. - Roma.

27. 22 iunii 1945.

Deipara Virgo « Mater Auxiliatrix » Patrona Provinciae Neapolitanae eiusque Missionum declaratur. — Decret. S. C. Rit.

SACRA CONGREGATIO
RITUUM
—
N°. S. 22/45

SOCIETATIS IESU

Beatissimam Virginem Mariam sub titulo « MATER AUXILIATRIX » inter sodales Provinciae Neapolitanae Societatis Iesu peculiari religione venerari, materna eius protectione in personas domosque ipsiusmet Provinciae graviora inter pericula ubique firmatur. In sacello vero domus novitiatus eiusdem Imago, aureo diademate anno 1929 redimita, pie fidenterque asservatur. Filialem hanc devotionem in dies adaugere cupiens, et spe suffultus singulari Virginis adsistentia in futurum fruendi, hodiernus Praepositus memoratae Provinciae, vota quoque sodalium omnium excipiens, Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XII suppliciter exoravit, ut eadem Beata Virgo Maria sub praefato titulo caelestem apud Deum Patronam ipsius Provinciae iure constituere benigne dignaretur. Sanctitas porro Sua, has preces, Rev.mi Procuratoris Generalis Societatis Iesu commendationis officio suffultas, amplissima E.mi ac Rev.mi Domini Cardinalis Archiepiscopi Neapolitani commendatione munitas et ab infrascripto Sacrae Rituum Congregationis Cardinali Praefecto relatas, peramanter excipiens, Beatissimam Virginem Mariam sub titulo « MATER AUXILIATRIX » Provinciae Neapolitanae Societatis Iesu et Missionum ab eadem dependentium caelestem apud Deum Patronam constituere et declarare benigne dignata est: eiusque festum die 24 maii mensis quotannis recolendum indulsit sub ritu duplici I. classis sine octava, translata ad diem 8 iunii festivitate B. M. V. a Strata. Servatis Rubricis. Quibuscumque contrariis non obstantibus. — Die 22 iunii 1945.

† CAROLUS Card. SALOTTI, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

A. CARINCI, *S. R. C. Secr.*

28. 31 iulii 1945.

Badense Occidentale Collegium philosophicum et theologicum (Prov. Chicag.) Facultatibus Societatis annumeratur. — Decret. S. C. de Sem. etc.

SACRA CONGREGATIO
DE SEMINARIIS
ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

N°. 796/45

Romae, die 31 iulii, *in festo S. Ignatii a Loyola, a. D.* 1945.

REV.ME DOMINE,

Epistola d. d. 27 huius mensis et anni, optatis Provinciae Chicagiensis S. I. et precibus R. P. Maher, Assistentis Americae, satisfacere volens, ab hac Sacra Congregatione postulaveras, ut Collegium Philosophicum et Theologicum Badense Occidentale, a S. Roberto Bellarmino, inter eiusdem Societatis Facultates studiorum ecclesiasticorum rite adnumeraretur.

Cum autem omnia, quae ad rem pertinent, sedulo accurateque consideraverimus, praedictae petitioni annuere visum est.

Quapropter Sacra Congregatio Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposita memorati Collegii Scholas Facultatibus Societatis Iesu accenset (1) cum iure conferendi gradus academicos in Philosophia et Theologia sodalibus de Ecclesia optime meritae Societatis, ad normam Constitutionis Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » et adnexarum Ordinationum nec non secundum peculiaria Statuta die 2 mensis februarii a. 1934 a Sancta Sede adprobata (2).

Qua par est reverentia salutem plurimam in Domino Tibi dicimus.

Addictissimus in Ch. I.
I. Card. PIZZARDO

L. ✠ S.

ERNESTUS RUFFINI, *Secr.*

Rev.mo Domino
P. NORBERTO DE BOYNES
Vicario Generali S. I. - Romam.

---

(1) Cf. *Acta Rom.*, vol. VII, 1932, pag. 64; vol. IX, 1939, pag. 350; vol. X, 1941, pp. 77 sq.

(2) Cf. *Acta Rom.*, vol. VII, 1934, pag. 607.

29. 22 augusti 1945.

Almanum Collegium theologicum (Prov. Calif.) Facultatibus Societatis annumeratur. — Decr. S. C. de Sem. etc.

SACRA CONGREGATIO
DE SEMINARIIS
ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS
—
N°. 838/45

REV.ME DOMINE,

Humanissimam epistolam die decima volventis mensis et anni datam, qua, votis Provinciae Californiae istius perinsignis Societatis Iesu, per Reverendum P. Assistentem Zachaeum Maher, nunc in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Visitatorem, nuperrime delatis, ultro libenterque obsecundans, ab Sacra Congregatione suppliciter postulabas ut Facultas Theologica Almani Collegii, a S. Iosepho, inter eiusdem Societatis Facultates Studiorum Ecclesiasticorum adscriberetur, accepimus seduloque perpendimus.

Cum autem omnia, quae iure, legibus, statutis praescribuntur, in memorato Collegio Almano rite adimpleri compererimus, petitioni Tuae annuendum censemus.

Quapropter, hisce litteris, Sacra Congregatio Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposita theologicam Collegii Almani Scholam Facultatibus Societatis Iesu accenset (1), cum iure academicos gradus in Sacra Theologia eiusdem Societatis sodalibus conferendi ad normam Constitutionis Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » et adnexarum Ordinationum, nec non secundum peculiaria Statuta a Sancta Sede die 2 mensis februarii a. D. 1934 adprobata (2); ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Quam dum Tibi, Reverendissime Domine, renuntiamus obsequentis animi nostri sensus iterum iterumque pandimus.

---

(1) Cf. *Acta Rom.*, vol. VII, 1932, pag. 64; vol. IX, 1939, pag. 350; supra pp. 77 sq.; 756.

(2) Cf. *Acta Rom.*, vol. VII, 1934, pag. 607.

Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, die 22 mensis augusti, in Festo Cordis Immaculati B. M. V., a. D. 1945.

I. Card. Pizzardo

L. ✠ S.

Ernestus Ruffini, *Secr.*

Rev.mo Domino
P. Norberto de Boynes
Vicario Generali S. I. - Romam.

30. Anno 1945.

Quorundam Nostrorum pontificiae nominationes (1).

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

SS.Dominus Noster Pius divina providentia Papa XII dignatus est providere:

— die 2 maii Titulari Episcopali Ecclesiae Arcadiensi R. P. Philippum Gallego e Societate Iesu (2), quem deputavit auxiliarem Ex. DD. Richardi Pittini, Archiepiscopi S. Dominici.

Excerpta quaedam ex aliis actis Apostolicae Sedis, anno 1945 editis

31. 1 iulii 1945.

Summus Pontifex opera socialia Sodalitatum Marianarum ut earum propria vindicat et laudat. — Alloc. S. P. Pii XII (3).

Cum Summus Pontifex kalendis iuliis 1945, trecentas puellas, sodales B. Mariae Virginis, quae in studia incumbunt et, ducibus plerumque Nostris, *Operi a Nazareth* praesunt pro institoribus puellis et officinarum famulabus, alloquio excepisset,

(1) *A. A. S.*, XXXVII, 1945, pag. 217.

(2) E Prov. Legion. Erat Superior Residentiae Montecristensis in Missione Dominicana (Viceprov. Cuban.).

(3) *Osservatore Romano*, 2-3 luglio 1945.

haec inter alia de Sodalitatibus Marianis feliciter edixit, italice quidem sed mox latine convertenda:

« Ma inoltre anche l'attuazione pratica di questo zelo merita in voi viva lode. Vi si vede risplendere il vero apostolato, il lavoro caratteristico di ogni autentica Congregazione Mariana. Noi ben sappiamo, che non riesce sempre facile a studentesse serie, quali voi volete essere, di unire e combinare con le esigenze sempre più ampie dei vostri studi una così grande opera di amore. Ciò domanda spesso da parte vostra privazioni e rinunzie; ma la benedizione di Dio ne è la ricompensa. Del resto un apostolato di tal genere è un complemento prezioso della vostra stessa formazione scientifica. Esso vi largisce maturità di giudizio ed esperienza di vita; vi apre la via e vi fa penetrare nel cuore del popolo in modo ben più naturale e sicuro di quel che soltanto i libri e le lezioni liceali od universitarie potrebbero apprendervi ».

Interpretatio latina:

« At praeterea ipsa huius studii animarum exercitatio in vobis laudanda est. In ea enim verus apostolatus lucet, qui est labor maxime proprius cuiusvis bene institutae Sodalitatis Marianae. Perspectum quidem habemus, haud facile semper esse iis quae in studia serio incumbunt, sicut vos facitis, coniungere et consociare simul necessitates studiorum in dies auctas cum tam ingenti amoris opere. Eiusmodi namque opus exigit a vobis non raro, ut nonnullis vos ipsae privetis et ab oblectamentis abstineatis; sed Deus, vobis benedicens, erit vestra merces. Quamquam id genus apostolatus est quoddam complementum scientiae et institutionis vestrae. Ipse enim iudicium vobis maturat et vitae experimentum suppeditat; viam pandit ad cor populi, ut illud penetretis multo naturalius et securius, quam ut soli libri et lycei aut Universitatis praelectiones vos docere possint ».

ACTA VICARII GENERALIS

ACTA VICARII GENERALIS

I. PRO SOCIETATE.

32. 19 ianuarii 1945.

De Documentis triennalibus et Statisticis annuis parandis.

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS
EXTRA ITALIAM

Reverende in Xto. Pater,
P. Xti.

Exacto triennio 1942-1944, rursus instat tempus ad consueta nostra *Documenta triennalia* paranda. Sed, proh dolor!, eadem repetere cogor quae in litteris meis diei 8 decembris 1941 dicebam (1): neque consuetos modulos hinc ad Provincias neque documenta ex Provinciis Romam mitti posse. Iterum tamen insistere mihi liceat, ut documenta omnia iam nunc conficiantur et ad tempora meliora serventur, vel ad P. Visitatorem mittantur. De modulis ipsis istic typis edendis et de *Statisticis annuis* quotannis sedulo parandis, eaedem valent normae quae in commemoratis litteris dabantur.

Ad *Conspectum Societatis Universae* accuratius quam hucusque conficiendum, si Catalogus Provinciae Romam mitti non

(1) V. supra, pp. 126 sqq.

potest, saltem Status numericus Patrum, Scholasticorum et Fratrum Coadiutorum per litteras mittatur quaeso.

Commendo me sanctis Sacrificiis.

Romae, die 19 ianuarii 1945.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
LUDOVICUS DUMOULIN
Secr. Soc. Iesu

33. **23 aprilis 1945.**

R. P. Vicarius Generalis Assistentiae Americae opem gratulatur, qua Provinciis bello vastatis auxilio venit.

AD R. P. ZACHAEUM MAHER
ASSIST. ET VISIT. AMER.

Rome, April 23, 1945.

REVEREND FATHER ASSISTANT,
P. C.

...First of all let me express my most sincere thanks for the proposed plan to help the Provinces of the Society that have been most sorely tried by the vicissitudes of the war. The charity and generosity of the Rev. Frs. Provincial are a cause of immense consolation to me in these distressful days, and I humbly thank God for it. I shall be very happy to apply one hundred (100) Masses each month over a period of three years for those, Ours or externs, who contribute to the JRRF (1) throughout the Assistancy, beginning with the month of June 1945. Your Reverence will also express our thanks to all of Ours who may find it possible to send us some packages, as you suggest in your letter.

. . . . .

I commend myself to the Holy Sacrifices and prayers of all.

Your Reverence's servant in Christ,
NORBERT DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu

---

(1) « Jesuit Relief and Rehabilitation Fund ».

34. 27 iulii 1945.

Nostri certiores fiunt, Congregationem Generalem nondum cogi posse.

AD OMNES PP. VISITATORES (1)

REVERENDE IN CHRISTO PATER,
P. CH.

Cum notum mihi plane sit primum officium Vicarii Generales esse « Societatem ad electionem Praepositi faciendam... convocare » (2), deliberavi cum PP. Assistentibus Romae degentibus, num tempus iam advenisset Congregationis Generalis indicendae.

Omnes tamen PP. Assistentes mecum communi sententia censuerunt hodiernis rerum condicionibus Congregationem Generalem cogi non posse, nec futurum esse ut possit, donec transitus ex aliis nationibus in Italiam interclusus vel valde impeditus maneat et in ipsa Italia itinera in magnas difficultates incurrant, quae saepius superari non possunt. Accedit quod in plurimis Provinciis ne Provincialis quidem Congregatio potest convocari.

Quae cum ita sint, statui indictionem desideratissimae Congregationis Generalis in aliud tempus differre.

Interea omnes nostri Patres ac Fratres constantes ferventesque preces adhibeant rogo, ut Deus ac Dominus Noster Congregationem Generalem quam primum convocare permittat et novum Praepositum Generalem eligere.

Velit Ra. Va. has meas litteras communicare cum Praepositis Provinciarum ac Viceprovinciarum et Superioribus Missionum, quae in sua ditione sunt, eisque praescribere, ut illas omnibus Nostris sibi subditis notam faciant.

Commendo me SS. SS.

Romae, 27 iulii 1945. R.ae V.ae

Servus in Xto.
NORBERTUS DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu.

(1) Haec epistola communicata est die 26 augusti omnibus Italiae Provincialibus, ad publicam mensam legenda.

(2) *Offic. Vic. Gen.*, n. 1.

35. **8 septembris 1945.**

Renuntiatur novus Secretarius Societatis, P. Antonius M. de Aldama (Prov. Baet.).

AD OMNES PROVINCIARUM PRAEPOSITOS

Reverende in Christo Pater,
P. Ch.

P. Ludovicus Dumoulin, pro sua erga Societatem fidelitate et amore, cum ob morbum, qui se a pluribus iam annis afficit et non modo non remittit, sed etiam in dies ingravescit, sentiret vires sibi deficere ad gravia sua munia sustinenda, me rogavit ut alium Patrem validioribus viribus praeditum sibi in officio Secretarii Societatis sufficerem.

Ego vero, re coram Domino diligenter considerata et cum PP. Assistentibus Romae degentibus collata, cum viderem nimium grave futurum esse carissimo Patri eiusmodi condicionibus valetudinis utenti in munere perseverare — nunc praesertim, cum praevidetur, epistolarum commercio cum pace restituto et tempore Congregationis Generalis adventante, laborem Curiae magno incremento auctum iri — ei satisfaciendum esse duxi, ac propterea in eius locum P. Antonium Mariam de Aldama, e Provincia Baetica, usque adhuc Substitutum Secretarii pro Assistentia Hispaniae, novum Secretarium Societatis nominavi; de quo per has litteras Ram. Vam. certiorem facio.

Commendo me ss. SS.

Romae, in festo Nativitatis B. M. V.
die 8 septembris 1945.

R.ae V.ae
Servus in Christo
Norbertus de Boynes
Vic. Gen. Soc. Iesu.

36. 25 septembris 1945.

Communicatur epistola S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus de dissertationibus ad lauream Romam mittendis.

AD OMNES RECTORES UNIVERSITATUM
VEL FACULTATUM ECCLESIASTICARUM S. I.

Reverende in Xto Pater,
P. Xti.

Ad RVam mitto exemplar litterarum, quas Emmus Card. Praefectus S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus nuper ad me dedit, ut commendaret observationem art. 43 Ordinationum Constitutioni Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » annexarum (1).

Non latet S. Congregationem in praesenti commercium epistolare esse admodum difficile, immo a pluribus nationibus nullatenus mitti posse in Italiam scripta typis edita. Vult tamen mentem Auctoritatum Academicarum ad hoc praescriptum convertere, ut illud diligenter observandum curent, cum rerum condiciones permittent.

Vestrae ergo Reverentiae commendo ut, quam primum fieri possit, mihi mittat elenchum dissertationum ad Lauream, quae in suo instituto ab anno academico 1932-33 approbatae sunt, et curam postea habeat mittendi etiam dissertationes typis editas, cum id facere liceat.

Commendo me ss. SS.

Romae, die 25 septembris 1945.

R.ae V.ae
Servus in Xto.
Norbertus de Boynes
Vic. Gen. Soc. Iesu.

(1) V. supra p. 738.

II. PRO PROVINCIIS, MISSIONIBUS, DOMIBUS.

37. **23 octobris 1944.**

R. P. Vicarius Generalis primum conventum Instituti Ordinis Socialis in America habitum gratulatur.

AD R. P. ZACHAEUM MAHER
ASSIST. ET VISIT. AMER.

Rome, October 23, 1944.

DEAR FATHER ASSISTANT:
P. C.

... Before concluding this letter let me say a word of congratulation to all those who contributed to the success of the first meeting of the ISO in June 1943. The spirit of fraternal charity, as reflected in the first number of the ISO Bulletin, of holy zeal for the interests of Christ's kingdom on earth, the clear grasp of the major problems and the supernatural point of view taken in seeking for their solution were very consoling and would have given immense joy to our dear Father Ledóchowski to whose enlightened leadership and dynamic impulse the ISO owes its beginnings (1). He surely will be praying much for it before the throne of God in heaven. It was especially encouraging to see that traditional Jesuit education had its authentic expositors and champions in Vol. 2, No. 2, that the Superiors of our Scholasticates showed a clear comprehension of the supreme importance of our ecclesiastical studies and the need of not overburdening the Scholastics in the course of these studies, and that there was a desire to adhere closely to the Spiritual Exercises in giving retreats.

Of the second general meeting I have heard only a brief

(1) Cf. *Acta Rom.*, vol. IX, 1939, pp. 435 sq.

word, but that was of enthusiasm for its spirit. God prosper the excellent beginnings.

I commend myself to Your Reverence's Holy Sacrifices and prayers.

R.ae V.ae
Servus in Christo
NORBERTUS DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu.

38. 9 martii 1945.

De Pontificio Opere « De Vocationibus sacerdotalibus ».

AD OMNES PROVINCIALES ITALIAE

Roma, 9 marzo 1945.

REVERENDO IN XTO. P. PROVINCIALE,
P. XTI.

L'anno scorso, col consenso dei RR. Padri Assistenti, questa Curia Generalizia si aggregò alla Pontificia Opera delle Vocazioni Sacerdotali, fondata presso la Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi, ed i cui Statuti e Norme furono pubblicati negli Acta Apostolicae Sedis (1).

A tale aggregazione ci spinse il pensiero dell'importanza di tale istituzione; infatti il « cooperare sollecitamente all'impulso ed alla vocazione divina » (Const. P. I c. I C.) con cui il Signore si sceglie gli operai della sua vigna, oltre ad essere sommamente lodevole, è anche caldamente raccomandato dal nostro Istituto.

Perciò esorto V. R. e tutti i Superiori di codesta Provincia a voler cooperare all'azione divina delle vocazioni per il Clero Secolare e Regolare, non soltanto fomentandole direttamente in quei giovani che sembrino adorni delle doti opportune, ma anche collaborando attivamente nelle Opere che a tale scopo

(1) *A. A. S.*, vol. XXXV, 1943, pp. 369-373.

fioriscono nelle singole Diocesi ed aggregando la Curia Provinciale e le varie nostre istituzioni a quest'Opera Pontificia.

Inoltre ultimamente, dalla stessa Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi sono stato avvisato che, tra le iniziative a favore della Pontificia Opera delle Vocazioni Sacerdotali, è stata inclusa la « Giornata della sofferenza ».

Nel rendere consapevole V. R. e tutta la Provincia di questa lodevole iniziativa, desiderando che essa venga fatta conoscere e sia raccomandata agl'infermi della Compagnia e a quegli ammalati che sono curati spiritualmente dai Nostri, Le riporto testualmente quanto mi scrive a proposito l'Em.mo Cardinale Pizzardo l'11 febbraio c. a.:

« Nell'intento di raccogliere un tesoro sempre più copioso per il sacerdozio, e per riuscire nello stesso tempo a radicare meglio nei malati il convincimento che la loro attività spirituale è della massima importanza, ci è parso opportuno fissare una data per tale « *giornata* »: così in tutto il mondo i malati, sentendosi uniti nel collaborare alla « causa stessa di Dio e della Chiesa », intensificheranno e moltiplicheranno il loro contributo spirituale con santa emulazione. E' stato pertanto scelto il *Giovedì Santo,* giorno in cui il ricordo dell'istituzione del sacerdozio si associa a quello della Passione di N. S. Gesù Cristo ».

Prego pertanto V. R. di farmi poi sapere a suo tempo quello che si sarà fatto in merito dai Nostri di codesta Provincia, affinchè io possa riferirlo alla Sacra Congregazione.

Mi raccomando ai Suoi Santi Sacrifici.

di V. R.
Servo in Xto.
NORBERTO DE BOYNES,
Vic. Gen. d. C. d. G.

39. 7 aprilis 1945.

Gratulatio de nova conversione latina Psalterii, a Patribus Pont. Instituti Biblici facta (1).

AD R. P. AUGUSTINUM BEA
RECTOREM PONT. INSTITUTI BIBLICI

Roma, 7 aprile 1945.

Reverendo in Cristo Padre,
P. Xti.

Ho ricevuto da V. R. una copia della nuova traduzione dei Salmi e dei Cantici del Breviario Romano, a cura di codesto Pontificio Istituto Biblico.

Nell'esprimerLe la mia riconoscenza per il gradito omaggio, mi congratulo di vero cuore per la riuscitissima opera, eseguita per ordine del Santo Padre. Siano rese grazie vivissime al Signore, datore di ogni lume, che nel compiere un lavoro tanto faticoso, ha voluto assisterLa e guidarLa in modo che la nuova traduzione, fatta con grande diligenza, abbia soddisfatto alle aspettative del Santo Padre e sia riuscita non soltanto di onore alla Chiesa ed alla Compagnia, ma anche di inestimabile giovamento a quanti, Sacerdoti e Laici, vorranno usufruirne per una maggiore intelligenza della preghiera liturgica.

Di grande consolazione, Reverendo e carissimo Padre Rettore, mi è stata occasione questa nuova pubblicazione del Pontificio Istituto Biblico. Posso infatti constatare ancora una volta che i Professori di questo Istituto, applicandosi con ogni cura al compito assegnato loro dalla Provvidenza sin dal tempo della fondazione voluta dal Santo Padre Pio X di v. m. con « *Motu Proprio* » del 7 Maggio 1909 (2) cercano di attuare sempre più il vasto programma che era stato ad essi indicato dallo stesso mentovato Sommo Pontefice.

Pertanto con l'auspicio che la fatica richiesta dalla nuova traduzione dei Salmi apporti abbondanti frutti spirituali nelle

(1) Vid. supra, pag. 731.
(2) Cf. *Acta Rom.*, vol. I, 1909, pp. 26 sqq.

anime che se ne serviranno, La prego di esprimere i sensi della mia soddisfazione e del mio augurio anche a tutti i Professori del Biblico, ma specialmente a quelli tra essi che hanno efficacemente collaborato con V. R. per dare alla luce la ben riuscita Edizione.

Mi raccomando ai Suoi Santi Sacrifici.

di V. R.
Servo in Cto.
NORBERTO DE BOYNES
Vic. Gen. d. C. d. G.

40. **30 aprilis 1945.**

De ter centenaria memoria ab ortu S. Francisci de Hieronymo.

AI RR. PP. E FRATELLI
DELLA PROV. NAPOLETANA.

Roma, 30 aprile 1945.

REVERENDI PADRI E CARISSIMI IN XTO. FRATELLI,

Con molta consolazione ho appreso che vi apprestate a celebrare (col ritardo dovuto alla guerra) il terzo centenario dalla nascita di S. Francesco De Geronimo. Non posso perciò fare a meno di inviarvi una parola di plauso, che vuole essere al tempo stesso d'incitamento a sempre meglio imitare gli esempi di questo grande figlio della Provincia Napoletana.

Vorrei infatti esortarvi a considerare l'anima dell'apostolato del De Geronimo, che fu la vita di preghiera e di mortificazione. Nelle lunghe meditazioni notturne, nelle molteplici visite al Tabernacolo durante la giornata, nella continua unione con Dio (mirabile in così intensa attività esteriore), la sua anima si sovraccaricava di quella misteriosa energia divina ch'è la grazia e che sola rende efficace l'opera dell'apostolo. Il suo spirito poi d'interna mortificazione e d'assoluto distacco da ogni personale interesse, sgombrava del tutto la via all'azione divina sulle anime.

Senza preghiera e senza mortificazione a nulla gioverebbe la gara di attività apostolica di cui voi date esempio in questa celebrazione centenaria. Che il Santo dunque, in ricompensa delle vostre fatiche, vi ottenga da Dio il suo duplice spirito di orazione e di distacco interiore. E sono sicuro che l'intercessione del caro Santo sarà molto efficace ad apportare all'intera Provincia, e a quanti si rivolgeranno a Lui con fiducia, copiose altre grazie d'ogni genere soprattutto spirituali. Pregherò anch'io per voi, applicando 100 sante Messe per le vostre intenzioni.

Che il Santo vi benedica dal cielo, come io vi benedico sulla terra.

Mi raccomando ai vostri santi Sacrifici ed Orazioni.

Di tutti servo in Xto.
NORBERTO DE BOYNES
Vic. Gen. d. C. d. G.

41. 5 iunii 1945.

Septuagesimum quintum annum institutionis iuventutis in urbe Chicago (Prov. Chic.) susceptae R. P. Vicarius Generalis gratulatur.

AD R. P. IOANNEM BIERI
RECTOREM CHICAGIENSIS ACADEMIAE S. IGNATII

Rome, June 5, 1945.

DEAR FATHER RECTOR
P. XTI.

The completion of seventy-five years service in the field of Catholic education is a just cause for our Society in Chicago to rejoice and render thanks to God. And when one reviews these three quarters of a century and sees the growth of the student-body from 99 to six thousand and more, the increase and development of the Schools and Faculties, and above all reads the roster of your Alumni who have brought Catholic zeal and leadership, distinction and honor to the ranks of the Reverend

Clergy, to the professions and business circles, one cannot but repeat the words of the Psalmist:

« Venite et videte opera Dei,
Stupenda patravit inter filios hominum » (1)
« Gratias Domini in aeternum cantabo » (2).

I am very happy to join you, Reverend Fathers and dear Brothers in Christ, in this hymn of thanksgiving to God. And while in fervent prayer we commend to His loving mercy the noble souls of all those, now gone to their reward, to whose devoted zeal and unselfish generosity Catholic education in Chicago owes so much, we humbly ask Him to bless our own present labors and to grant us that most precious grace of forming men according to the Sacred Heart of their divine Redeemer: strong in faith, irreproachable in conduct, ardent and generous in cooperating with their ecclesiastical leaders to bring salvation and sanctification to their neighbors.

For this intention I am offering 50 Holy Masses. To your own Holy Sacrifices and prayers I commend myself and the whole Society.

Your Reverence's servant in Christ,
NORBERT DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu

42. 29 iulii 1945.

De Beata Virgine Auxiliatrice, Provinciae Neapolitanae Patrona nuper declarata (3).

AD R. P. ALBERTUM GIAMPIERI
PRAEP. PROV. NEAP.

Roma, 29 luglio 1945.

REVERENDO IN CTO. P. PROVINCIALE,
P. CTI.

La Madonna Ausiliatrice, Patrona del Noviziato di Napoli, viene costituita, dallo stesso Sommo Pontefice, speciale Protettrice di tutta codesta Provincia.

(1) Ps. 65, 5.
(2) Ps. 88, 2.
(3) Vid. supra, pag. 755.

Questo avvenimento riempie il mio animo delle più vive speranze per l'avvenire, perchè ciò significa affidare tutti i Nostri Napoletani, nel procelloso tempo che viviamo, come nave in tempesta, alla guida di quella mistica Stella, chi segue la quale non può fallire a glorioso porto. Ciò inoltre significa far dolce violenza al cuore di questa Madre misericordiosa, onde largisca nuove effusioni di grazie su tutti coloro che si dichiarano cosa sua, grazie specialmente di vita interiore.

Per ottenere tali grazie, è necessaria la cooperazione con la preghiera, col raccoglimento, con la più attenta considerazione dell'atto che state per compiere. Solo così la consacrazione alla Madonna non si ridurrà ad una semplice cerimonia esteriore, ma sarà convinta, sentita, vissuta. Essa inoltre porterà i frutti che io senza dubbio mi attendo: in particolare l'incremento delle vocazioni, uno zelo apostolico sempre più ardente nei Padri. Giacchè dichiarandosi tutti solennemente cosa e proprietà della Madre di Dio, da una parte si sarà spinti a rendersi sempre più degni di Lei, e dall'altra si conseguirà uno speciale diritto alla sua materna protezione.

In particolare io nutro fiducia che codeste vostre celebrazioni mariane porteranno ad una maggiore intesa degli spiriti e ad una maggiore fusione dei cuori, sicchè si formi una vera unanime famiglia presso il cuore della Madre celeste. Donde seguirà anche una più intensa efficienza delle singole energie.

Non potendo essere presente di persona, lo sarò col cuore e con la preghiera inviando a tutti ed a ciascuno la mia paterna benedizione ed applicando 50 sante Messe per la Provincia.

Mi raccomando ai Suoi Santi Sacrifici.

Di V. R.
Servo in Cto.
NORBERTO de BOYNES
Vic. Gen. d. C. d. G.

43. 19 decembris 1945.

P. Gulielmo F. Clark (Prov. Neo-Ebor.) septuagesimum Societatis annum R. P. Vicarius gratulatur.

AD R. P. GULIELMUM F. CLARK

December 19th, 1945.

REVEREND, DEAR FATHER CLARK:
P. C.

Reverend Father Provincial has reminded me that Your Reverence is about to round out seventy years of service in our cherished Society; and it is a sincere pleasure for me to join the great host of friends and admirers, and particularly the community of Fordham, who will be expressing their joy and good wishes on this festive occasion.

But I would wish to share especially with Your Reverence those deep and silent emotions that are filling your soul today. Over and above the joy and satisfaction in the years gone by, and stronger is the sense of immense gratitude to God and the Society. The seventy years in Religion and the almost ninety years that God has given you have their consoling story to tell of unnumbered, no doubt unsuspected graces and blessings from our divine and loving Master; and I heartily join Your Reverence in singing the praises of God' s mercies and goodness.

However, this supreme sense of gratitude to God in no way blunts my keen appreciation of the debt owed to Your Reverence. And in the name of the Society I wish to thank you for seventy years of an exemplary religious life that has been a guide and spur to those who seek perfection, for years of exacting labor in the rich and vast fields of Catholic education which God opened up to your Provinces in America, for years too of responsibility in government and in moulding our young men to the ideals held up to them by St. Ignatius. God will know how to show His good pleasure with a reward over-flowing and ineffable. As a pledge of my gratitude and a token of my pro-

found esteem I am offering 70 Masses for the intentions of Your Reverence.

To your own Holy Sacrifices and prayers I commend most earnestly the Society throughout the world, and

Your Reverence's servant in Christ,
NORBERT DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu

III. — PRO EXTERNIS

Litterae quaedam postulatoriae

44. 10 iunii 1945.

Ut festum B. Innocentii V Summ. Pont. ad universam Ecclesiam extendatur.

AD SUMMUM PONTIFICEM

Beatissime Pater,

Nemo est quem fugiat, inter praecipua christianorum munia hisce nostris temporibus adnumerandum esse impensum optimorum studium conciliandi sibi invicem coniungendique iterum animos tot tantisque infaustis influxibus, experientiis, suggestionibus, praetextibus disgregatos. Singillatim arctior in dies magisque universa ac fraterna desideranda est consensio inter illos coetus et christianas communitates, quarum est in primis, pacifica sanctaque aemulatione proeliari Domini proelia ad Dei Ecclesiaeque honorem et gloriam.

Quo in nobilissimo conatu hodie merito indicatur et extollitur tamquam insigne exemplar egregiusque patronus Beatus ille Petrus a Tarantasia, qui, Ordinis Praedicatorum quondam decus, episcopatum Lugdunensem, Purpuratorum Patrum Senatum ipsamque Sedem Apostolicam, etsi parvo temporis intervallo, haud exiguo tamen fructu, sancte illustravit et ad animorum coniunctionem et pacem totum sese impendit.

Eius ortum tam Italorum quam Francogallorum gens nobili quadam aemulatione sibi vindicant. Eumdem in disputatis catholicae doctrinae quaestionibus sequuntur diversarum scholarum asseclae, quippe qui, simul cum S. Thoma et S. Bonaventura in celebri Parisiensi Universitate magister, totus in eo

fuerit, ut doctrinarum discrepantias sapienter conciliare studeret, prout periti nos edocent. In Sacrum Cardinalium Collegium a beato Gregorio X adlectus, Petrus a Tarantasia in synodo Lugdunensi reducendis Graecis ad Ecclesiam Latinam strenue operam suam navavit. Tandem, quinque Pontificatus sui mensibus, longe maiora sibi proposuit, quam quae exsequi tempus ipsi permisit; tamen haud semel inter factionum partes admirabilis pacificator evasit, adsciscens sibi « *viros sapientes, spiritu vere pacifico et voluntate bona animatos* » (*Studia et documenta p.* 133). Quo factum est, ut eodem anno 1276, mediis in factionibus inveteratis Guelphorum et Gibellinorum, pax tum inter Januensem civitatem et Siciliae regnum, tum inter Pisam et foederatas Tusciae urbes restitueretur, adeo ut ipse Summus Pontifex, iamiam moribundus, levatis in coelum manibus, tamquam ultima sua verba, grati animi hymnum pro pace obtenta proferret.

Quapropter libenter tot undique prolatis petitionibus nostras quoque adiungimus preces, ut Sanctitas Tua dignetur Beati praedecessoris Tui Innocenti V, insignis pacificatoris, festum et cultum ad universam extendere Ecclesiam, eumque sic omnibus, tum singulis tum communitatibus, ob oculos ponere novum patronum et intercessorem ad impetrandam et stabiliendam pacem, quam « mundus dare non potest ».

Et Deus etc.

Romae, 10 iunii 1945.

Sanctitatis Tuae
filius addictissimus
NORBERTUS DE BOYNES
Vic. Gen. Soc. Iesu

IV. — RESPONSA.

A) Instituti declarationes Universae Societati propositae (Cf. Epit. n. 18 § 1)

45. **15 septembris 1945.**

De transitu Scholastici ad gradum Coadiutoris temporalis (Cf. Epit. n. 118 § 1; n. 125).

R. V. mihi varia proponebat dubia de transitu alicuius Scholastici ad gradum Coadiutoris temporalis.

Breviter ad singula respondeo:

1°. — An requiratur ad eiusmodi transitum Indultum Apostolicum.

R. — Ad transitum quidem nullum requiritur S. Sedis Indultum, sed sufficit stare condicionibus a iure praescriptis. Omnino tamen expedit, ut ne Novicius quidem ad gradum Coadiutoris temporalis transeat sine consensu Patris Generalis (1).

2°. — An insuper requiratur ut transiens peragat iterum biennium vel saltem integrum annum canonicum noviciatus.

R. — Ex iure communi requiritur, ut sive Scholasticus approbatus sive Novicius scholasticus transiens integrum noviciatum peragat tamquam Coadiutor (2). Sed, ex iure Societatis, P. Generalis potest dispensare a secundo anno noviciatus (3).

3°. — Si responsum sit ad 1um et ad 2um affirmativum, an Generalis habeat facultatem a Sancta Sede habitualiter concessam, vel ad tempus, ad concedendum Indultum sub 1°, vel dispensationem a requisito sub 2°.

---

(1) Cf. *Act. Rom.*, vol. VII, 1932, pag. 248.

(2) Cf. C. I. C., can. 558.

(3) Cf. *Coll. Decr.*, d. 36 § 1; Epit. n. 118 § 1.

R. — Cum agitur de Scholastico approbato, non de Novicio, P. Generalis, ex Indulto sibi a Sancta Sede die 25 octobris anni 1925 concesso, potest dispensare a praescripto can. 558, ita ut transitus fiat sine iteratione noviciatus. Haec quidem facultas non est communicata cum Praepositis Provinciarum; sed, dum hodiernae rerum condiciones perdurent, communicata est cum Visitatoribus.

Pro Noviciis vero nullum habemus eiusmodi Indultum, quod a praescripto canonis 558 eximat: quare Novicius scholasticus transiens ad gradum Coadiutoris temporalis debet noviciatum ex integro in hoc gradu peragere. — Nihilominus, a) si sex menses in noviciatu ante transitum compleverit, non tenebitur agere postulatum (1); b) si nondum sex menses in noviciatu ante transitum compleverit, tempus in noviciatu cum Noviciis scholasticis transactum computari poterit ut pars postulatus; c) si plus quam sex menses in noviciatu ante transitum compleverit, licebit eum praeterea, post duos annos cum dimidio a primo ingressu in Societatem, facilius e domo noviciatus educere, servata tamen norma n. 167 § 1 Epitomes, et excepto anno canonico, qui — ex praescripto canonis 555 § 1, 3° (2) — in ipsa domo noviciatus peragendus est; immo, si Novicius plene satisfecerit, poterit Praepositus Provincialis Patri Generali proponere ut, peracto anno canonico et absolutis 30 saltem mensibus a primo ingressu in Societatem, a reliquo biennii tempore ille dispensetur.

4°. Qui dies ingressus in Societatem scribendus sit in Catalogo Provinciae, et num transiens ad gradum Coadiutoris temporalis amittat antiquitatem Societatis in ordine ad ultima vota.

R. — Dies ingressus in Societatem non est mutandus in Catalogo Provinciae, et transiens ad gradum Coadiutoris temporalis, sive Scholasticus approbatus sit, sive Novicius scholasticus, antiquitatem, quam in Societate habebat in ordine ad ultima vota, non amittit; quando tamen ille ad ultima vota nuncupanda proponetur, de hoc transitu referendum erit.

---

(1) Cf. *Act. Rom.*, vol. VII, 1932, pag. 248.

(2) Epit. n. 117; cf. n. 118 § 2.

INDICES TOTIUS VOLUMINIS X

I.

PROSPECTUS GENERALIS ACTORUM
HOC VOLUMINE CONTENTORUM

N. B. — *Indicantur paginae quibus singulorum documentorum initium habetur*

Acta Apostolicae Sedis

III. - ACTA TRIBUNALIUM

IV. - ACTA OFFICIORUM

V. - VARIA

Acta Praepositi Generalis et Vicar. General.

N. B. — *Numeri asterisco * signati designant acta PP. Vic. Gen.*

I. - AD S. P. PIUM XII.

II. - AD UNIVERSAM SOCIETATEM.

III. - AD QUASDAM PROVINCIAS ETC. EX VARIIS ASSISTENTIIS

INDEX ACTORUM

HOC VOLUMINE CONTENTORUM

ORDINE CHRONOLOGICO DISPOSITUS

Acta Apostolicae Sedis

Acta Praepositi Generalis

De aegrotatione et morte A. R. P. N. Wlodimiri Ledóchowski

Acta Vicarii Generalis

III

INDEX ALPHABETICUS

PERSONARUM, LOCORUM, RERUM